DISSERTATIONES MEDICÆ

IN

UNIVERSITATE VINDOBONENSI HABITÆ

AD

MORBOS CHRONICOS

PERTINENTES

ET EX

MAX. STOLLII


MEDIC. CLINIC. P. P. O. PRÆLECTIONIBUS
POTISSIMUM CONSCRIPTÆ.

EDIDIT ET PRÆFATUS EST

JOSEPHUS EYEREL.

VOLUMEN QUARTUM ET ULTIMUM.

VIENNÆ,
TYPIS CHRISTIANI FRIDERICI WAPPLER
MDCCLXXXXII.





I.

IGNATII WOLFF,

DISSERTATIO

DE MORBIS URETHRÆ.

1777.

Morbi urethræ commode in tres classes dividuntur: nempe in morbos ejus connatos, inflammatorios, & symptomaticos.

Exempla extant hominum 1) sine pene natorum. Cel. Petit 2) vidit infantem trium mensium, cujus urethra terminabatur in parte anteriore & superiore scroti. Fabricius Hildanus 3) vidit infantem duodecim annorum cum duplici urethra, quæ sibi erant superpositæ, & sitæ in loco

---

1) Schenk l. 4. & 13.

2) Anatomie chirurgicale Chapr. 22. Tom. II.

3) Ibidem.

loco consueto, inferior erat parum incurvata deorsum, urina sine difficultate prodibat.

Aliquando penis justo brevior aut longior est. In recens natis nonnunquam nullum est orificium externum urethræ, quod parietes ejus penitus inter se concretæ sint, aut quod frequentius accidit, orificium tenui lamella claudatur. In his casibus illico lanceola orificium aperiendum est, quod si negligatur, necesse est, ut infans brevi ex ischuria moriatur, aut urina continuo urgens præternaturalem sibi viam efficiat: observavit D. Dionis 1) quod neglecta operatione urina exitum sibi fecerit perforando infimam glandis partem, ubi frœnulum ei adhætet: ita affecti, ne femora sibi inficiant, mingentes penem elevare debent, & steriles sunt, quod semen in uterum pervenire nequeat; hinc necesse est 2) lanceola glandem in consueto loco aperire, & in aperturam factam immittere cannulam argenteam, quæ ascendat supra aperturam inferiorem & præternaturalem, ut urinam nova via prodire necesse sit; apertura autem præter naturalis est claudenda, quod fit, si duri ejus margines discindanrur, & tanquam vulnus recens consolidentur, dum interim cannula in urethra relinquitur, ne urina consolidationem impediat; si autem apertura præternaturalis claudi nequeat, seprum inter duas aperturas medium discindendum est, ut urina & semen impetu prosiliens debita directione feratur.

Qui-

1) Cours d'Operations de Chirurgie, troisieme demonstr. 2) Ibidem.

Quibusdam apertura urethræ est nimis parva, hi semen non pleno canali ejaculantur, urinam tenui filo aut guttatim excernunt; hinc mictus diuturnus: ita affectis 1) oportet orificium urethræ sursum & deorsum discindere, ut apertura sit naturalis magnitudinis.

Nonnullis urethra cum glande deorsum incurvata est, quod frœnulum illis a nativitate justo brevius sit; ita affecti, dum mingunt, penem elevare debent, ne femora & crura sibi inficiant, & steriles sunt, quod propter declivitatem orificii urethræ semen in orificium uteri ejaculari nequeat, sed per partem vaginæ posteriorem effluat: curatio fit, si frœnulum transverse discinditur.

Altera classis morborum urethræ complectitur morbos ejus inflammatorios. Causæ inflammationis urethræ esse solent diuretica acria diu usurpata, cantharides forma emplastri corpori applicati, aut interne assumti, pus sive ihor acer ex renibus, ureteribus, vesica, diu per urethram effluens, spasmi urethræ diu durantes, ut aliquando fit a potu cerevisiæ non rite fermentatæ, calculus, grumus sanguinis in urethra hærens, vis externa, vehemens & diuturna equitatio, frequens necessitas introducendi catheterem, corpora hæterogenea in urethram immissa, præsertim aspera aut acria, vulnus urethræ, dum calculus ex ea, aut per apparatum magnum ex vesica excin-

1) Cours d'Operations de Chirurgie troisieme demonstr.

ſcinditur; contuſio, quæ contingit mulieribus parturientibus, ſi caput fœtus ad oſſa pubis din & vehementer apprimatur, aut ſi ope vectis occiput ad oſſa pubis appreſſum amoveatur, inflammatio inde nata ſæpiſſime tranſit in gangrænam: hinc docente cel. *Steidele* ope forcipis Levretianæ caput infantis deorſum trahendo ab oſſibus pubis amoveatur, etſi impediri nequeat ruptura perinæi, cum in colliſione minus malum præ majori eligendum ſit: præterea uretra ex cauſis omni inflammationi communibus affici poteſt. Signa inflammatæ urethræ ſunt dolor ejus calor, pulſario, motus humorum auctus in univerſo corpore, aut ſaltem in urethræ vicinia, ſitis, effluxus muci, teneſmus urinæ & alvi, dyſura, ſtranguria; ſymtomata hæc magis aut minus vehementia ſunt pro vario gradu inflammationis, quæ ſi violenta ſint, oritur iſchuria, tumor ſupra oſſa pubis, involuntaria dolorifica penis erectio & incurvatio, tumor & calor penis, perinæi, & teſtium, vomitus urinam redolens, phrenitis; veſicæ paralyſis, ruptura.

Indicatio eſt, morbi incrementum præcavere, & inflammationem reſolvere. Si igitur calculus aut aliud quoddam corpus heterogeneum in urethra hæreat, id illico eſt educendum, dein nullum auxilium artis negligendum eſt, de quo conſtat, quod humorum motum minuat, ſolida relaxet, ſanguinem phlogiſticum attenuet. In hunc ſcopum venæſectiones in brachio fiunt repetitæ, donec effectus medici voto reſpondeat; ſi his motus humorum ſatis minui nequeat, vena in dorſo penis decurrens ſecatur, interne exhibentur nitrum, mucilaginoſa, acida aqua diluta,

luta, externe adhibentur ſemicupia, cataplaſmata, fomenta emollientia tepida. alvus clysmatibus emollientibus & medicamentis eccoproticis aperta ſervatur, ægrum interim animo & corpore quietum eſſe oportet, & victu uti tenuiſſimo & vegetabili aceſcente.

Si his ſtrenue adhibitis intra nychthemerum ſymtomata inflammationis non mitigentur, metuenda eſt periculoſiſſima iſchuria, hinc tentanda eſt applicatio catheteris, qui tamdiu in veſica relinquendus eſt, donec methodo recenſita inflammatio reſoluta ſit, aut in ſuppurationem tranſiverit; ſi autem introductio catheteris impoſſibilis ſit, inſtituenda eſt punctura perinæi, qua neglecta æger ex iſchuria, aut ſuperveniente gangræna moritur: 1) operatio hæc fit inſtrumento, quod Troicar dicitur, eſt figuræ pyramidalis & abit in apicem tricuſpidalem; inſtrumento hoc in cavum cannulæ argenteæ immiſſo per perinæum eo loco, ubi fit initium inciſuræ in lythotomia apparatu magno, veſica pertunditur, dum urina effluit cannula, in vulnus factum ducitur, quo facto troicar extrahitur, cannula vero in veſica relinquitur, ut per viam hanc artificialem urina eliminetur, donec inflammatio urethræ reſoluta ſit. Nonnulli veſicam pertundunt per inteſtinum rectum, in fœminis per vaginam: alii ſupra oſſa pubis, quæ ultima methodus ceteris præferenda eſt, quia tempore inflammationis urina commodiſſime hac via artificiali eliminari poteſt, inflammatione vero reſoluta

1) Dionis Cours d'operation de chirurgie troiſieme demonſtr.

luta urina naturali via poterit effluere, cathetere per urethram in veſicam immiſſo præcaveri poterit accumulatio urinæ, & veſicæ diſtenſio, ut hac ratione vulnus factum facile conſolidetur, dum in aliis methodis periculum eſt, ne urina vulneris conſolidationem impediat & fiſtula naſcatur. Eædem rationes ſunt, cur cel. Steidele, Dionis, aliique celebres chirurgi exiſtiment, in calculo veſicæ lythotomiam per apparatum altum ceteris methodis præferendam eſſe, & mirentur, hanc methodum quondam uſitatam exoleviſſe, quin data fuerit ratio, cur ab ea diſceſſum ſit.

Si medicus tardius in auxilium vocatus fuit, aut vehementia inflammationis ſuperavit vim horum medicamentorum, atque in ſuppurationem tranſiverit, id cognoſcitur, ſi dolor, calor, pulſatio & cetera ſymtomata inflammationis ceſſent, atque in illorum locum ſuccedant gravitas, horror, puris effluvium, aut ejus in abſceſſu contenti ſentiatur tumor & fluctuatio. Continuandum igitur iisdem remediis, ut ſuppuratio promoveatur, & quamprimum percipitur fluctuatio, tumor illico aperiendus eſt, pure eliminato ulcus linteis carptis repletur, dein balſamicis & exiccantibus conſolidatur. Si operatio ſerius fuit inſtituta, & ulcus impurum ſit & fiſtuloſum, fiſtulæ quoque ſunt diſcindendæ, margines earum calloſi abſcindendi, ſcarificandi, dein ulcus ſuppurantibus, poſtea detergentibus, tandem balſamicis & exſiccantibus ad cicatricem perducitur.

A ſuppuratione urethræ varia oriuntur mala pro varietate loci, quem ulcus in urethra occupat.

Si orificia ductuum excretoriorum veſicularum ſeminalium cicatrice coaleſcant, orietur impoſſibilis ſeminis excretio, adeoque ſterilitas; ſi vero eroſa, aut a pure ulceris vicini macerata ac relaxata ſint, orietur perpetuum ſeminis ſtillicidium, ſive gonorhæa benigna, quæ augetur 1) in excretione alvi, urinæ, penis erectione, & nixu quocunque validiore: inde ſterilitas, tabes dorſalis, conſumptio totius corporis, & inevitabilis mors. Si ductus excretorii proſtratæ, glandularum Cowperianarum, aut reliquarum glandularum urethræ ulcere eroſi ſunt, oritur perpetuum ſtillicidium muci, corpus citius aut tardius conſumens, pro quantitate materiæ effluentis: ſi multi ductus harum glandularum cicatrice coaliti ſunt, urethra non defendetur ab acrimonia urinæ, & ſemen carebit vehiculo, igitur producetur ſterilitas, perpetua dyſuria, ſtranguria, quandoque & iſchuria. Si margines horum ulcerum fiant calloſi, aut excreſcentiæ variæ ex illis eleventur, quemadmodum id in externis impuris ulceribus videre eſt, aut cicatrices ulcerum calloſæ canalem anguſtent, orietur ſtranguria habitualis, quæ aucto malo abit in iſchuriam. Si ulcus membranas urethræ perforat, oritur fiſtula penis, aut perinæi; urina nempe per urethram egreſſa ingreditur cellulofam, tumorem format, & multiplices fiſtulas in peri-

1) Aſtruc de morbis venereis L. 3.

perinæo, inteſtino recto, ſeroto, femoribus, regione pubis, fiſtulæ hæ diuturnitate magis calloſæ fiunt, & illis accreſcit materies ſabuloſa urinæ. Obſervatum eſt 1) per omnia hæc loca ſimul urinam, & tenuiores fœces tranſiviſſe, dum facta anatome conſtitit, urethram in unico loco fuiſſe perforatam.

Præterea a ſuppuratione obſervatum eſt naſci, 2) tumores urethræ ſquamoſos, tumores varicoſos, & ſepta 3) urethræ oblonga aut transverſa. Si membrana urethram a facie interna inveſtiens in quodam loco a ſuppuratione conſumitur, aut a pure juxta ejus ſuperficiem diu defluente relaxetur, oriuntur tumores ſquamoſi, qui fiunt a corpore cavernoſo urethræ; nam ſi reſiſtentia, quam corpori cavernoſo in ſtatu naturali fecerat membrana urethræ interior ablata aut imminuta ſit, neceſſe eſt, ut corpus cavernoſum dum ſanguis in ejus cellulas influit, urgeatur in locum hunc urethræ, qui prorſus non, aut minus quam naturaliter reſiſtit; eodem prorſus modo, quemadmodum a minus reſiſtentibus tunicis in loco quodam arteriæ, fit tumor aneuriſmaticus, hos tumores Goulard deſcribit ſub nomine carnoſitatum ſqammoſarum urethræ. Experientia illum docuit, ſedem horum tumorum potiſſimum eſſe in foſſa naviculari, & bulbo urethræ prope verumontanum, & conſtare ait exemplum tumoris hujus ſpecici, qui ſæpius

ita

1) Fabre Traité des maladies veneriennes Tome I. de la Strangurie.

2) Goulard Traité des Maladies de l'uretre.

3) Scharp critical Enquiry &c.

ita increvit, ut per orificium glandis egrederetur, quem æger ſemper abſcidit: argumentum de exiſtentia tumorum hujusmodi cl. Goulard etiam deſumit ex ſectione cadaverum, dum enim urethras eorum diſſecaret, qui obſtaculis cathetere perceptis ad mortem usque laborarunt, factum eſt, ut nonnunquam nullum veſtigium excreſcentiæ aut tumoris cujusdam reperiret, unde concluſit, quod obices urinæ, quos vivente ægro cathetere percipiebat, fuerint tumores ſquamoſi, qui ceſſante vita evanuerunt, quia ſanguis non amplius in cellulas corporis ſquamoſi urgetur, & cellulæ ſua elaſticitate, appropinquante morte ſe in naturalem ſitum reſtituant, & ſic tumor evaneſcat; id autem fieri non poteſt, niſi tumores hi ſint recentes, ut ſanguis in cellulis nondum ſit inſpiſſatus.

Simili prorſus ratione oriuntur tumores varicoſi urethræ; dum enim a pure defluente laxantur membranæ venarum, ſanguis in hæc loca minus reſiſtentia magis influit, ea dilatat, & tumores efficit indolentes, qui cavum urethræ anguſtant; varices hæ nonnunquam aperiuntur, & ſanguinem fundunt. Sectio cadaverum docuit Cl. Goulard, quod ſedes harum varicum frequentior ſit in initio urethræ prope collum veſicæ, quam in reliquo ejus decurſu. Non minus apte huc referri poſſe videntur ſepta membranacea urethræ: ſi enim pus continuo effluens macerave-rit membranam urethræ interiorem, & in lamellas ſeparaverit, contingit, ut talis lamellæ alterum extremum accreſcat in loco quodam exulceratæ urethræ, & ſepta oblonga fiant, aut transverſa, prout lamella juxta directionem canalis,

lis, aut in latus ejus oppositum accrescit; notum enim est, quam partes crudæ facile inter se coalescant. Existentiam septorum membranaceorum docuit sectio cadaverum: Cl. Scharp 1) reperiebat penes verumontanum filamentum tranverse per urethram progrediens, & catheteris introductionem impediens: in alio reperiebat similia filamenta, quorum unum erat longum novem lineas, & accretum binis suis extremis jnxra longitudinem urethræ; in tertio invenit fluctuantem excrescentiam libere pendentem, quæ figura sua repræsentabat valvulam tricuspidalem cordis.

Omnia hæc obstacula urinæ obicem ponunt, & cavum urethræ pro ratione suæ magnitudinis, magis, aut minus anguştant, & sic producunt stranguriam habitualem: cujus symtomata sunt, 2) inquieta & frequens sollicitatio ad mictum, nixus ingens in urinæ excretione, nec tamen in arcum ejaculari potest, effluxus urinæ, & seminis tenui filo, aut in plura filamenta divisi, dysuria & seminis emissio dolorifica, seminis inæqualis & interrupta ejaculatio, aliquando effluxus puris, saniei, sanguinis, morbo aucto oritur ischuria, & mala inde pendentia; Cognoscitur situs, numerus, magnitudo horum obstaculorum, si possit fieri exploratio introducto catetere, aut candelula: de specie eorum ferri aliquando potest certum judicium; si enim pus prodeat, ac in inferiore penis parte, aut in perinæo indurationes per-

1) Critical Enquiry &c.
2) Astruc de morbis Venereis lib. 3.

percipiantur, id ſignum eſt, adeſſe ulcus calloſum; ſi pus prodeat ante urinæ eruptionem, ſignum eſt ulcus in ſupetficie interiore urethræ hærere, & quod pus ab urina a tergo urgente propellatur; ſi vero pus ſequatur urinæ excretionem, ſignum eſt ulcus locatum eſſe in proſtata, aut veſiculis ſeminalibus, quæ ulcera pus ſuum evacuant, dum actione muſculorum acceleratorum comprimuntur, & concutiuntur hæc ulcera: ſi ſæpius ſanguis effluat ſine alia cauſa manifeſta, id docet adeſſe tumorem varicoſum; ſi vero nihil effluat, ſignum eſt adeſſe excreſcentias, ſive carunculas, cicatrices, aut ſepta urethræ transverſa, quæ ſpecies non adeo certe a ſe invicem diſtingui poſſunt. Cl. Daran 1) ſtatuit, obſtacula hæc, ſi non ſemper, certe frequentiſſime eſſe excreſcentias, ſive carunculas, & cicatrices calloſas, quæ poſt male tractata ulcera ſuperſtites ſunt.

Varia auxilia contra ſtranguriam fuere excogitata, quæ breviter recenſebo. 2) Cl. la Faye in ſtranguria, quæ oritur a calloſitatibus, ſuadet inciſionem urethræ. In hunc ſcopum æger in eum componitur ſitum, qualis eſt in lythotomia apparatu magno inſtituenda, deinde catheter ſulcatus in veſicam ducitur, ſcrotum ab aſſiſtente elevatur, & fit inciſio a latere raphes ſuper ſulcum catheteris. Si vero catheter ſatis introduci nu-

1) Obſervations chirurgicales des maladies de l' uretre.

2) Obſervations chirurgicales des maladies de l' uretre.

non poſſit, ut ſerviat pro itinerario, & in ſulco ejus fieri poſſit inciſio, diſciſſis integumentis, in urethram introducendus eſt troicar, qui in cannula ſulcata reconditus eſt, eo loco, ubi finitur inciſio in lythotomia per apparatum magnum, dein ſulco cannulæ applicatur lanceola, cujus apice fit inciſio ſufficientis magnitudinis, diſcinduntur fiſtulæ, calloſitates, & proſtata, ſi ſcirrhoſa eſt; per vulnus factum introducitur cannula in veſicam, vulneri applicatur ſetaceum, illitum unguento digeſtivo, cui adjunguntur partes anaticæ pulveris mercurii præcipitati rubri, & aluminis calcinati, cujus major aut minor quantitas admiſcetur, juxta neceſſitatem, ſi neceſſe eſt, illiniuntur ungento hoc compoſito plumaceola, & cannula, excepta ejus extremitate, qua in veſicam immittitur, ne alumen, & mercurius præcipitatus, ruber inflammationem veſicæ producant.

Cel. Aſtruc 1) dicit, quod hæc methodus brevi poſt inventionem ſuam iterum exoleverit, quia facta operatione canalis a cicatrice inducta fuerat conſtrictus, & nonnunquam magis anguſtus evaſerit, quam erat ante operationem.

Cl. Dionis 2) contra cicatrices calloſas ſuadet introductionem condelulæ, quæ in extremitate, qua in urethram immittitur, excavata eſt, ad recipiendum remedium cauſticum; candela re-

lin-

1) De morbis venereis L. 3.

2) Cours d' Operations de Chirurgie troiſieme demonſt.

linquitur duabus aut tribus horis cicatrici contigua, ut partem ejus in eſcharam convertat, & hac ratione quotidie agitur, donec cicatrix ſuppuratione integre conſumpta ſit, dein injectiones fiunt detergentes & exſiccantes, & catheter plumbeus, qui mercurio vivo fricatur, frequenter immittitur, ut naſcatur cicatrix ſuperficiaria.

Sed facile patet, quod caveri nequeat, quin partes ſanæ a cauſtico tangantur, & propterea ſpaſmi, inflammatio & mala inde pendentia producantur. Cl. Daran 1) obſervavit, quod cauſticum adhibitum produxerit in vicinia carnoſitatis fiſtulam, & præter deperditionem ſubſtantiæ urethræ, etiam membrana, quæ inveſtit corpora cavernoſa penis, fuerit eroſa.

Alii quotidie turundam in cavum urethræ ope cannulæ argenteæ immittebant, quam aliquot horis ſupra obſtacula relinquebant, & dein per filum ei annexum iterum educebant. Sed hoc pariter nullum eſt auxilium, nam ea ratione, qua turunda canalem ſibi contiguum dilatat, ea ratione reliquus tractus canalis anguſtatur; præterea ſi filum rumpatur, qualem caſum refert Cl. Daran, 2) fieri poteſt, ut turunda tumida nequeat alia ratione educi, quam facta inciſione urethræ.

Cel.

---

1) Obſervations chirurgicales des maladies de l'uretre.

2) Ibidem.

Cel. Aſtruc 1) commendat contra ſtranguriam introductionem cylindri plumbei, tales, decem, aut duodecim parantur, craſſiſſimus æquat diametrum calami ſcriptorii, reliqui diametro inſenſibiliter decreſcunt. Poſt excretionem urinæ cylinder tenuiſſimus oleo amygdalino illitus in urethram immittitur; bonum eſt, ſi prima ſtatim vice in veſicam perduci poſſit, ſi autem ea felicitas non ſit, lenta & levi preſſione adhibita contra obſtaculum agitur, & ſic ſenſim ulterius promovetur, donec quotidie repetito hoc opere in veſicam perveniatur, in ea relinquitur tribus, aut quatuor horis, quod continuatur quotidie, donec facile introduci, & extrahi poſſit, dein adhibetur cylinder majoris diametri, & proceditur eadem ratione, & ſic cum cæteris.

Si cylinder maximi diametri cum facilitate introduci, & extrahi poſſit, ſignum eſt, obices urinæ eſſe complanatos, & eam pleno canali poſſe effluere. Poſtquam eo perventum eſt, uſus horum cylindrorum non ſubito intermittendus eſt, ne propter rarefactionem ſanguinis, obices compreſſi denuo aſſurgant; hinc neceſſe eſt, ut per aliquod tempus, omni die, dein omni tertio die, tandem omni menſe aliquoties cylinder per horam in urethra portetur.

Ex his apparet, quod Cel. Aſtruc deſperaverit de cura radicali hujus morbi, & contentus fuerit hac methodo ægrum a moleſta ſtranguria, & lethali iſchuria præſervare. Huic igitur methodo

1] De morbis venereis, L. 3.

do Cl. Daran 1) id ipsum objicit & dicit: etsi non prorsus condemnat usum hujus remedii, cum melius sit uti remedio palliativo, licet imperfecto admodum, quam se exponere ischuriæ lethali, interim tamen optandum esse, ne ægri, qui suæ curationi se submittunt, hac methodo usi fuerint, quod malum curationi suæ longe pertinacius resistat, quia urinæ obices cylindris plumbeis compressi magis indurati fuerunt, hinc longe difficilius ab actione sui remedii penetrentur; præterea, etsi plumbum flexile sit, fieri tamen posse, ut motu quodam extraordinario corporis frangatur, & frustum in vesicam delapsum basin calculo vesiciæ præbeat, aut si frustum in urethra hæreat, incisione educendum sit.

Author hic tractatum edidit de morbis urethræ, in quo recenset varias methodos medendi ab authoribus laudatas, atque examine facto cujusque methodi, decernit illas partim palliativas, partim crudeles & nocivas esse, suum vero remedium multis locis commendat, & dicit, illud urinæ obices aufferre sine ulla ægri molestia, sic lectorem per totam suam dissertationem suspensum tenei desiderio illius remedii; in ultimo capite dicit se satisfacturum quondam curiositati lectoris, nunc se obligatum esse mysterium facere de invento suo remedio. In edita dein tractatione de 2) Gonorrhæa virulenta, illud fini hujus operis subjungit, & sequenti modo confici jubet.

Pa-

1) Observations chirurgicales de maladies de l'uretre.

2) Traite de la Gonorrhæi virulente.

Parartur conus ex chalybe pedem longus, cujus basis est diametri lineæ unius, apex vero non ultra duas tertias lineæ æquat; basis hujus coni immittitur cannulæ cupreæ, quæ longa est duos pollices, & exacte conum amplectitur, in extremitate cannulæ est fissura aliquot linearum & supra illam parvum foramen, per quod introducitur filum ex aurichalco confectum, filum per fissuram educitur, ut possit replicari nodusque formari, dein introducitur conus in cannulam, ut firmiter ei inhæreat, & filum spiris arctissimis super cannulam torquetur; dum ad extremitatem coni perventum est filum replicatione facta abscinditur. Filo huic in formam canalis convoluto juxta totam ejus longitudinem applicari debet tela emplastro obducta, quæ secta sit instar trianguli isocelis truncati, longa decem pollices, latus respondens basi coni pollicis unius, latus superius sex aut septem linearum, margines laterales filo serico consuuntur. Machina ita confecta inter duos lapides marmoreos bene rotatur, & lævis redditur.

Stilus hinc canali immittendus paratur ex filo aurichalci, quod aliquantum crassius esse debet, quam illud quod pro confectione canalis fuit adhibitum, & longum viginti duos pollices, filum hoc exacte duplicatur, ut longitudo ejus sit undecim pollicum, extremum stili intingitur plumbo fuso, ut gutta ei adhæreat, quæ exacte rotunda & pollita redditur, ut supra genam agitata nullum dolorem excitet. Stilus continuo in cannula permitti debet, ne orificium ejus possit claudi, & urinæ effluxus per eam impedi-

ri

ri. Emplaſtrum quo canalis circumvolvitur eſt ſequens.

R. Ceræ viridis unc. viij.

Raſuræ oſſis ſepiæ unc. iij.

Ung. roſacei — unc. ij.

Fundantur ſuper lenem ignem, continuo movendo ſpatula lignea, donec ſufficiens ſit conſiſtentia, quod cognoſcitur, ſi apicem digiti leviter inungas materia ſpatulæ adhærente, & materies refrigerata facile inde poſſit ſeparari; tunc immergitur tela holandica, & ſcinditur pro uſu deſcripto.

Hoc inſtrumentum ſe inveniſſe dicit providentia divina in felicitatem generis humani; dum enim urethra cicatricibus calloſis, carnoſitatibus obſeſſa iſchuriam cauſat, inſtrumentum hoc propter ſuam flexilitatem facile in veſicam introduci poſſe, dum alias neceſſe eſſet, ægrum ex iſchuria mori, aut puncturam perinæi inſtituere.

Præterea laudes de virtute hujus remedii ſparſim prædicat ſequentes: quod non agat vi inflammante & ſuppurationem generante, ſed reſolvente, hinc in urethram introductum non producere ulcera, ſed illud carnoſitatibus & cicatricibus calloſis contiguum ſpatio quatuor horarum, ſæpe breviore tempore, materiem in illis contentam & inſpiſſatam reſolvere, quæ priſtina fluiditate recuperata tanquam ex recenti ulcere per urethram effluit, qui effluxus tamdiu ſuſtine-

tur, donec omnis materies morbi reſoluta & eliminata ſit, poſtea ulcera ſponte conſolidari: ex his patere, hanc methodum non eſſe palliativam, ſed ægrum a recidiva ſecurum eſſe poſſe: ſæpius quidem catheterem hunc flexilem non ultra aliquot lineas in urethram introduci potuiſſe, ſed obſtacula qnotidie magis fuiſſe penetrata, ac reſoluta vi remedii contigui, donec tandem prorſus evaneſceret, catheter in veſicam introduci, & remedium juxta totam mali extenſionem applicari potuerit. Si præter urethræ obſtacula adſint fiſtulæ perinæi, has non exigere ſingularem medelam, dum enim obices urinæ aufferuntur, & ulcera conſolidantur, urina naturali via effluit, & fiſtulæ ſponte conſolidantur. Si vero ulcera calloſa, excreſcentiæ, ſcirrhus proſtatæ, aut veſicularum ſeminalium ſint cauſæ ſtranguriæ & iſchuriæ, in his caſibus ſuum remedium non juvare, quia his partibus applicari nequit, ſed magna felicitate generis humani contingere, quod hæc mala rariſſima ſint, quemadmodum docent felices & innumeræ ſuæ curationes. Diſſertationem hanc ſequitur magnus catalogus curationum a ſe factarum, & pro majori fide adjungit reſtimonia medicorum & chyrurgorum.

Cl. Goulard 1) ſimilis eſt ſententiæ de actione candelarum a ſe inventarum, quas ingreditur extractum ſaturni, cujus vim eſſe reſolventem multis argumentis 2) contra ſententiam communem contendit evincere, inter cetera ait: per de-

1) Traité des maladies de l'uretre.

2) Traité ſur les effets de preparations de plomb.

decem annos, quibus præsidet nosocomio venereorum Monspelii, bubones venereos non fuisse incisione apertos, sed applicatione cataplasmatis ex mica panis & extracto saturni ita resolutos, ut pus attenuatum per poros cutis transudaverit, dum ante inventionem sui remedii quotidie fere erat necesse operationem instituere, & eadem ratione candelulas suas in urethra agere. Extractum saturni sequenti modo parati jubet.

℞. Lythargirii libr. jj.

Aceti vini. Mens. jj.

Ebulliant per 1 1/4 h. Movendo spatula lignea, dein massa detur quieti, & liquor supernatans in lagenas effundatur.

Formula pro conficiendis candelulis.

Ceræ libr. iij.

Fusæ adde. Extr. Sat. unc. 1. β.

Move spatula lignea ad exactam permistionem; massæ eousque refrigeratæ, ut non nimis fluida nec admodum consistens sit, intinge telam teneram, quam rite imprægnatam extrahe, & siccatam scinde in portiones angulosas, quas digitis, & dein inter duos lapides marmoreos convolve, ut debitam acquirant firmitatem. Parentur tales candelulæ diversæ longitudinis & diametri, longissimæ sint novem pollicum. Has candelulas fortiores requiri dicit, & curam citius absolvere, si adsint cicatrices aut margines ulcerum calloſi. In his igitur casibus ad libram unam ceræ sumitur uncia una extracti saturni. Usui harum candelarum præmittere suadet can-

delas ſimplices, quæ parantur ex cera & ſebo hircino, ut hac ratione urethra aſſuefiat impreſſioni candelarum compoſitarum, atque præcaveatur ſtranguria, quæ alias excitari ſolet. Candelæ oleo amygdalino illitæ in veſicam introducuntur, ab initio adhibentur tenuiſſimæ, dein diametri continuo majoris; ſi autem in veſicam uſque introduci nequeat, tenetur ſuper obſtaculum, & leni agitatione tentatur ulterius promoveri, ita bis de die per horam & dimidiam proceditur. Hac methodo curationem intra menſem abſolvi poſſe dicit.

Cl. Foot 1) dicit ſe inveniſſe remedium contra obſtacula urethræ, quod omnibus uſitatis candelulis præſerendum eſt, & omnes candelulas ſuppurativas dictas ſola preſſione ad obſtaculum ægere, effluxum humoris quem Cl. Daran, & Goulard dicunt eſſe reſolutam materiem in obſtaculis inſpiſſatam dependere ab irritatione glandularum, quæ ductibus ſuis excretoriis in urethram patent, & quocunque corpore heterogeneo immiſſo irritatæ majorem muci quantitatem excernunt.

Candelulæ debent eſſe tenues, elaſticæ, & fortes ſatis, ut urethræ obſtacula tranſcendere & comprimere poſſint, cui voto nullum corpus magis reſpondens reperitur, quam chorda tenuis, quæ unguento emolliente illinitur, & in ve-

1) Kritiſche Unterſuchung die Krankheiten der Harnröhre zu behandeln.

veſicam introducitur, immiſſa chorda attracta humiditate urethræ intumeſcit, & eam ſenſim ſine dolore dilatat, quoties æger urinam excernit chorda extrahitur, & poſt urinæ excretionem craſſior chorda introducitur; ſic agitur, donec canalis ſufficienter ſit dilatatus. Si diligenter hac methodo procedatur, ſtranguriam productam a quacunque ſpecie obſtaculorum urethræ paucis diebus curari inquit. Si urinæ obices fuere cicatrices calloſæ, ſepta urethræ transverſa, carnoſitates, impediendum eſt, ne hæc obſtacula denuo elevantur, & recidivam cauſent, in hunc ſcopum laudat candelas a Goulard inventas, quarum vis ſtiptica propter extractum ſaturni ſubſtantiam horum obſtaculorum arctiſſime conſtringit & minuit; ita igitur theoria hujus authoris ab illa Goulardi de actione harum candelarum maxime recedit; nam ait, plumbi ejusque præparatorum vires eſſe ſtipticas, non autem reſolventes, nulli chemiæ tyroni ignotum eſſe poſſe.

Si ex ſignis ſupra recenſitis cognoſcatur, cauſam ſtranguriæ eſſe ulcus colloſum urethræ, fruſtra ſperatur curatio, ſi calli non reſolvantur, quod obtineri inquit, ſi æger quotidie per dimidiam horam vaporem aquæ tepidæ admittat, perinæum inungatur unguento cæruleo fortiſ; ſi adeſt ſuſpicio miaſmatis venerei, ad majorem ſecuritatem exhibetur mercurius ea doſi, ut neque ſalivatio nec diarrhæa excitetur, interim urethra ope chordæ immiſſæ dilatata tenetur. Hanc methodum dicit nunquam fallere, & cellis ablatis ulcera ſponte conſolidari.

Ejusdem ſententiæ eſt celeberrimus Aſtruc, 1) qui dicit. „ Adhibentur ad reſolutionem „ callorum emollientia, & unguenta mercurialia „ ſi luis ſit ſuſpicio, ut lymphæ concilietur flui„ ditas, quin imo, etiamſi liqueat nullam latere „ luem, ſi non hydrargiroſi plena, qua tunc opus „ eſt, at ſaltem levioribus inunctionibus unguen„ ti mercurialis inſiſtendum eſt, raro quidem, „ nempe ſemel qualibet hebdomada, ſed diu, „ per tres quatuor ve menſes iterandis. Do„ cuit nempe experientia, vix alterum remedium „ ad promovendam reſolutionem callorum illito „ mercurio efficacius eſſe, præſertim vero, quo„ ties hærentis limphæ ſpiſſitudo ab inſpiſſato „ ſeminio venereo primum orta eſt. “

Recenſitis malis, quæ ab ulcere urethræ naſcuntur, & variis methodis curandi ab authoribus laudatis, ſupereſt, ut reliqui inflammationis exitus breviter recenſeantur.

Si remedia antiphlogiſtica ſero aut fruſtra adhibeantur, atque inflammatio in gangrænam abivit, id cognoſcitur, ſi dolor, calor, iſchuria præter rationem ſubito ceſſent, & in eorum locum ſuccedat flacciditas, gravitas, puſtulæ lividæ, pulſus debilis. In hoc caſu neceſſe eſt locum ſcarificare, donec dolor oriatur, & ſanguis bonæ notæ effluat, & ſtrenue adhibenda ſunt remedia antiſeptica, inter quæ efficaciſſima ſunt cortex peruvianus, radix arnicæ, camphora, acida mi-

ne-

1) De morbis venereis. L. 3.

neralia, quæ remedia interne varia forma, externe forma fomenti continuo applicanda ſunt, usque dum in locis ſcarificatis pus ex albo flaveſcens læve & æquabile conſpiciatur, dein ulcus lege artis, ut jam ſupradictum eſt, tractatur.

Si his conſtantiſſime adhibitis gangræna nihilominus in latum & profundum ſerpat, ſphacelus adeſt, cujus ſigna ſunt, ſi in parte quadam penis aut perinæi adſit inſenſilitas, frigus, flaccidita, gravitas, puſtulæ, nigræ, quas circumdat margo lividus, puſtulæ ſiccæ & fœtentes evadunt, margo lividus puſtulis nigris impletur; atque ne malum ita ſerpat, totum penem & reliquum corpus aggrediatur, ac lethale ſit, nihil ſupereſt quam amputatio faciendæ ſupra partem ita affectam: hæmorrhagia finitur vaſorum ligatura, compreſſione, aut conſtrictione ope remediorum ſtipticorum, prout aptius videbitur, & neceſſitas poſtulabit, ulcus natum lege artis conſolidatur.

Si inflammatio in proſtata aut glandulis cowperianis ſcirrhum produxerit, id cognoſcitur, ſi in perinæo ad anum aut ejus vicinia adſit tumor durus, indolens, & ſtranguria. Indicario eſt hos tumores reſolvere. Experientia probavit huic indicationi efficaciſſime ſatisfieri, ſi interne aſſumatur extractum cicutæ, aconiti, quibus utiliter jungitur ſulphur auratum antimonii tertiæ præcipitationis, largus potus aquæ ſelteranæ; topice applicanda ſunt cataplaſma aut emplaſtrum de cicuta: dum interim adhibentur remedia humorum motum temperantia, & ſingulari cuique acrimoniæ peccanti contraria, & omni ſollicitu-

dine evitantur eæ occaſiones, quæ ſanguinem rarefaciunt & vehementius movent, præcipue incaleſcentia a potu ſpirituoſo & venere, quæ maxime vias urinarias afficiunt: hac methodo fit, ut ſcirhus recens curetur, & vetuſti incrementum ac degeneratio in cancrum præcaveatur.

Si vero propter pravam diætam, aut perverſam curationem tumor incipiat augeri, calere & dolere, cancer occultus adeſt, contra quem modo dictum moderamen & medicamenta obtinent, adjunctis propter dolorem & vigilias narcoticis.

Cancer occultus in apertum degeneraſſe cognoſcitur, ſi per urethram aut perinæum ichor acer fœtens prodeat, & ulcus naſcatur, cujus labia tument, retorquentur, & quod undique ambiunt venæ infarctæ. In hoc triſti caſu præterea faciendæ ſunt injectiones ex infuſo foliorum cicutæ, ulcus ab acceſſu aeris defendendum eſt, & ſymptomatibus urgentibus lege artis occurendum eſt. Hac methodo malum reddituſ tolerabilius, & ægri vita, quantum in medico eſt, protrahitur.

Hæ ſunt affectiones, quæ a cauſis omni inflammationi communibus oriri poſſunt, frequentiſſima vero cauſa horum malorum eſt virus venereum, quod in coitu impuro urethra ſuſceptum eam inflammat, exulcerat, & perpetuum puriformis aut virideſcentis materiei producit ſtillicidium, quæ frequens affectio gonorrhæa virulenta dicitur; cujus ab illuſtriſſimo L. B. de Störk 1) ſequens fit deſcriptio.

„ Ra-

1) Præcepta medico practica &c. Tom. II. De lue venerea.

„ Raro admodum primo ſtatim aut ſecun-
„ do ab impuro congreſſu die aliqua adſunt go-
„ norrhææ prænuncia. Ut plurimum autem quar-
„ to, quinto, ſexto die, aut ſerius etiam accidit,
„ ut infecti titillantem in fine urethræ pruritum
„ percipiant, & ardorem, qui ad omnem urinæ
„ excretionem augetur, demum ſæpe ad initium
„ urethræ dolens obſervatur rubedo, & viſcoſus
„ aquoſus mucus exſtillat. His præſentibus do-
„ lores per totam propagantur urethram, mi-
„ ctumque valde moleſtum reddunt, penis ere-
„ cta rigeſcit & incurvatur, & perinde intollera-
„ biles, ardentes tenſiones in teſtibus vicinis-
„ que partibus cauſatur contractio. Tota ſub-
„ inde glans inflammatur, mingendique augetur
„ ſtimulus & dolorificus magis adhuc evadit,
„ pariter in glande & præputio profunde rubræ,
„ cum ſummo ardoris ſenſu ſtipatæ maculæ,
„ ſimiliaque tubercula aut ulcera proveniunt ro-
„ dentia: ſæpe præputium inflammatur totam
„ contegens glandem, eandemque non ſine do-
„ lore comprimens, ut ſic tam urinæ quam ma-
„ teriæ malignæ profluvio obſtaculum ponat,
„ ſæpe vero præputium retro glandem inſtar
„ collare contractum inflammatum & adeo tu-
„ mens viſitur, ut collum glandis firmiter ſtran-
„ gulet, ſanguinis ſiſtat regreſſum, & citiſſime,
„ ſi præſertim acrimonia valde maligna ſit, gan-
„ grænam inducat: hoc verò malum paraphymo-
„ ſis audit. Quamdiu dolorum perſiſtit vehe-
„ mentia, & urethra tenditur, tamdiu materiei
„ effluxus rite non ſuccedit, utprimum vero hæc
„ remittunt, fluxus etiam liberior habetur & co-
„ pioſior. De materiæ profluentis malignitate
„ juxta coloris varietatem judicium fertur: al-

„ bida, flava, vel puriformis non adeo mali mo-
„ ris eſt, ac viridis, fuſceſcens, nigreſcens aut
„ fœtida; peſſima autem habetur, quæ putridæ
„ carnium loturæ ſimilis, aut viridis, aut ſan-
„ guine permixta. Si morbus regularem obſer-
„ vet decurſum & idonea adhibita fuerunt re-
„ media, profluens materies ex flavo viride-
„ ſcente aut fœtida in materiem ex albo flavam,
„ benignam, nec male olentem, puriformem
„ transmutatur, & demum tenuior, aquoſa; &
„ lenis evadit, nec æger peculiares ultra dolo-
„ res, & reliqua dicta ſymtomata percipit. "

Ex deſcriptione hac gonorrhææ patet, quod decurſus hujus morbi tria abſolvat ſtadia, nempe ſtadium inflammationis, ſuppurationis, relaxationis. A diverſitate horum ſtadiorum dependet ratio ſymtomatum; titillatio in fine urethræ, pruritus, ardor, dyſuria, dolor & rubedo ad initium urethræ, ſtillicidium muci viſcoſi & aquoſi, propogatio doloris per totam urethram, incurvatio penis, rigeſcentia, ardens dolorifica tenſio & contractio in teſtibus vicinisque partibus, ſymtomata hæc pertinent ad ſtadium inflammationis. Nam virus venereum gaudet acrimonia ſpecifica, hinc urethram irritat, qua irritatione neceſſario lenis excitatur inflammatio, quæ in ſenſili admodum urethra, titillantem pruritum cauſat, dum vero inflammatio continuo vehementior fit, ſenſus pruritus mutatur in ſenſum doloris, ardoris, & tenſionis, quæ pro gradu inflammationis vehementiora ſunt latiusque per urethram partesque vicinas diffunduntur, & augentur, dum urina ſuper partes inflammatas defluit, & dyſuriam cauſat. In partem inflamma-

tam

tam & partes ei vicinas major fit humorum affluxus; dum igitur ad glandulas urethrae & corpora cavernoſa penis major copia humorum affluit, ſequi debet ſtillicidium muci viſcoſi & aquoſi, & involuntaria penis erectio, cum autem urethra propter inflammationem tumeat, & tenſa ſit, non poteſt juxta longitudinem corporum cavernoſorum extendi, hinc fir penis deorſum incurvatio, gonorrhaea hoc ſymtomate ſtipata, dicitur gonorrhaea chordata; fit quoque ut penis ſurſum aut in alterutrum latus incurvetur, ſi nempe ligamentum, quo penis ſynchondroſi oſſium pubis jungitur, aut alterutrum corpus cavernoſum inflammatum ſit. Symtomata haec ad ſtadium inflammationis pertinere manifeſtum eſt.

Haec ſpecies inflammationis a viru venereo producta, non ſecus ac inflammatio ab aliis cauſis nata in ſuppurationem aut gangraenam tranſit; ſi morbus regulariter decurrat & debita methodo tractetur, in ſtadium ſuppurationis tranſit, oritur nempe puſtula ſubalba, ſquamoſa, erodens, mucoſa, inſanabilis vulgatis remediis, in latum magis quam profundum ſerpens; hujusmodi puſtula eroſa ulcus conſtituit ſaniem fundens, & vicina ſimiliter inficiens; phenomena quibus haec in urethra fieri docemur, ſunt remiſſio doloris, ardoris tenſionis urethrae, & partium vicinarum, & ſtillicidium humoris virideſcentis, nigricantis fœtidi, ſi gonorrhaea eſt pejoris ſpeciei: in peſſima ejus ſpecie ſtillicidium humoris putridae carnium loturae ſimilis, aut viridis aut ſanguine permixti. Humor hic ſtillans componitur ex materie ulceris, cujus varia eſt malignitas, ex affluxu muci aucto per glandulas urethrae, ex

ſan-

guine qui effunditur ex ruptis vaſculis urethræ ob vehementiam inflammationis; ruptura vaſorum tunc præſertim fit, dum penis involuntarie erigitur; tandem materies gonorhææ inquinata eſſe poteſt ſemine, ſi ulcus venereum alte in urethra hæreat, & ductus veſicularum ſeminalium in verumontano, aut ipſas veſiculas ſeminales eroſerit.

Materies ulceris, humores ad urethram copioſius affluentes, & debitum a medico ſuppeditatum vehiculum, virus venereum ſenſim inertius reddunt, & illud per urethram ex corpore eliminant; profluens materies pro ratione, qua virus venereum inertius redditur, ex flavo viridescente aut fœtida in materiem ex albo flavam mutatur, quæ continuo magis alba evadit, donec tandem omnis dolor, ardor, tenſio urethræ evaneſcat, & ſtillicidium ſit mere aquoſum, tenue, excolor; hic morbi ſtatus ſtadium relaxationis merito dicitur. Perſtat hoc ſtillicidium, quod durante ſtadio inflammationis & ſuppurationis, virus venereum ſtimulo ſuo majorem quantitatem muci in glandulas urethræ alliciebat, & poſtquam virus omne eliminatum eſt, natura conſueta ſit, præſertim ſi gonorhæa diutius duravit, humores maiori vi & quantitate in has glandulas determinare, quarum ductus excretorii propter diuturnum ſtillicidium muci & materiæ ulceris nimium dilatati, & relaxati humores affluentes continere nequeant, ſed illos dimittant. Cum vero virus venereum non amplius irritet, affluxus ex conſuetudine dependens ſenſim imminuetur, ductus excretorii ſe contrahent, & to-

num

num ſuum denuo acquirent, ſtillicidium ceſſabit, & omnia iterum ſe habebunt ſecundum naturam.

Ex ordine & ratione horum ſymtomatum igitur probatum eſt, quod gonorrhæa in tria dicta ſtadia dividenda ſit. Quod ſedem gonorrhææ attinet, authores ſtatuunt, eam eſſe in glandulis urethræ, quæ juxta ejus longitudinem patent ductibus ſuis excretoriis, aut in glandulis cowperianis, aut proſtata, aut veſiculis ſeminalibus, quod in gonorrhæa diutius durante plerumque plures harum partium ſimul affectæ ſint. Signa quibus hæ gonorhææ ſpecies a ſe invicem dignoſci poſſunt ſunt ſequentia. Si gonorrhææ ſedes ſit in proſtata, & veſiculis ſeminalibus, adeſt ſtillicidium copioſum, tumor & dolor in perinæo latus & altus, tumor, dolor, calor, teſtium; ſi tumor his in uno teſte ſolummodo obtineat, ſignum eſt, veſiculam ſeminalem ejusdem lateris ſolummodo affectam eſſe; ſi autem ambo teſtes tumeant utraque affecta eſt. Si gonorhææ ſedes ſit in glandulis cowperianis, adeſt tumor, & dolor perinæi minus extenſus, magis planus, ano vicinus, in uno aut utroque taphes latere, ſtillicidium parcius, ſymtomata gonorrhææ remiſſiora. Tandem ſi ſedes ejus ſit in glandulis reliquis urethrae, ſtillicidium eſt parciſſimum, & nullus in perinaeo tumor. Si vero gonorrhaea plures harum ſedium ſimul occupet, ſymtomata adſunt cuique ſpeciei propria.

„ Veritatem ſententiae hujus de ſede go-
„ norrhææ praeter rationem ſymtomatum pro-
„ bat anatome; Alexius Litre a) teſtatur, ſe

„ com-

1) Aſtmi de morbis venereis. L. 3.

„ compertum habere obſervationibus iteratis in „ cadaveribus eorum inſtitutis, qui dum mortui „ ſunt, gonorrhaea actu laborabant. “

„ 1. In gonorrhaea virulenta feminis con„ ceptacula nunc omnia, nunc pauciora, nunc „ ſingularia male affici. “

„ 2. Quaecunque affecta ſunt tenſa, dura, „ tumida, rubra, inflammata deprehendi. “

„ 3. Modo quidem humore putri, albo, „ flavo. viridi, referta eſſe, ſed tamen integra, „ & absque ullo ſuppurationis vel exulceratio„ nis indicio, quod rarum. “

„ 4. Modo vero ſuppurata, abſcedentia, „ eroſa, multifariam exulcerata, & purulento „ humore diverſicolore turgida, quod frequen„ tius eſt. “

„ 5. Emiſſaria, quibus conceptacula mor„ boſa in urethram hiant, phlogoſi & inflam„ matione ſemper, imo non raro ulcere tentari „ in extremo fine, qui in urethram abit. “

„ 6. Denique faciem internam urethrae ab „ emiſſariis illis ad ſummum uſque glandulae „ apicem humore eodem obduci, quo morboſa „ conceptacula turgent, & rubram eſſe atque „ phlogodeam, imo vero phlyctenoideam & „ ulceroſam. “

Gonorrhaea fœminarum, five fluor albus venereus, dependens ab exulceratione cellularum ure-

urethrae, aut glandulae cingentis orificium urethrae quoque pertinet ad morbos urethrae, & eſt gonorhææ virorum ſimillima.

Nunnunquam virus venereum in urethra inflammationem vehementem producit, quin ullum ſequatur ſtillicidium, affectio haec dicitur gonorrhæa ſicca: cujus ſedes eſt, aut in proſtata & veſiculis ſeminalibus; ptopter vicinitatem enim harum partium vix fieri poteſt, quin ſimul afficiantur: aut in membrana interiore urethrae & ejus cellulis.

Species hae a ſe invicem ſequentibus phœnomenis dignoſcuntur: ſi proſtata & veſiculae ſeminales inflammatae ſint, adeſt dyſuria, ſtranguria, nonnunquam iſchuria, tumor, dolor. calor, rubor perinaei, teſtium, & totius penis, Tumor penis oritur, quia vena in dorſo penis decurrens & progrediens in fovea proſtatae tumente hac glandula comprimitur, qua compreſſione fit, ut ſanguis ex corporibus cavernoſis, & cute penis difficulter & minori quantitate reduci poſſit, dum interim arteriae liberae ſanguinem continuo adferunt; ratio reliquorum ſymtomatum ex natura inflammationis, & ſitu glandulae proſtatae & veſicularum ſeminalium facile quoque intelligitur. Haec ſpecies gonorrhaeas admodum vehementes praecedere ſolet, aut ſupreſſas ſequi, & niſi cito ſtillicidium ſequatur, oritur abſceſſus perinaei, aut gangraena penis.

Si membrana urethrae interior, & ejus cellulae inflammatae ſint, adeſt quoque dyſuria, ſtran-

ſtranguria, ſed nullus tumor perinaei, & penis. Si inflammatio haec eryſipelatoſa non cito reſolvatur, oritur gangraena, quemadmodum in partibus membranoſis inflammatis conſuetum eſt.

Prognoſis in hoc morbo eo pejor eſt, quo frequentius aeger gonorrhaea laboravit, quo materies magis eſt viridis, fuſca, nigreſcens, foetida; aut putridae carniuni loturae ſimilis, quo propinquior ſedes ejus eſt collo veſicae & veſiculis ſeminalibus. Experientia enim conſtat teſte illuſt. L. B. de Störk 1), quod hic morbus eo malignior ſit, & curae reſiſtat eo pertinacius, quo ſaepius eundem hominem adoritur. Quo materies effluens magis eſt viridis, fuſca, nigreſcens, aut foetida, eo magis recedit a conditione boni puris, hinc denotat malignitatem ulceris, dum e contrario gonorrhaea eo eſt curatu facilior, quo magis materies effluens ad albidam, flavam, ſive puriformem accedit. Si ſedes gonorrhoeae eſt in collo veſicae, proſtata, veſiculis ſeminalibus, a ſuppuratione harum partium teſte illuſt. L. B. de Störk 2) maligna „ & incurabilia ulcera, ſinus & fiſtulae „ naſcuntur, aut etiam perpetuum urinae ſtilli„ cidium; ſi vero ipſa receptacula ſeminalia „ exulcerata ſint, conſumtionem indueens ſe„ minis ſtillicidium ſequitur; praeterea quo „ al-

1) Præcepta medico practica &c. de lue vener. T. II.

2) Præcepta medico practica &c. de lue vener. T. II.

„ altior:“ eſt ſedes gonorrhææ, eo majorem portionem urethræ ſanies præterfluit, & inficit; hinc ſedes morbi multiplicantur, dum e contrario gonorrhæa, cujus ſedes eſt in foſſa naviculari, aut fine urethræ, materiem ſuam eliminat, quin reliquæ partes afficiantur, & hujusmodi mala producantur.

Curatio gonorrhææ ab authoribus varia fuit adhibita: Celeberr. Sydenhamus de gonorrhæa agens dicit: „ Curationis omnis cardo in re„ mediis catharticis vertitur, quantum hucuſque „ uſu comperimus, quorum auxilio vel educitur „ humor peccans, vel procuratur diverſio ſucco„ rum corporis naturalium, qui aliter hoſti in „ pabulum cederent. “ In hunc ſcopum elegit valida purgantia, hydragoga dicta: nempe jalapam, ſcammoneum, aloen, collocyntiden, mercurium dulcem, turbith minerale.

Paulus Hermann adhibuit bolum compoſitum ex opio, terebinthina venera, rhabarbaro, & mercurio dulci.

Muzitan uſus eſt mercurio præcipitato viridi, tanquam ſpecifico doſi duorum granorum uſque ad quatuor, aut trium uſque ad quinque; & præterea reſina guajaci.

Fridericus Hoffmannus tanquam medicamentum in hoc morbo maxime conveniens commendat uſum ſachari ſaturni.

Thomas Bartholinus, Liſtre, Blancard, Alberti dicunt, quod uſi fuerint maximo cum ſucceſſu cantharidibus in ſubſtantia aut in infuſo.

Has curandi methodos authores ceterum clari in gonorrhæa coumendant, quarum perverſitatem ſymtomata hujus morbi conſiderans facile intelligit; adeſſe enim in hoc morbo inflammationem urethræ, quæ febrem in univerſo corpore, aut ſaltem in parte affecta excitat, ſupra demonſtratum eſt, purgantia hydragoga, terebinthina, reſina guajaci, cantharides, omnia hæc medicamenta ſtimulando febrem augent, igitur neceſſe eſt, ut inflammatio in gangrænam tranſeat, aut ſtillicidio ſuppreſſo virus venereum varias faciat meraſtaſes, in teſtes, glandulas inquinales, aut reliquas corporis partes, quod malum dicitur lues venerea. Si autem felicitate ægri mala hæc non naſcantur, ſaltem virus venereum altius in urethram adigetur, glandulas cowperianas, proſtatam, veſiculas ſeminales aggredietur, a quarum partium exulceratione multiplices perinæi, ſcroti, ani fiſtulæ, gonorrhæa, ſtranguria habitualis producuntur, ut cuique phyſiologo manifeſtum eſt.

Hæc ſunt mala quæ perverſam gonorrhææae tractationem ſequuntur, & quibus teſte illuſt. L. B. de Störh 1) „ aptiſſimi ſæpe homines „ abripiuntur, aut ſaltem ita mutilantur, & miſeri redduntur, ut optima ætate, in qua maxi-

„ ma

1) Præcepta medico practica T. II. De lue venereis.

„ ma agilitate florere deberent, penitus jam e-
„ nervati ad pleraque inhabiles negotia, oneri
„ ſint reipublicæ. "

Symtomata gonorrhæae aliam longe ſuadent curandi methodum, & evincunt maximae utilitatis eſſe, ut ad decurſum hujus morbi attendatur, qui tria ſtadia abſolvit: quod ſi negligatur, fieri aliter non poteſt, quam ut curatio ſit empyrica, caſu fortunata, ſaepiſſime novica, conſequenter medico indigniſſima. Quemadmodum ex deſcriptione ab illuſtriſſimo Praeſide data patuit, morbum hunc in tria ſtadia dividendum eſſe, ſic quoque curatio, quam praeſcribit, cuique ſtadio ſingularis eſt.

Quamprimum igitur poſt coitum ſentitur titillatio in fine urethrae, pruritus, ſigna incipientis inflammationis, ſtatim aegro commendari debet moderamen in febribus inflammatoriis adhiberi ſolitum, nempe quies corporis & animi, abſtinentia a potibus ſpirituoſis, cibis aromaticis, ſalinis, & difficilioris digeſtionis. Medicamenta vero ordinantur mucilaginoſa, nitroſa, cum copioſo vehiculo diluente, externe adhibentur cataplaſmata, fomenta, balnea emollientia. Si haec omnia in initio morbi diligenter obſerventur, inflammatio non raro benigne reſolvitur. Si ſymtomata inflammationis primis ſtatim diebus vehementia ſint, ut febris in univerſo corpore excitetur, praeter prius dicta, venae ſectione febris debite moderanda eſt; maximi quoque momenti eſt, ut interim, dum haec fiunt, alvus aperta ſervetur, notum enim eſt, ab alvo clauſa febrem naſci, & praeſentem exacer-

bari; in hunc finem autem adhiberi non debent nisi medicamenta eecoprotica. Cremor tartari cum pulpa prunorum, pulpa tamarindorum, manna, roob sambuci, in hoc casu summae sunt utilitatis. In hoc igitur stadio nullus respectus habetur virus venerei, sed solum inflammationis, tanquam effectus ab eo producti.

Si propter malignitatem infectionis, vitium aegri, perversam tractationem, aut serius adhibita remedia, inflammatio transit in suppurationem, atque effluat humor ex viridi flavescens, fuscescens, sive pejoris indolis, in hoc stadio indicatio est, ulteriorem infectionem praecavere, aut corrigere, & sic aegrum a lue venerea securum reddere.

Ulterior infectio praecavetur, si aegri omne vitium sex rerum non naturalium, quod febrem excitare posset, sollicite evitet, conveniet igitur moderamen in statu inflammatorio commendatum; praeterea necesse est, ut aeger utatur larga quantitate potus mucilaginosi, & balneo penis repido ex iisdem parato: ita fiet, ut materies quam ulcus fundit, per vias relaxatas facile effluat, & urinæ secretio augeatur, cujus frequens excretio materiem ulceris eluit, sic igitur impeditur, ne sanies retenta profundius exulceret, & nova ulcera generet.

Eadem methodo, qua ulterior infectio praecavetur, ulcus praesens simul depuratur; injectiones in hunc scopum adhibendae non sunt, ne sanies in prostatam & vesiculas seminales deferatur, tutius longe est, ut urina a tergo adveni-

ens

ens eam alveo ſuo ſecum abripiat. Si vero materies ulceris propter tenacitatem effluere nequeat, & urinae reſiſtat, ad tenacitatem ejus attenuandam ſaepius de die lenis inſtituenda eſt injectio ex decocto mucilaginoſo, addito melle & nitro.

Altera indicatio in hoc ſtadio eſt, materiem reſorptam evacuare, aut corrigere, ut aeger a lue venerea tutus ſit. Evidens eſt, quod in gonorrhaea materies ſanioſa reſorberi poſſit, quae initio quidem ſui ſigna non edit, ſed cauſa quadam procatarctica accedente tandem actuoſa fit, & ſymtomata producit, quae multos & varios morbos mentiuntur, dum dein a poſteriori conſtat, ſymtomata haec eſſe luis venereae, nam non cedunt medicamentis conſuetis, ſed curae antiſyphiliticae. Ad quod praecavendum praecipit illuſti. L. B. de Störk „ ut hoc ſtatu morbi „ praeter ſuperiora decocta omni quarto, ſexto, „ aut octavo die, prout circumſtantiae poſtulant, „ & aegri vires admittunt, aegro purgans exhi„ beatur " purgantia in hoc caſu non commendat eccoproticа, qualia in priori ſtadio fuere laudata, ſed rheum, jalapam, ſcammoneum, mercurium dulcem. Hiſce virus venereum oberrans in corpore ad alvum determinatur, & eliminatur, & ſimul gonorrhaeae malignitas mitigatur, quae a fomite venereo alitur, atque hoc in caſu mihi valere videtur ſententia ſydenhami, qui de gonorrhaea agens dicit: curationis omnis cardo in remediis catharticis vertitur, quorum auxilio vel educitur humor peccans, vel procuratur diverſio ſuccorum corporis naturalium, qui aliter hoſti in pabulum cederent.

Si autem aeger purgantia non ferat, aut gonorrhaea illis non cito & constanter emendetur, necesse est, ut illorum loco mercurius adhibeatur, & specifico hoc medicamento virus venereum corrigatur. Sunt authores, quorum sententia est, quod mercurius agat humores solvendo, & virus venereum per alvum, urinam, sudores salivationem critice evacuando; sed momentaneum fere levamen, quod ptæstat in lue, videtur docere, eum agere vi specifica, & adeo non requiritur evacuatio quædam critica, ut potius nociva sit, cum prius ex corpore eliminetur mercurius, antequam effectum suum præstare potuerit; quare curatio est incerta, metusque recidivæ. In hunc scopum præscribitur mercurius dulcis ad grana quatuor, mercurius sublimatus corrosivus ad granum dimidium, mercurius vivus purissimus sive ex cinnabari redivivus gummi arabico subactus, ad grana octo per diem; mercurius vivus trituratione cum omnibus salibus uniri potest. Exhibetur mercurius cum simplici aqua destillata, roob sambuci, syrupo fumariæ, extracto aconiti, nitro, sale ammoniaco prout habitus ægri sanguineus, pituitosus, scrophulosus, scorbuticus indicabit. Ad curam promovendam plurimum confert, si præterea pars, in qua gonorrhææ sedes est, quotidie, aut omni alterno die leniter fricetur unguento compositio ex parte una mercurii vivi purissimi, & quatuor partibus axungiæ porci,

Hac methodo satisfit indicationibus stadii gonorrhææ suppuratorii, quæ medicamenta tamdiu continuantur, donec materies effluens excolor, tenuis sit, quod signum est adesse stadium ter-

tertium, nempe ſtillicidium hoc in ſola laxitate dependere. Indicatio itaque eſt partes relaxatas roborare: ad hoc efficiendum adhibere licet medicamenta balſamica, & injectiones ſtipticas, ex alumine & ſacharo ſaturni paratas, hæ autem lenes eſſe debent, ſi enim injectiones magnam quantitatem medicamentorum adſtringentium contineant, „ hæ teſte illuſt. L. B, de Störk „ cauſant indurationes, aut urethram valde an„ guſtam, mictumque nimis moleſtum reddunt. “

Hac ratione indicationibus, quæ in toto decurſu hujus morbi eveniunt ſatisfit, atque ſolum ſupereſt ut certus ſit medicus & reconvaleſcens nihil virus venerei in corpore latere, quod cauſa quadam procatarctica accedente in actum deduci quondam poſſet, & luem veneream producere. Præcipit illuſtr. „ Præſes 1) ut in „ pertinaci quovis luis venereæ caſu, uſus me„ dicamentorem internorum, etſi morbus perfe„ cte videatur ſublatus, nec ullam amplius æger „ querelam moveat, per plurium adhuc ſepti„ manarum ſpatium continuetur, & frictiones „ cum unguento mercuriali ſemel omni octavo „ die inſtituantur, ut ſecuritas habeatur perfe„ cta virus venereum integre deletum eſſe “ hoc præceptum propter eandem rationem utiliter extendi poſſe videtur ad gonorrhæam, præſertim ſi pejoris indolis fuerit. Hæc eſt methodus medendi gonorrhæam quam experientia ratio & auctoritas illuſtr. L. B. de Störk com-

1) L. B. de Störk Præcepta medico practica &c. Tom. II. De Lue venerea.

mendat: qui ſequentem dat prognoſin: „ Si „ malo debite ſtatim remediis indicatis obex „ poſitus, & conſulta hucuſque circumſpectione „ continuatum fuerit, nihil virus venerei in cor„ pore remanet " igitur fide data illuſtriſſimi Præſidis hac methodo recon valeſcens certus ſit, nullum in corpore ſupereſſe virus venereum, & deponat inanem metum luis venereæ, ne propterea melancholia, aut alius morbus eum invadat.

Ex dictis manifeſtum eſt, quod medicamentum in uno gonorrhæae ſtadio utiliſſimum, in alio ſit pertinaciſſimum, & quod ratio indicationis ceterarum methodorum non ſit alia, quam neglectus reſpectus ad ſtadia gonorrhæae. Sic medicamenta balſamica, injectiones ſaturninae, purgantia hydragoga, frictiones mercuriales, quae ſeorſum aut plura ſimul adhiberi ſolent, ſi more empyrico ad decurſum morbi non advertendo exhibeantur in ſtatu inflammationis, ſtimulantia febrem augent, gangraenam & ſphacelum producunt. Injectionis ſtipticae canalem anguſtant, ductus excretorios glandularum urethrae conſtringendo, & humorem earum inſpiſſando indurationes ſcirthoſas efficiunt, virus venereum magis verſus collum veſicae propellunt, hinc propter exulcerationem proſtatae, veſicularum ſeminalium, colli veſicae oritur immedicabilis gonorrhaea habitualis, & urinae incontinentia.

Si in ſtadio ſuppurationis perverſa haec medela adhibeatur, varia excitantur mala, quemadmodum enim 1) cancer venereus, ſive ulcus ve-

ne-

1) Aſtruc de morbis venereis L. 3.

nereum in ſuperficie glandis poſitum tractatum ſtimulantibus & ſtipticis, ſiccum, durum & callo-ſum ſit, tumores lymphatici, ſive cryſtallini ex iis generantur, aut excreſcentiæ variæ, quæ pro diverſitate figuræ porri, verrucæ, condylomata, criſtæ appellati ſolent; aut ſi ulcera conſolidantur, cicatrices relinquuntur calloſæ, ſuperficiales & ſolo tactu percipiendæ, aut eminentes ultra ſuperficiem; qui ſi nodorum inſtar conglobati ſunt, phymata appellantur, aut chordæ ſi inſtar funiculi in longum porrigantur: ſic eadem accident ulceri in urethra hærenti, quod gonorrhæam producit. Ulcus enim in utroque caſu eſt venereum; præterea ſtructura urethræ non differt a ſtructura glandis, quæ urethræ eſt continuatio; diverſitas igitur ſymtomatum inter ulcus locatum in ſuperficie glandis, & inter ulcus hærens in cavo urethræ, non dependebit aliunde, quam a diverſitate ſedis, quam ulcus occupat, & quæ phyſiologus facile perſpicit: in priori nempe caſu orietur phymoſis aut paraphymoſis habitualis, in poſteriori ſtranguria habitualis, quae frequentiſſime comitatur gonorrhaeam inveteratam, aut gonorrhaeam male tractatam ſequitur.

Hinc dicit cel. Aſtruc. 1) „ quod praeter „ anatomen doceat natura gonorrhææ ipſius, a „ qua ſtranguria inferri ſolet, variorumque ſym„ tomatum, quae hunc affectum commitantur, „ obices iſtiusmodi in ſex genera dividendos

1) De morbis venereis L. 3.

„ esse. 1. Ulcuscula callosa, & cacoethea, quae „ in ipsis prostatarum aut vesicularum semina„ lium emissariis pertinacius insident. “

„ 2. Callos, sive cicatrices duriores & cal„ lolosas, quas sanata ulcuscula in urethra relin„ quunt. “

„ 3. Caruncules & excrescentias, sive hy„ persarcoses, in quas ulcuscula fungosa urethrae „ abeunt. “

„ 4. Verumontanum praetumidum, quod in „ urethram ultra modum prominet. “

„ 5. Prostatam, aut vesiculas seminales, „ duras, callosas, skirhoideas. “

„ 6. Easdem demum fungosas, spongiosas, „ & ad frequentem tumefactionem nimium fa„ ciles. “ His addit Cl. Daran 1) constrictionem urethrae, & concretiones singulares sive septa urethrae transversa, quae diminuunt diametrum ejus. Cl. Sharp 2) quoque simplicem constrictionem urethrae & septa ejus transversa inter causas stranguriae venereae recenset, & ait: quod stranguria frequentius fiat a simplici contractione urethrae, quam a reliquis causis, & quod constrictio sit aliquando in parva portione ca-

1) Observations chirurgicales des maladies de l'urethre.

2) Critical. Enquiris &c.

canalis aliquando longior, & saepe in tribus aut quatuor locis.

Cl. Goulard 1) addit tumores urethrae squamosos & varicosos, sed negat carnositates.

Cl. Foot 2) omnes causas stranguriae memoratas pro veris agnoscit.

Cl. Fabre 3) dicit, quod in omnibus cadaveribus virorum stranguria venerea mortuorum, si excipias tumorem prostatae, nullum vestigium cujusdam obstaculi repertum fuerit; praeterea symtomata stranguriae docere, quod frequentissimae hujus morbi causae sint, tumor portionis urethrae, reliquas causas ab authoribus memoratas, si non omnino falsae sint, saltem raro obtinere. Symtomata stranguriae hic author recenset sequentia.

1. Prima signa stranguriae venereae se manifestant per imminutionem torrentis urinae, quae imminutio raro immediate sequitur post gonorrhaeam, sed eam sequitur post annum, post tres, sex, aliquando primo post viginti annos.

2. Gonorrhaea non cessat semper, antequam stranguria se manifestet; fit aliquando, quod per-

1) Traité des maladies de l'uretre.

2) Kritische Untersuchung die Krankheiten der Harnröhre zu behandeln.

3) Traité des maladies veneriennes T. I. de la stranguric venerienne.

perſeveret ſine interruptione, aut intervallo brevis, aut longioris temporis.

3. Diminutio torrentis urinae admodum lente fit ſaepiſſime, ut integris annis duret, donec ſuperveniat iſchuria.

4. Diminutio torrentis urinae efficit, ut aeger nonniſi magno nixu adhibito urinam excernere queat, & ſaepiſſime urina effluit bifurcata, aut format duas lineas ſpirales, quae ſe invicem diſſecant.

5. Stranguria perſtat breviore aut longiore tempore, deinde dum aeger errorem in ſex rebus non naturalibus committit, aut remedio ſtimulante utitur, oritur iſchuria, quae perſtat plures dies, applicatis emollientibus ceſſat, donec ab iisdem cauſis denuo oriatur.

6. Saepe accidit, ut ſtranguriae conjuncta ſit incontinentia urinae. In initio morbi poſt urinae excretionem aeger non poteſt claudere veſicam, & ultimas urinae guttas ejaculari, ſed involuntarie juxta parietes urethrae defluunt, aliquot momentis poſt urinae excretionem.

7. Obſervatur in pluribus aegris, quod feminis ejaculatio libere fiat, ſed in aliis obſtaculum retinet ſemen illo momento, quo debet ejaculari, & ſemen propria gravitate effluit aliquo tempore, poſtquam motus ejaculatorius definit.

8. Provecta ſtranguria majori aut minori cum difficultate, candela aut catheter in veſicam in-

introduci poteſt, nonnunquam poteſt ultra obſtaculum duci, aliquando id fieri nequit.

9. Obſervatur quod ſtatim prima aut ſecunda vice poſt extractionem candela, quæ aliquot horis in urethra portatur, urina effluat pleno canali, qui ſtatus perdurat plures horas, aliquando plures dies, quo tempore candelæ facile in veſicam perduci poſſunt, ſed ſi uſus earum intermittatur, ſtranguria revertitur.

Obſtacula urethræ cauſant aliquando abſceſſus perinæi, & urethræ. In aliquibus hujusmodi abſceſſibus urethra aperitur, priusquam cutis aperta ſit, in quo caſu urina replet tunicam cellularem; alia vice abſceſſus perinæi maturus fit, & aperitur antequam urethra perforetur, ſed ſæpiſſime poſt aliquot dies urethra quoque áperitur. Abſceſſu perinæi aliquando in gangrænam tranſeunt, & cauſant magnam deperditionem hujus partis: demum abſceſſus perinæi, dum urethra eſt perforata, ſæpiſſime fiſtulam calloſam relinquunt, & concretiones lapideas. Aliquando hujusmodi fiſtulæ unum, aliquando plures ſinus habent, qui totidem orificiis in cute aperiuntur, per quæ urina effluit.

11. Demum in omnibus cadaveribus virorum ſtranguria venerea mortuorum, exceptis qui habent proſtatam tumentem, & ſcirrhoſam, non reperitur ullum veſtigium obſtaculi in urethra.

Ex his ſymtomatibus patere ait, unicas aut ſaltem frequentiſſimas ſtranguriæ venereæ cauſas eſſe, tumorem ſcirrhoſum proſtatæ, & conſtrictio-

ctionem cujusdam portionis urethræ. Cum enim proſtata ſenſim magis tumore ſcirrhoſo increſcat, facile explicatur, cur prima ſigna ſtranguriæ ſe manifeſtent longo tempore poſt gonorhœam, quæ dein admodum lente augetur, prout ſcirrhi incrementum tardum eſt; facile a tumore proſtatæ explicari poteſt, cur urina formet duas lineas ſpirales: notum enim eſt ex phyſicis, quod omnia fluida, ſi ad obſtaculum quoddam fortiter impingant, novam ab obſtaculo acquirant directionem, juxta quam fluidum movetur, niſi a majori quadam vi coerceatur. Sed ceſſante vi hac coercente pro quantitate motus reſidua, & pro diverſitate figuræ obſtaculi, fluidum denuo ferri directione illa, quæ ei ad obſtaculum impingenti, inducta fuerat: cum igitur proſtata tumore rotundo aut ovali in cavum urethræ promineat, urina ex urethra egrediens duplici filo effluet, quæ ſe ſpiraliter diſſecant.

Quod conſtrictionem urethræ attinet, experientia conſtare ait: conſtrictiones tales a cauſa venerea non tantum in urethra, ſed in inteſtino recto, & vagina oriri, idque decem, quindecim, viginti annos poſt morbos venereos, & inde explicari cur dilatatio urethræ ope candelularum tam velox præſtet auxilium. Si cauſæ ſtranguriæ eſſent ulcera calloſa, cicatrices calloſæ, tumores ſquammoſi, aut varicoſi, ſepta urethræ, in his omnibus caſibus neceſſe eſſe, ut ſubito gonorrhœam exciperet ſtranguria, & introductio candelularum non adeo cito juvare poſſet: præterquam igitur quod ſectione anatomica hæc obſtacula non fuerint reperta, etiam

ra-

rationem ſymtomatum ſtranguriae docere, has cauſas falſe ab authoribus aſſignari, aut eas admodum taras eſſe. Ex his patet, quod ſententiae authorum de cauſis ſtranguriae admodum ſibi contrariae ſint, maxima conttoverſia eſt de carnoſitatibus urethrae. Cl. Goulard 1) contra exiſtentiam earum ſequenti utitur argumento: Nullum anatomicum in urethra ſubſtantiam quandam carnoſam demonſtraſſe, quae poſſet excreſcentiis carnoſis ortum praebere, hinc eas nonniſi in imaginatione exiſtere, Cl. Foot 2) ei reſpondet in ſtatu naturali in ſtructuta perioſtei nihil carnoſi reperiri, oſſe vero carioſo reperiri perioſteum degenerare in excreſcentias carnoſas: adnatam oculi aeque parum carnoſam eſſe, ac urethram, in ophtalmia vero, praeſertim venerea, ex ſubſtantia ejus enaſci tumores fungoſos; adeoque ad generarionem carnoſitatum ſufficere, ut adſint vaſa ſanguinea.

Longe magis mirum eſt, quod authores fide digniſſimi, contrarias ſuas ſententias ſectionibus anotomicis comprobatas eſſe dicant. Sic cel. 3) Petit affirmat, ſe multas urethras eorum diſſecuiſſe, qui ſtranguria venerea ad mortem uſque laborabant & in tota ejus extenſione nunquam excreſcentiam carnoſam inveniſſe; dum cele-

1) Traité des maladies de l'uretre.

2) Kritiſche Unterſuchung die Krankheiten der Harnröhre zu behandeln.

3) Academ des ſcienc l'an 1718.

leberrimus Astruc 1) docet, anatomen, naturam gonorrhæae, ac symtomata ipsias stranguriae evincere, inter causas ejus esse caruncules, & excrescentias sive hypersarcoses, in quas ulcuscula fungosa urethrae abeunt, & aeque graviter errare recentiores nonnullos, qui carnositates ex numero causarum stranguriae excludunt, quam veteres, qui praeter cetnositates nullam aliam causam agnoscebant,

Frequentia hujus morbi exigit, ut causae ejus extra omnem controversiam ponantur, igitur optime de re medica merentur, qui hunc laborem suscipiunt.

Curationes hujus morbi ab authoribus commendatae, fuere recensitae, dum agebarur de malis, quae a suppuratione urethrae producuntur.

Sequitur tertia classis morborum urethrae, in qua recensentur morbi ejus symptomatici. Singulae partes corporis, notante Hippocrate, una alteri morbum facit; rationem horum morborum ex situ viscerum, & cognito eorum usu saepe physiologus prompte explicat, saepe vero ratio sufficiens reddi nequit, cur parte una affecta altera afficiatur; hujusmodi morbi dicuntur sympatici, quibus urethra frequentissime laborat.

Fistulae ani, perinaei, ulcera in glande, & corporibus cavernosis penis sita, si non rite depu-

1) De morbis venereis L. 3.

purentur, in latum & profundum ſerpunt, urethram erodunt, pus acre veſicam urinariam, & urethram irritando, ſpaſmodicas producit contractiones, adeoque teneſmum urinæ, dyſuriam, ſtranguriam, iſchuriam.

Exoſtoſes aut tophi oſſium pubis, fiſtulæ perinæi fungoſæ & calloſæ, urethram comprimunt. & mala inde pendentia producunt.

Si uterus circa finem noni graviditatis menſis in pelvim delabitur, ſæpe oriri ſolet iſchuria, idem fit, ſi caput infantis tempore partus diu hæreat oſſibus pubis appreſſum, in utroque enim caſu cavum urethræ aboletur.

Si veſica urinaria antrorſum, poſtrorſum, aut in latus alterutrum premitur ac trahitur, format collum veſicæ cum urethra varios angulos, quibus cavitas ejus aboletur, & oritur iſchuria. Hujusmodi veſicae diſtorſiones fiunt a prolapſu vaginæ, inteſtini recti, herniis inteſtinorum, tumoribus ſcuirrhoſis viſcerum abdominalium, præſertim uteri, ovariorum. Refert Cel. 1) Schnierer anatomen, qua detexit cauſam iſchuriæ fuiſſe ovarium dextrum, libras duas cum una quarta civilis ponderis pendens, quod irregularis erat figurae, & totam expleverat pelvim, in abdomen aſſurgens inteſtina ſurſum propellebat, veſicam urinariam oſſibus pubis appreſſerat, ut cum urethra angulum acutum formaverit. Si renes

1) Extiſpicia cadaverum de em &c.

nes 1) uretheres vesica urinaria, inflammatae, exulceratae sint, si calculus, aut grumus sanguinis has partes irritat, & dolorem producat, irritatio, & dolor per urethram & reliquum systema uropoeticum propagatur, unde oritur tenesmus mingendi, incontinentia urinae, & reliqui morbi urethrae; id fieri videtur propter continuationem membranae, quae ureteres, vesicam, urethram a parte interna investit, & admodum sensilis est. In passione hysterica totum systema urinarium spasmodice contrahitur, & urina excolor, aquosa excernitur; id ipsum contingit a vermibua in intestinis haerentibus.

A dysenteria, alvi tenesmo, cantharidibus forma emplastri applicatis, aut interne assumptis, a potu cerevisiae in fermentatione suppressae, ab omnibus his causis observatur tenesmus mingendi, dysuria, stranguria, ischuria.

Illustr. 2) L. B. de Störk inter symptomata colicae inflammatoriae recenset dysuriam, in descriptione colicae pictonum, ischuriam, in senectute 3) & debilitate oriri frequenter dysuriam, stranguriam, a materie sabulosa, quam cum urina excernunt; inter symptomata haemorrhoidum recenset tenesmum mingendi, dysuriam, ischuriam, mictum cruentum, qui periodice redit omni

men-

1) Boerh. Aphorismi de cognoscendis & curandis morbis. Nephritis.

2) Praecepta medico practica.

3) Ibidem de calculo vesicae urinariae.

menſe, aut alio interpoſito certo temporis ſpatio; quae affectio etiam venit ſub nomine haemorrhoidum veſicae, quia fluxui haemorrhoidum ſubſtituitur effluxus ſanguinis ex vaſis haemorrhoidalibus, quae veſicae urinariae & urethrae proſpiciunt: mictum cruentum praecedit iſchuria, quae fit, tum propter ſpaſmodicam veſicae & urethrae contractionem, quam excitat dolor haemorrhoidalis, tum propter abolitionem cavi urethrae, quam efficiunt vaſa ejus ſanguine haemorrhoidali turgentia.

Obſervatione igitur conſtat, magnum eſſe conſenſum inter inteſtina & ſyſtema uropoeticum. Calculo veſicae 1) laborantes haemorrhoidum experiuntur dolorem, & alvi teneſmum, & viciſſim alvi teneſmo, ac haemorrhoidibus obnoxii, experiuntur teneſmum mingendi, dyſuriam, ſtranguriam.

Id quoque probat Aretaeus 2) dicens: „ Si „ in colicis ren, & veſica in partem hujus doloris adducuntur, iſchuria fit. Praeterea Hippocrates 3) ait: Quibus ex ſtranguria volvulus ſuccedit, intra ſeptem dies intereunt, niſi „ oborta febre, copioſa urina effluat.

1) L. B. de Störk. Praecepta medico practica &c. De calculo renum & veſicae urinariae.

2) De cauſis & ſignis morborum diuturn. l. 2. cap. 8.

3) Apu. 44. Sect. 6.

In admodum laxis & mucoſis penis, & urethra tumore lencophlegmatico turgent, & frequenter materia mucoſa effluit.

In paroxiſmo epileptico frequenter fit ſeminis excretio.

Si corpus ex quacunque cauſa nimium debilitetur, praeſertim haemorrhagiis magnis, morbis diuturnis, nimia venere; nihil enim corpus magis debilitat quam ſeminis excretio, & inter modos ſemen excernendi nihil magis quam 1) manuſtupratio: ab his cauſis oriuntur frequentes polutiones nocturnae, & gonorrhaea benigna dicta; *unde* ſterilitas, *tabes dorſalis*, conſumtio totius corporis, turpiſſima mors.

Morbi urethrae ſymptomatici cognoſcuntur ex ſignis morborum, quorum ſunt ſymtomata.

Prognoſis & curatio varia eſt pro varietate morbi principalis. Juxta praeceptum Hippocratis, curationem in hic morbis inſtituere oportet per illas partes, quae morbum faciunt: ut igitur curatio horum morborum fieri nequeat, niſi ipſe morbus princeps curari poſſit.

1) Tiſſot von der Selbſtbefleckung.

II.

FELIC. FORTUNAT. PASSERINI

DISSERTATIO
DE ABORTU.

1782.

Non opus est, sub initium prolixam impendere operam in recensenda affectus nostri *Onomatologia*, *Etymologia*, *Synonymia*; definiemus abortum, *sanguinolentum fœtus immaturi, ante septimum mensem exclusionem.*

Antequam vero huncce affectum ulterius prosequamur, uteri historiam, in quo inseruntur homines, non præmittemus apud Anatomicos omnes inveniendam; sed tamen quibus vinculis ovum humanum materno corpori unitum sit, describemus, ut causæ, quæ unionem hanc alterare, imminuere, ante tempus consuetum solvere valent, expeditius intelligantur.

Igitur ex omni chorii ambitu filamenta surgunt fibrosa, capillaceæ tenuitatis, quæ in poros

uterinos penetrant, interna matricis ſuperficies poros habet mediocris magnitudinis, (quæ ſunt totidem vaſorum orificia,) quibus proportionatæ dimenſionis canales extra chorion emergentes inoſculantur, ſic, ut vas vaſi reſpondeat, ſed ad radicem placentæ, ubi hæc per orbem ſupra chorion terminatur, vaſa copioſiſſima capaciſſima adſunt, quæ pariter in uterum penetrant nexumque firmiorem reddunt; quamdiu igitur immediata hæc vaſorum uterinorum cum ovi vaſis communio ſubſiſtet, *tamdiu abortus* periculum imminebit nullum: quidquid nunc nexum horum vaſorum ſolvere aut laxare valebit, illud tanquam abortionis cauſa conſiderandum.

A primo menſe ad ſecundum abortire non dicitur mulier, quandoquidem hoc ſpatio bimeſtri ovula plurima, etſi fœcundata, elabuntur ſine dolore, ſine moleſtia, atque pariendi conſueto niſu nullo, inde ſequente ſanguinis profluvio ob debilem ovi humani uteri ſuperficiei internæ adhæſionem, hactenus pellucidis exſanguibus vaſis communicationis, aſt menſe tertio vaſa illa, quæ embrionem utero jungunt, male aucta ſunt ſanguine ſæpe copioſo in feminis habitus laudabilis jam plena. Hinc ab hoc tempore abortum incipiunt numerare, quem tunc concomitatur, præcedit, ſequitur hæmorrhagia, quapropter *fœtus immaturi ſanguinolentam excluſionem ante ſeptimum menſem abortum diximis*; cum autem menſe ſeptimo excluſi fœtus longam non raro vixerint vitam, abortivos non amplius compellarunt, ſed præmaturos. Maturi autem nono menſe abſoluto excluduntur.

Abor-

Abortum inter & partum præmaturum discrimen est, quod ante septimum mensem nati fœtus vitam diu extra uterum maternum protrahere nequeant; non ignoro observationibus constare, 5ti 6tique mensis fœtus vixisse vegetos sanosque; sed utut hæc dicantur, restat probandum, an in computatione non erraverint gravidæ matres, qui error sæpius accidit, quam quidem cogitatur; vitalem fœtum a vivo similiter distingues, vivus enim nosci potest sine potentia diu vivendi, post nonum mensem absoluti partus etsi rari, *serotini* audiunt, ex constitutione fœtus in lucem editi, ex pondere, magnitudine, de vitalitate fœtus judicant medici.

Quasdam causarum abortus classes condere juvabit, ut explanemus methodum tot infelices partus avertendi, inevitabilium tristes prognoses instituemus. Quot singulis annis mortem non numerare est mulierum, quibus non licuit dulci diuque desiderato matrum officio fungi, quam acerbum patriæ, reipublicæ suos sibi eripi videre cives, ut primum diem salutant innocentes; conjungia ambiens vir ingenuam surgere prolem, quam desiderat, qua indigit patria, vix debili lumine micantem videt, ecce extinctam plorat: quanto sæpe non perfunditur gaudio maribus imprægnatam cernens uxorem, & ex minima data causa præcox nascitur fructus. nunquam forsan maturandus, en, vix initians naturæ dissolvitur motus, & ideo delicato sexui tot ærumnis obnoxio succurramus.

Classis 1ma continebit causas abortus in viro repositas.

2da complectetur eas in matre quærendas.

3tia eas numerabit, quæ a fœtu partibus, que hunc concernentibus inevitabiliter sæpe dependent.

4ta demum agnoscet causas quascunque externas aut in fœtum, aut in matrem, aut in utrumque agentes.

Familiarius nihil est audire maritos conqueri, aut de sterilitate uxorum suarum, aut de harum impotentia ad tempus limitatum gerendi fœtum, & ideo quærelis perpetuis medicorum aures fatigant, ut sponsis suis medicinam faciant; sed illos jure merito derideat medicus, ne sint immemores dissolutæ, Baccho, Venere forte exhaustæ vitæ, hi potius abortuum causæ sint; quid? ignorantne parentum labem, etsi immerito, in fœtuum corpora derivari, quid hi debiles languidi progignere valebunt, nisi debile germen nunquam maturandum? infirmum corpus semen, uti & alios humores minus perficit, minus hinc actuosus liquor, dum in alterum corpus recipitur, evolutio fœtus requisiti defectu, languida fit necesse est, hinc machina struitur non firma, non futura durabilis. Morbidi illi patres, uti labori, ita & veneri impares sunt; neque major est, quæ homines enervat causa, quam intempestiva & immoderata venus, nec non detestabilis manustuprationis actus: hæc dicta sunto illis, qui toti sibi indulgentes, rigorosi erga patientissimas uxores, has aut de sturilitate ant de impotentia maturos fructus pariendi accusant, quæ tamen ad generationem perfectam atque

que adæquatam ſymbolam conferunt; illud jam agnoverat ſapiens *Lycurgus*, venerem raram maritis imperans, ne corporis vires exhauriant; non ignorabat enim hic legislator morboſas atque immaturas proles expectandas eſſe a genitoribus debilibus, languidis.

In matris non culpandæ matricis quadam diſpoſitione reliquo corpore ſano abortionis cauſam invenies, ſcilicet, ſi utero non ſit conceſſa facultas ſeſe extendendi, prout ingrandeſcit fœtus. Scitur uterum ab arctiſſima capacitate minimaque mole in virginibus ad latiſſimam in gravidis tumendo aſſurgere; jam autem, ſi uteri fibræ non obſequibiles ea ratione evadant, qua fœtus moles augeſcit, tunc abortivum excludent.

Diagnoſim abortus ab hac immedicabili cauſa proficiſcentis hauries ex his:

1mo: ſi femina bis terve eodem ſemper graviditatis menſe abortum paſſa fuerit.

2do: ſi antecedentes enixi abortivi fœtus molis fuerint æqualis.

3tio: ſi ſimiles abortus accidant absque ulla manifeſta cauſa. Divo Hippocrati abortus ab hac cauſa nati jam cogniti erant, ait enim: *Si vero concipiat quidem, ſed fœtus bimeſtris eodem exacte tempore corrumpat, neque prius, neque poſterius, idque ei bis vel ter eodem contingat modo, aut etiam ſi longioris temporis fœtum eodem modo corrumpat, hujus uteri in majorem molem non creſcat, fœtus in ipſius*

augeſcente, & bimeſtre vel trimeſtre ſpatio excedente; ſed hic quidem augeſcit, uteri vero nihil increſcunt, propterea ſane multa eodem tempore fœtum corrumpunt. Lib. de infœcun. cap. 7. Habituales igitur erunt tales abortus eo infeliciores, quod medelam omnem reſpuant; his certe matrimonium non convenit, ſed quis medicorum illud agnoſcere valebit, & virgini amplexus matrimoniales atque licitos deſideranti prædicere illud, quod primum poſt multos abortus innoteſcet? Mulieres laxæ, debiles, mollis, teneræque texturæ, habitus delicati facile abortiunt, quanquam raro genituram concipiant. Hæcce fragilis conditio nativa eſſe poteſt a parentibus *languentibus transmiſſa*, vel a vitæ genere aut prægreſſis morbis nata; ſic neſcio quo fato ſexus feminini nobilior portio ita molliter educatur, præſertim in noſtro ſæculo, ut virgines *ſtrictis thoraculis conſtringi* videas, languidam vitam ducant, corpus vix moveat, unde impoſterum viris nuptæ tot mala, tot infelices partus, tot abortus incurrant. Fateamur naturam, aut melius providentiam divinam rite omnia ordinaſſe, quam admirabilia ejus opera; adeas nobilium cunas, vide quam molliter vivant ſecuram ac ſedentariam vitam agentes, illas videbis toto graviditatis tempore ſedili affixas iners corpus non moventes, en quam ſæpe abortiant; e contrario contemplare laborioſas ruſticanas, exercitiis continuis aſſuetas, per quæ ſibi ſuisque neceſſaria comparare debent, quot numerabis earum, quæ abortiunt? certe paucas. Ecce in egeſtate, ubi rerum penuria adeſt, ad amuſſim naturæ leges ſervatas, quæ violantur, ſpernuntur ab opulentis. Nunquid adeo ſapiens ille Aſiæ legis-

gislator *corpora virginum cursu, luctæ, discorum & telorum jactu exerceri volebat, ut & fœtus radix validum in valentibus exordium sumens germinaret melius.* Quæ enim molescentis textutæ habitum gerunt, iis uterus sustinendæ diu fœtus moli impar evadit. Atque de illis ait Hippocrates: *Quæ mediocriter corpus habent, abortiunt, & non possunt continere fœtum præ gravitate.* Aph. 45. sect. 5.

Irritabiles hystericas mulieres frequenti abortioni obnoxias esse, mirum non apparebit consideranti, has tot animi validis affectionibus subjici. Quam frequens illis spasmorum origo, quam sæpe affectus validi, puta, ira, terror, gaudium summum inopinatum &c. lethalium abortuum causæ merint, testantur relationes medicæ; & revera quis omnium horum effectus? nunquid humores valide exagitare, vala in spasmos perpetim irritare, sanguinem violenter a parte contracta ruere in uterum: jam autem subiti tales motus, validæ adeo concussiones teneris illis vasis placentam, chorionque utero nectentibus applicitæ, horum brevi coget capacitates, violabit diametros orta hæmorrhagia, subsequente abortu, & hinc patet, quare imprudentes, prægnantes feminas si irritaverint, motu inopinato perculserint, quare inquam tot funestæ hæmorrhagiæ atque lethales abortus accidant.

Plethora vera, sive nimia humorum bonorum, quam ut illibata maneat sanitas, sicut & spuria, quæ volumen humorum auctum, mole manente eadem, agnoscit, occasionem perdendi fœtus nimis subministrat; hæc posterior nascitur a motu, exercitatione nimia, saltu, insolatione,

ira,

ira, clamore, balneatione &c. denique morbos quoscunque acutos prægnantibus lethales esse jam nos admonuit Hippocrates Aph. 30. lib. 5. dum ait: *Mulierem in utero gerentem ab acuto aliquo morbo corripi, lethale.* Certe periculosus est natura sua quilibet morbus acutus, sed nunquam periculosior, quam ille, qui in gravidam mulierem cadit, hocque tam certum est, ut quæ gravidæ pleuritide pereunt, hæ eædem non gravidæ servari potuissent: igitur febres omnes inflammatoriæ, præsertim putridæ, biliosæ, & universim, ubi humorum exagitatio, orgasmus, plethora spuria excitantur, abortus periculum non exiguum imminet. Ipsæ febres intermittentes, si violentos paroxysmos suscitent, hique longiores sanguinem validius intra vasa pellendo attritum adaugent, calores urentes & notante Mauriceau, spurii invitantur dolores, quos brevi veri excipiunt, utero deorsum spastice contracto, unde abortus.

Generaliter cum sit confessa & comperta vulgo ad accelerandum partum diaphragmatis, & musculorum abdominalium in uterum enitentium vis; hinc quidquid abdominis contractionem efficere poterit, fœtum extrudere aptum erit, adeoque motus nimis validi, ponderum gestatio, clamores, vocis contentio, saltus insignes, in exoneranda alvo conatus, sternutatio crebra, & similia, in quibus valida adest spiritus suppressio, periculosa sunt: tusses validæ crebræ, catarrhi longi, hæc omnia mala tot funestos abortus procurare singulis diebus cernimus: sunt catarrhi eo magis nocivi, quod credat vulgus illos innoxios; sed quot mala ab iis neglectis, aut mi-

mi-

nus bene cognitis oriantur, legere eſt in diſſertatione non pridem edita *de catarrho multiplici*. Catarrhos epidemice regnantes ſumme metuebat prudens, atque incomparabilis vir *Mauriceau*, quibus aptam ſtatim medelam ferri volebat, ne triſtes & infelices inde ſequerentur abortus.

Pervenimus ad aliam abortus cauſam, ad vomitum nempe; ſed dolendum, quamplures diſcernere non potuiſſe, quando & quibus, & ſub quibus circumſtantiis adminiſtrandus ſit. Sermo non ſit hic de illis vomituritionibus, quæ poſt imprægnationem accidunt, medelam hi, ſi non minus diu durent, vix poſcunt, quippe hæ moleſtiæ procedente graviditate ſenſim minuuntur: non enim oriuntur, adnotante Ill. Bar. van *Swiet*. a colluvie pravorum humorum in ſyſtemate gaſtrico nidulantium, quæ tamen colluvies generari poſſet, ſi vomituritiones illæ diu durarent, chylopoieſi tunc læſa, unde collectio ſaburralis naſceretur, atque patefieret per os amareſcens, ſordidam linguam, nidoroſos ructus &c, ſi enim hæc ſymptomata abſint, evacuatio inutilis eſt, ſuadente Hippocrate, ait enim: *Illæ prægnantes medicamentis purgandæ ſunt, ſi materia turgeat, quadrimeſtres & uſque ad ſeptimum menſem, hæ vero minus, juniores autem & ſeniores fœtus caute vitare oportet.* Aphor. 1. ſect. 4. Hinc videre eſt Hippocratem abſtinuiſſe a purgantibus in nauſeis & vomitu, quæ primo graviditatis ſtadio accidunt; attamen ſi vomitus illi diu durarent, illis medeberis diætam convenientem imperando, cibos, quos a conceptione horret gravida removendo, antihyſteri-

ri-

rica lenia, pauxillum opii exhibendo. Illi pariter vomitus excipiendi sunt, qui pravos humores excutiunt, nam & illi salutares sunt ex confesso Hippocratis, dicentis: *In perturbationibus alvi, & vomitibus sponte evenientibus, siquidem qualia oportet purgari, purgentur, confert & facile ferunt.* Aphor. 2. sect. 1. Sed movere quis posset, an ab una operante natura, feriante medico, expectandæ sint evacuationes spontaneæ, ut vult aphorismus? hoc certe non, nam licet instituere purgationes necessarias ejusmodi, quibus annuat natura, quæ conferant ægro, quasque sustineat cum euphoria: meticulosos non paucos videbis, qui tempore graviditatis religiose abstinent, ab emericis indicatis tamen, & purgantibus illud exequi volunt. Sed qui novit una emesi & citius, & tutius ventriculi fœdas digestionis reliquias excuti, illam certe catharctico præferet: nam autore semper Hippocrate, si quod sursum ferri debet, ad alvum detrudatur, talisne erit ista hæc evacuatio, qualem esse oportet? tacco morbos longos, periculosos ab emesi neglecta, ortos, purgantibus invitatos: recordemur denuo Hippocratem enuntiasse Aphor. 34. sect. 5. dum ait: *Mulieri in utero gerenti si alvus multum fluxerit, periculum est, ne abortiat, quandoquidem acris saburra in ventrem descendens tormina excitando abortum frequentem causaverit*; aliud est de vomitibus violentis diuturnis, drasticis excitatis. In nosocomio SS. Trinitatis vidimus mulieres, ut clandestinorum amorum fructum perderent, infusum sabinæ hausisse, sicque sequebantur enormes vomitus, ita ut ex horum vehementia vesicula fellea rupta fuerit, integram bilis libram

pro-

profundens, quod demonſtravit ſectio cadaveris pauco ante mortem tempore nato abortivo fœtu. In alia fœmina vidimus vomitum vitriolo cupri ob eundem finem excitatum æque funeſtas ſtrages edidiſſe: aſt non impune homicida fuit mater: perſiſtebant vomitus per integras ſex hebdomadas omni medicationi rebelles, donec ægra emaciata ab aſſidua nutrimentorum rejectione ex atrophia perierit, eliſo fœtu agonizante matre: neque periculo caret vomitus a fæcibus in inteſtinis collectis, colon diſtendentibus, ſtomachum ſollicitantibus ortus; hic enemata emollientia, diæta parca conveniunt, ut libertas utero concedatur diſtento: vomitus hi progrediente graviditate ſat frequentes ſunt, neque illos contemnat medicus.

Morbi cæteri convulſivi ſimilia mala generant: exempla ſunt fœtuum excluſorum ſub ipſo epileptico paroxyſmo; & revera id mirum non eſt, ſi attendas ad ea phœnomena, quæ tunc præſentia ſunt ob muſculos alterne rigidos, violento ſpaſmo diſtentos venæ ſanguine turgidæ difficulter in cor dextrum ſeſe evacuant, cum non raro varicoſæ evadant, vaſa cætera immeabili ſanguine plena ſunt, valida celerisque abdominis agitatio, fortis deorſum & alternus diaphragmatis muſculorumque abdominalium in uterum ſpaſmus; ſi, inquam hæc omnia conſideres, facile intelliges abortus epilepticis frequentes eſſe.

Circa menſem 3tium, 4tum & 5tum vomitus oriri viſi ſunt, qui pro cauſa cognoſcebant conſtitutionem plethoricam, ob denegatum per uterum ſanguinis conſuetum effluxum: diagnoſis

diffi-

difficilis non est, & missione sanguinis hoc malum evanescit: ejusdem sunt originis colicæ, hæmorrhagiæ, verrigines hocce tempore nascentes. Ætatem matris nimis teneram & ipsi, & fœtui periculosam esse in confesso est; tabidæ abortivos fœtus frequnter nimis pariunt. Igitur requisiti nutrititii humores pro incremento matris ejusdemque nutritione in fœtum transmittuntur, vel potius & illa & ille suo defraudantur pabulo: quippe assimilati deinceps nutritii succi crudi evadunt, vasa cumulant, pectus obstruunt, unde in viscera stases, tubercula immedicabilem tabem nuntiant mentibus vitæ & matris, & fœtus staminibus. Gravis res est momenti, gravisque admonitio parentibus inculcanda, quantum prolibus suis immineat periculi, si illas incitent ad matrimonium, antequam corpus firmum sit, & aptum sustinere labores illi statui injunctos, utpote quæ nonnisi proprio vitæ impendio posteritati queant operam dare.

Devenimus ad aliam perfrequentem abortus causam, videlicet ad plethoram uteri topicam: hæc autem generatur sanguine versus systema uterinum determinato, per emenagoga, purgantia, diuretica, pediluvia, abortiva medicamenta, vel spasmis, animi pathematibus variis.

Mensibus 3tio, 4to ideo frequentiss mi sunt abortus, quod videlicet debilior adhuc sit fœtus nexus cum utero, & in sanguinolentæ temperiei feminis, quibus antea copiosi solebant fluere menses, vasa uterina multo sanguine turgeant.

Aliæ etiam ſunt quamplurimæ cauſae abortus in uteri variis morbis quaerendae, v. g. laxitas uteri ſolius reliquo corpore ſano: certe uterus in gravidis firmus eſſe debet, ut fœtum ſervet, ſed ſuccis nimium quantum ſaturatus, atoniaé cauſas contrahere debet: feminarum, quae copioſa, eademque periodo repetita patiuntur menſtrua, laxus reperitur uterus, earumque quarum genitalia fluore albo perpetuo madent. Proventus fœdorum horum ſuccorum (veteribus catarrhus uteri dicebatur) multiplices agnoſcit cauſas. Non raro ſequela eſt coctionis ventriculi laeſae, primarum viarum toni dejecti, ob longas forte febres intermittentes, aut acutas praegreſſas haemorrhagias profuſas, chlorofim, repetitas graviditates, partum frequentem. Uteri haec dlatheſis lubrica mucorum cauſa eſt, ſicque uteri fibrae a firmitate toni nativi diſcedunt, mucoſum ſuccum plorant, unde tot mala. Uteri prolapſus, cancer, genitalium abſceſſus, vaginae, uteri polypoſae excreſcentiae, omnes univerſim uteri aegritudines abortui anſam ſuppeditant. Morbi partium vicinarum vel utero adjacentium tales abortus etiam cauſarunt, puta veſicæ urinariæ variæ affectiones, illæ præcipuæ, quæ cum dolore mingendi, cum teneſmo junctæ ſunt: ſic calculus, ſtranguria, iſchuria quæcunque gravior & diuturnior, alvus quoque dura abortui cauſam nimis ſæpe ſuppeditavit; hinc apparet, cur præcipuam attentionem circa exonerationem alvi convertere debeant gravidæ, a qua retenta, ſi non abortus, ſaltem tot alii morbi ſaburrales oriri poſſunt: & ideo, ſi e periculo abortus emergant, tot ægriditudines in puerperio con-

trahunt ob alvum in iis moroſam & familiarem tempore graviditatis.

Hæmorrhois dolens, nataque inde colica hæmorrhoidalis abortum frequenter invitavit; fiſtulæ ani, ani prolapſus, diarrhæa longa non pravos, ſed utiles humores educens, ſimilia mala patrarunt; & ideo Hippocrates Aphor. 34. ait: *Mulieri utero gerenti ſi alvus multum fluxerit, periculum eſt, ne abortiat*: certe ægritudines harum partium vicinarum uteri *eretiſmum* excitantes hunc pungunt, ſtimulant, emovent, coguntque in ſpaſmum, quo acti preſſique hujus parietes, quem continent fœtum, exprimunt eo potentius, quod ſpaſticæ harum partium excitatæ irritationes vergant ad uterum, quem deorſum premunt, unde fœtus eliditur. Dyſenteriis & dejectionibus teneſmoideis abortus ſupervenire vidimus in Noſocomio SS. Trinitatis, ludque emuntiatum eſt in Aphor. 27. ſect. 7. *Mulieri in utero gerenti teneſmus ſuperveniens abortire facit.* Et quidem, qui conſiderat, quantum ab iis affectionibus uterus laboret, ille certe non mirabitur tot abortus ſupervenire; præſertim ſuperveniente teneſmo, qui continua & implacabilis deſidendi capiditas eſt, quique veluti quædam inteſtini recti dyſenteria eſt: numquid facile per teneſmum uterus in conſenſum trahitur viciniæ nervorumque affinitatis titulo, inanis igitur, & frequens inteſtini conatus pervenit ad uterum, qui perpetuis irritationibus moleſtis laborat, unde exturbatio fœtus.

Lactis tumultuaria atque repentina profuſio abortus indicia præbet. Ait Hippocrates: *Mulie-*

lieri in utero gerenti ſi mammæ ex improviſo extenuentur, abortit. Aphor. 37. ſect. 5. Huic infortunio ſubjectæ ſunt illæ, quæ prolem lactare non deſinunt, etſi rurſum gravidæ factæ; hinc gravis denuo admonitio gravidis; illæ, etſi habitus laudabilis & ſuccoſi ſint, ablactare debent, cum hoc materno officio defungi nequeant ſine gravi noxa fœtui imminente: neque cur hoc adveniat, mirabitur ille, cui notus erit mammarum ad uterum reſponſus naturalis, mutuaque conſenſio: uti enim partes hæ ſunt ejusdem jugi aut ejusdem operis, propagationis nempe generis humani adjutrices & miniſtræ, ejusdem obſequiis eſſe debuerunt: ſi igitur mammæ ex improviſo graciles fiant, ſignum eſt ingentis mutationis in ipſo utero ortæ. Motus enim eſt, ait III. Baro van Swieten, Commentario ad paragraphum 1305.: *Ne tunc uteri vaſa ſoluta a nexu cum placenta & chorio ſimili modo collabantur, quod absque illorum inanitione vix fieri poterit, adeoque abortus timendus eſt, & cum illo uteri hæmorrhagia.* Quæcunque certe applicata cauſa ſit præſens, hæc mammarum conditio morbidum uteri ſtatum profert. Attamen nollem lectorem in errorem conjicere, nollem crederet, prognoſin mox fatalem inſtituendam eſſe, atque hunc Hippocratis citatum Aphoriſmum legens, de inevitabili ſecuturo abortu pronunciaret. Etenim multi Medici hanc Hippocratis ſententiam negant ex eo, quod obſervaverint non ubique verum eſſe, mammarum ſubſidentiam præſagire abortum; ſed attendant ad Aphoriſmum 53. ejusdem Sect., ubi dicit Hippocrates: *Quæ fœtus corrupturæ ſunt, iis mammæ extenuantur, quod ſi iterum durè eva-*

ſerint neque (fœtum) corrumpent. Hinc apparet, agnoviſſe Hippocratem non omnem gravidarum mammis factam flacciditatem abortus imminentis augurium eſſe: nam ſi hæc flaccidiitas temporaria ſit, firmitudo priſtina redeat, evaneſcit abortus periculum.

Devenimus tandem ad quorumdam abortuum cauſas, quibus, proh dolor! nullam invenies lector applicandam medelam, hicque nihil agendum habebis, niſi denuo miſerias atque calamitates humanitatis intueri, tanto magis deplorandas, quod debilem, innocentem ſexum premant. Inevitabiles hæ abortuum cauſæ erunt: *monſtroſa fœtus magnitudo*, fœtus complures bi-trigemini, fœtus cum hydrocephalo, cum aliqua parte corporis hydropica: ratio in promptu eſt; videlicet nimia fœtus magnitudo uterum ultra modum extendit, ſic citius ad terminum extenſionis ſuæ pervenit, contra urgentem potentiam incitatæ ad contractionem, fibræ ineitatis cæteris adminiculis, elidunt fœtum.

Fœtus convulſos (nam & hos ægritudinibus omnis generis in utero mulctari, non eſt quod dubites) abortus procreare, pathologicæ ſcientiæ gnarus facile admittet. Imo ſola, non monſtroſa, in matre debili, parvula, fœtus magnitudo abortum non raro procurat, & hi ſunt abortus mulieribus delicatulis, tenuibus, maribus eximiæ ſtructuræ nuptis, familiares.

Secundinarum, funiculique umbilicalis vitia varia, quantas edant ſtrages, quot profuſas hæmorrhagias, quot abortus, quotidiana praxis nos do-

docet. Funiculi umbilicalis longitudo nimia periculosa est: nam metus est, ne ab hoc fune illaqueatus fœtus in utero motitans placentam ab utero solvat, unde hæmorrhagia & abortus. Hujus ejusdem chordæ brevitas morbosa similia mala gignit: nodos chordæ umbllicalis observant obstetricantes, quæ vasa umbilicalia compresserant, sic, ut humorum circuitus sublatus fuerit cum morte fœtus, ejusdemque præmatura exclusione: hydatides funiculi, steatomata, placentæ, membranarum, hydrops, scirrhosæ indurationes &c. totidem abortuum causæ fuere, ex quibus caveri non possunt hæmorrhagiæ, etsi hæ dictæ ægritudines nobis cognitæ forent, nulla prudentia humana evitari possent.

Altera celebris, sæpeque denuo abortus inevitabilis causa reperitur in aberratione placentæ a loco suo consueto: non ignoratur, ut plurimum uteri fundo, inter tubas Fallopii accretam esse placentam, hicque situs naturalis est semper optandus; sed uti natura ubique locorum variare amat, ita placenta nonnunquam præter naturam in latus uteri irradicatur, situmque mutat, aut quod adhuc pejus est & calamitosius, ori uterino supertenditur: funestas ex hac aberratione strages sequi patebit, dum dixero: uteri grandescentis convergentibus lateribus ab invicem sese removentibus, os & cervicem distrahi necesse est, quod nequit fieri sine ruptura vasorum vorum humanum matrici nectentium: sequetur igitur hæmorrhagia, verum non profusa, cum pedetentim pariter os uterinum distrahetur; tunc lenta erit in initio, parca, merum potius sangui-

nis ſtillicidium appellares; quod diagnoſim hujus ægritudinis confirmat, eſt ejusdem hæmorrhagiæ ceſſatio per aliquot dies, maxime ſi quies & diæta refrigerans acceſſerint, reditura tamen brevi, aſt pejor & ſemper intenſior. Non quocunque graviditatis menſe obſervantur hæ funeſtæ hæmorrhagiæ, ſed plerumque verſus menſem ſeptimum.

Diagnoſim hæmorrhagiæ (nam neceſſaria eſt) ab hac placentæ aberratione natæ haurire ſi volueris, attende ad ſequentia.

1) Quod absque manifeſta cauſa, ex qua aliæ hæmorrhagiæ oriri ſolent, hæc nata fuerit.

2) Quod plerumque verſus menſem ſeptimum incipiat.

3) Quod initio lenta, parcaque ſit, nunc deſinens, nunc intenſior recurrens.

4) Quod tandem placentam prævíam manu explorare liceat.

5) Quod ſub actuali dolore atque teneſmo gravior, profuſior hæmorrhagia obſervetur; at vero eo irrito pariendi conatu abſoluto, miteſcat, ceſſetque hæmorrhagia. Secus vero accidit in aliis hæmorrhagiis, quæ adventante pariendi dolore paululum ceſſant, & tempore inter dolorem pariendi medio plerumque recrudeſcunt.

Quid

Quid igitur in hocce rerum ſtadio agendum? an partus acceleraudus?

R. Omni niſu adlaborandum eſt, ut tollatur hæmorrhagia, ajunt quidem: aſt mihi videtur impoſſibile id exequi, cum, ut ſuperius dictum eſt, quamdiu augeſcit uterus, tamdiu neceſſarium ſit diſtrahi cervicem uteri, adeoque placentam ori uterino ſupertenſam: ad moderamen igitur reducenda eſt; quod ſi fieri non poſſit, ut credo, aliud nihil ſupereſt, quam partum promovere, attamen tentanda priùs remedia in hoc caſu laudata, videlicet V. S. quies animi & corporis, refrigerantia, diæta ſumme antiphlogiſtica: per hæc enim aliquod forte moderamen obtinebitur, ſed niſi inſigne fuerit, nil reſtat, niſi plenaria uteri evacuatio, adeoque oportet manu immiſſa placentam ori uterino ſupertenſam, jamque aliquantum abſtractam penitus ſolvere, vel eandem perforare & verſum infantem pedibus eripere, atque extrahere: cognitionem & abortus & hæmorrhagiæ ab hac cauſa natæ *Cel.* Levret debemus.

Alia perfrequens aborſionum cauſa meritojure reponitur in aeris atmoſphærici variis viciſſitudinibus, quarum cognitionem medico neceſſariam jam pronunciavit Hippocrates. *Qui artem medicam aſſequi vult*, ait, *anni tempora in conſiderationem adhibere debet.* C. 1. de aere, loco, & aquis. Certe tam conſtitutiones ſtationariæ, quæ has vel illas integras anni tempeſtates occupant, quam fugaces illæ & tranſitoriæ, quæ in aliquot dies incidunt, quibus exactis finire ſolent, abortus gignunt quotidianos.

Legere eſt apud Hippocratem, Sydenhamum, quanti anni tempora fecerint ad cognoſcendos curandosque morbos; neque ſine ingenti ſolatio vidi in Noſocomio SS. Trinitatis ad conſtitutionem ſtationarium figi mentem, atque ſecundum illam morbus non facile per phænomena diſcriminandos cognoſci & tractari feliciter; ideoque *Cl. Profeſſor Maximilianus* STOLL attentos nos voluit ſemper ad anni tempus, conſtitutionemque ſtationariam.

Vere appropinquante non raro multos numerari abortus obſervavit Hippocrates Aphor. 12. ſect. 3. dum ait: *Si hyems auſtralis & pluvioſa & tranquilla ſit, ver autem ſiccum & aquilonium, mulieres quidem, quibus partus in ver incidit, ex omni occaſione abortiunt*: ratio evidens eſt: ſi hyems auſtralis mollis atque tepida ſit, certe humores intra vaſa gravidæ æſtuant & tument, ſicque plus molis acquirunt, & hanc ob cauſam plethoram gignunt, unde jam imminet abortus; ſed accedit inſuper ſolidorum preſſio, quam infert veris ſupervenientis rigor & aſpredo conſtringens; hinc ab illa duplici & humorum & ſolidorum preſſione cogitur prægnantis uterus ad ſui contractionem, fœtusque extruditur: regnante tali anni conſtitutione præcavebis abortum per V. S., deplendo vaſa, ut debita & proportionata humorum quantitas fiat ad vaſa continentia.

Denique aliæ cauſæ externæ abortus creantes erunt, vulnera, lapſus, ictus abdomini impacti, labores nimii, gravidarum veſtimenta arcta nimis, thoracula præcipue, motus quiscunque vali-

lidus, nixus ad pondera elevanda, vectio rudis, ſupra ſtrata ſcabroſa, lapidoſa, ſaltus frequentes, ipſa nimia atque fervida venus tempore gravidi-tatis exculta.

Abſolutis his juvabit *conſiderare*, quandonam majus, quandonam minus ex abortu imminet periculum, & quidem.

1) Abortus primorum menſium, videlicet tertii, quarti & quinti multo minus periculoſi ſunt ſequentibus, raro morientur abortientes hoc tempore graviditatis, non quod modicam ſanguinis jacturam patiantur, ſed illam non ſubito, ſed pedetentim, & per plures conſequentes dies experiantur. Non inutile eſt hoc cognoſcere, ne ſcilicet terreamur, & ad omne genus remediorum recuramus, ſæpe ipſo morbo funeſtiorem.

2) Ante menſem quintum præſente hæmorrhagia, imminente abortu, ſi phlebotomia, remedia interna, quies, tranquillus in lecto decubitus, ſi epithemata frigida ad pubem atque pudenda applicata non juverint, manus obſtetricantis certe non juvabit, ejusque inſtrumenta hoc ſaltem graviditatis tempore pronunciamus inutilia: uterus enim ſat diſtentus tunc non eſt, ut manui & inſtrumentis aditum permittat; verum ſi accideret, ut fœtus ſponte ſolutus in uteri cervice reſideret, certe immiſſis digitis eximi poteſt, ſed in uterum manus immittere ad ſolvendam placentam fœtumque extrahendum eſt inſanire, neque illud tentatur, niſi a maleſanis obſtetricantibus, qui

artis falso dictæ regulis se mancipant, morbum forte brevem futurum, in mortem erudite convertentibus.

3) Periculosissimus est abortus pellentibus abortivisque remediis excitatus, quorum tristium exemplorum superius mentio facta est.

4) Periculosus abortus, qui ex placenta prævia orique uterino supertensa oritur.

5) Periculosi abortus tabidarum, scorbuticarum, febribus putridis decumbentium, atque dysentericarum.

6) Periculosus abortus est sub ultimis temporibus graviditatis ex eo, quod uterus tunc totus sanguine ebrius sit, hinc orta hæmorrhagia breviſſime exhauritur mulier; in primis vero graviditatis mensibus stillatim erumpit sanguis, & in confesso est apud omnes, rarius ex abortu perire mulieres his primis temporibus.

Errorum funestissimum atque pernicioſissimum, quam committere solent obstetricantes plurimi omittere noluimus: nempe accidit non raro, ut fœtu ante mensem quintum & sextum aut septimum abortivo excluso, diu secundinæ remaneant per unum, duos, tres dies, hacque in circumstantia præsens sit hæmorrhagia, quid agunt imperiti? atroci nisu illas eradicare satagunt, parum solliciti, an firmiter atque pertinaciter adhucdum utero uniantur, credentes placentam

avelli

avelli poſſe æque cito poſt abortum, ac poſt partum maturum; ſed inſtruantur illi, lobulos placentæ profundius multo ingredi ſinus ſubſtantiæ uterinæ quam in partu legitimo: hinc illam in utero relinquant per aliquod tempus: ipſe *Mauriceau*, qui inculcabat, quantocius ſecundinas educendas eſſe, metuens puerperæ interitum ab iis relictis, prudenter tamen addit, melius eſſe, ſiquid de placenta relictum fuerit, quam lædere uteri ſubſtantiam, & quidem multo plura mala a vi utero illata, quam ab his relictis metuenda ſunt; quoties non contigit, ut rudiori tractione uteri fundus inverſus fuerit, ſequentibus profuſis hæmorrhagiis, uteri inflammatione, hujus ſtrangulatione lethali, gangræna. An non vidimus multas mulieres ita crudeliter tractatas, poſtmodum menſtruis caruiſſe, utpote uteri fundo multis cicatricibus obſeſſo, inperſpirabili facto, unde extinctio genituræ. Hippocratis ſententiam ſequebantur illi, qui ſuadebant ſubitam placentæ extractionem; ait enim divus Senex Aphor. 49. ſect. 5. *Ut ſecunda excidant, ſternutatorio indito nares & os apprehendere oportet*, & L. 1. de morbis mulierum concuſſiones corporis imperat: ſed oro, an tutum eſt, uterum ita paſſum ſternutatione, abdominis concuſſione laceſſere, agitare? Nunquid mirum non eſt, ſi in abdomine dolores, rigores, febres, lethalis inflammatio oriantur poſt tam crudelem tractationem? Reſpondent adverſarii, metuendam eſſe ſecundinarum putrefactionem, hujusque ominoſos effectus; aſt vanus metus eſt; non facile, ait III. Baro van Swieten, in tantam putredinem tranſit placenta retenta; poſt tridui moram, integram exeuntem vidit, dum urinam excernebat puerpera, neque pu-

putrefactam invenit, & feliciter evasit. Neque observare potuit *Celeb. Ruyschius*, puerperam ullam obiisse ex remansa secundarum mole, tempore 50 annorum, quo ei Professoris sparta in arte obstetricia demandata fuit. Per dies, septimanas, per menses in utero retentas demumque expulsas vidi.

Ast movebit quis, quid præsente magna hæmorrhagia agendum sit, cum tamen sisti non possit, nisi avulsis secundinis?

Si valida & profusa adest hæmorrhagia, cumque tunc periculum summum immineat, & hæc larga *sanguinis præsentia* denotet pro maxima sui parte ab utero jam solutam esse placentam tunc avelli potest, & facillime sequi solet, cæterum, nisi hæc fuerint, nulla vis adhibenda est, si orificium uteri constrictum fuerit, neque hoc vi dilatandum, sed totum opus naturæ relinquatur potius, quam atroci nisu illam eradicare velle: in præsenti casu tententur emollientissimorum decoctorum injectiones in uterum, hocque peracto, suadente Mauriceau, clysma acrius injiciatur, ut una cum alvi deponendæ conatibus prodeat placenta, quod sæpe evenit inscia puerpera; igitur puerpera placidæ quieti tradatur, artuum ligaturæ instituantur, jusculæ tepida exhibeantur, ut labefactatum puerperæ corpus refocilletur.

Videamus nunc quis præcaveri possit abortus, quis non? Si abortus nondum fuerit habitualis, si sanguinis incipiens stillicidium tantum sit, si sanguis dilutus, parcus sit, si abortus causa transitoria sit, non violenta, si gravidæ bonum

cor-

corpus fuerit, ſi huic initianti & inſtanti abortui matura *medela* feratur, ſi os uteri clauſum, durumque ſit, talis præcaveri poterit: at vero ſi jam adſunt veri dolores a lumbis incipientes propagati ad umbilicum, inde ad inguina cum teneſmo ad alvum, ad urinam, ſi dolores hi de tempore in tempus graviores atque diuturniores evadant, ſi intervallis continuo brevioribus ſeſe excipiant, abortum non præcavebis.

Filum Diſſertationis noſtræ abrumpemus per examen circa V. S. in gravidis inſtituendam, cujus abuſus, neglectus, infelices abortus toties cauſarunt. Incipiemus ab Aphor. 31. ſect. 5. ubi ait Hippocrates: *Mulier in utero gerens ſecta vena abortit. Et magis, ſi major fuerit fœtus.* Aphoriſmo hoc videretur Hippocratem phlebotomiam prohibere velle, ſed ideo ſcriptum hoc reliquit, quia veteris medicinæ antiſtites, quem noſtri partito ſanguinem mittunt, ad libras ſimul & ſemel illi profundere audebant ad animi usque deliquium; jam autem nemo neſcit, quid quandoque evenire illis ſoleat, qui a ſecta vena animo linquuntur; pallor faciei, ſudor, alvi impenſe laxatio, reſolutio muſculorum accedunt, etſi illud prægnantibus accidat, relaxatio ad uterum progredietur, ſuoque uterus tono exſolutus diffluet, fundetque fœtum; ſed ſimile nil metuendum erit a miſſione ſanguinis, quæ partito fit, & re ipſa, ſi venæ ſectio *gravidis cacochymicis*, febribus putridis, bilioſis laborantibus non convenit, plethoricis, iisque cæteris, quibus pulſus durus, celer, facies prærubra, venæ tumidæ, illisque, quæ extra graviditatis tempus copioſos ex-

pe-

periuntur menſes, tandem morbo inflammatorio quocunque tempore graviditatis correptis, convenit venæ ſectio; ridicula ſane & pernicioſa eſt conſuetudo ſecandi venam ob ſolam graviditatem. Si venæ ſectio inſtituenda eſt, indicata non in pede, ſed in brachio inſtituatur, & certe Hippocrates de natura oſſium Cap. 5. Tom. 4. ait: *Danda eſt opera, ut quam maxime procul a locis, in quibus colligi ſanguis ſolet, ſectiones faciamus.*

III.

NICOL. DE PARASCOVITZ

DISSERTATIO DE ARTHRITIDE.

1780.

CAPUT I.

Veteres artis medicæ antiſtites omnis generis dolores, qui vel externas partes muſculares, vel oſſium juncturas invaderent, arthritidis nomine ſalutare conſueverunt, id quod *Avicennæ*, *Hippocratis*, *Aretæi*, aliorumque libros pervolventibus abunde patere arbitror.

Sunt quidam etiam noſtro tempore, qui facilius tranſeuntem arthritidem rheumatiſmi nomine appellare conſueſcunt. *Riverius* arctiori ſenſu voluit arthritidem, jamque diſcrimen conſtituit quoad partes dolentes, & cum in ſolis articulis dolor eſſet, arthritidem, cum vero non ſoli articuli, ſed & media inter articulos ſpatia, mu-

ſculi, membranæ, & perioſtium dolerent, rheumatiſmum voca. *Cl. Hoffmann* (a) ſequentes addit notas diſtinctivas: arthritis ſæpius recurrit, homines miſere exercet, atque diutius inſiſtit, inſimul difficilioris eſt curationis; rheumatiſmus vero ſemel vel bis tantum per omnem ætatem adoritur, nec longo tempore inhæreſcit, facilius tranſit, & ſanationem promptiorem admittit. Dein ait: variat quoque ſæpe ipſe dolor, dum in rheumatiſmo eſt tenſivus gravativus, & preſſorius cum frigore junctus ſine conſpicuo tumore ac rubore; in arthritide vero lancinatorius, diſtractorius, pungitivus, & quaſi rupturam minitans cum inſigni rubore & magno tumore percipitur. Et ſane quisque aſſentiet, diſtinctos eſſe hos morbos, ſi modo attendat, quod uterque horum morborum ſolus occurere poſſit, verum equidem eſt, tanta affinitate conjunctos eſſe hos morbos, ut alter alterum ſæpe ſibi aſſociet, ſibique invicem ſæpe ſuccedant; at difficilior plerumque ſanatio eſſe ſolet, cum dolor fuerit ad juncturas articulorum, quam ubi ſolas partes muſculares invaſerit. Multo quoque frequentius cum dolore articulorum magis depravata craſis humorum, multoque profundius radicata vitia, quam in dolore muſculorum deprehenduntur cæteris conditionibus paribus.

Si conjunctæ incedant hæ binæ ægritudines quod ſæpiſſime fieri ipſe dico, tunc nomine arthritico rheumatici mali hanc affectionem inſignire poſſumus, ut vult *Tralleſius*; ſed an ideo eos

(a) Tom. II. ſect. IV. §. 3.

eos differre sequitur? Jam varias definitiones & varias opiniones diversorum authorum adgrediar circa arthritidem, seu guttam sic dictam ex hypothesi veterum, qui dolorem oriri putabant a stillicidio humoris cujusdam acris in articulos facta. *Boerhaavius* (b) ait: podagra vocatur dolens admodum ægritudo circa ligamenta ossium pedis & circa juncturas horum, vere & autumno maxime revertens; hæc est eadem definitio juxta *Cl. Home* (c) qui podagram pro specie arthritidis habet, & non nisi quoad locum distingui ait, & hoc non sine ratione: sunt hujus opinionis plerique clarissimi viri in arte medica, quod paulo post melius patebit. *Ill. L. B. van Swieten* (d) eam magis differre vult, dicit; quamvis enim podagra quandoque cum arthritide confundatur, patet tamen distinctos esse morbos, licet podagra inveterata alios & plures invadat articulos, tamen incipiens morbus id habet solemne; ut pedes feriat, præterea arthritis febre continua solet incipere, podagra prima nihil minus opinantes, primi podagræ insultus sunt breves, arthritis diu affligit, ita ut si autumno inceperit, vix ante vernum tempus cesset, sæpeque difficiliorem articulorum motus relinquat diu superstitem, neque adeo solemne est ei, ut redeat, fuerunt qui ea graviter decumbentes postea penitus immunes vixerunt.

(b) de curandis & cognoscendis morbis §. 1254.
(c) parte IVto sect. IIda.
(d) Tomo IVto §. 1854. pag. 288.

Sed certe non omnis arthritis febri continuæ jungitur, & quandoque etiam podagrici primo paroxysmo prehensi cum febre continua decumbunt, neque omnis arthritis diu affligit, quod fere omnes authores unanimes udfirmant, motus quoque vitiosi post podagram æque ac post arthritidem relicti fuerunt, uterque morbus redire observatus est minimo etiam vitio in diæta commissio; sunt quoque quidam, qui post passum primum paroxysmum dein, quoad vixerunt, ab omni podagrico insultu immmunes erant. Neque mirum est, quod feriat plerumque pedes, cum nomen podagræ non mereatur nisi pedes feriat, & his omnibus datis, tamen nullam inspicio rationem affirmandi, quod hi bini morbi inter se deberent differre quoad essentiam, quoad locum certe differunt & ideo quoque quoad nomen; quod essentiam morbi mihi non videtur immutare.

Assentit opinioni *L. B. van Swieten cel. Sauvages* (e) qui credit periculosos posse enasci errores, si genus confundatur cum arthritidis specie vulgari, quæ podagra dicitur, (hæc enim sunt verba sua) sed obsistit huic auctoritas magnorum virorum, qualis est *Aretæus* (x) qui dicit: arthritis est communis omnium articulorum dolor, dein subjungit, neque enim multum interest in pedibusve, an fiat in manibus, cum utrique ejusdem naturæ sint. *Hippocrates* (f) eam paucis ita describit: articularis morbus cum corripue-

(e) Nosol. method. Tom. II. class. VII. ordo I. pag. 19.

(x) Libr. II. cap. XII.

(f) Tom. II. sect. XXXI.

puerit calor & dolor corporis articulos invadit, corripit autem etiam acutus, atque in alium atque alium articulum tum remissiores, tum etiam intensiores dolores incumbunt. Subjungit (g) podagram violentiorem esse omnibus ejusmodi morbis circa articulos, diuturnum, & ægre cedentem, conducunt huic ait eadem, quæ morbo articulari.

Apparet jam, *Hippocatem* discrimen posuisse solum in loco & gradu doloris, nequaquam in re essentiali vel in ipsa cura. *Ill. L. B. de Störk* (h) ait: sunt defluxiones artus & articulationes occupantes, quæ ibidem dolorem lancinantem & ardentem producunt. *Cel. Mead.* (i) hic morbus est, air, in quo natura ex onusto corpore id, quod sibi inimicum est & noxium, in articulos protrudere nititur: est igitur potius pro liberatione morbi quam pro ipso morbo habenda. *Cl. Schomberg* (k) dicit: rheuma spatia inter articulos media occupat, arthritis articulos solos. *Cl. Ludwig* (l) ait: arthritis est dolor articulorum cum rigiditate, immobilitate, & tumore partium plus minus insigni conjunctos.

CAPUT II.

Arthritis, varias nacta est divisiones & subdivisiones adeo inutiles, ut & recensione indignæ sint, habuitque communem sortem cum aliis morbis;

(g) Tom. II. sect. XXXII.
(h) Præc. med. pract. Tom. I. p. 235.
(i) Monita & præc. med. cap. XII.
(k) Aphor. pract. pag. 21.
(l) Part. I. Tract. II. cap. VIII.

bis; & certe mirum videri poterit cum morbo adeo atroci nugari, at novimus moris esse multiplicare entia sine necessitate. Ego tantum quorumdam authorum divisiones adferam. *Cl. Vogel* (o) dividit in podagram, gonogram, ischias, chiragram, pechyragram si cubitum, omagram si scapulas, rachisiacam si vertebras, trachelagram si cervicem, & in dontagram si dentes petierit. *Cl. Macbride* (m) ait: die Gattungen der Gicht sind diese: 1. arthritis podagra regularis simplex; seine Anfälle dauern längstens zwei Monat, und so lang er währet, bleibt also der Schmerz bloß in den Füssen, und lasset keine Schwachheit oder Beklemung nach sich. 2. arthritia gonagra, seu chiragra regularis. Diese Anfälle dauern oft das ganze Jahr die drey wärmsten Sommermonat ausgenommen, wenn sie vorbey ist, bleibt der Patiente gelähmt und schwach. 3. Complicatis arthritis, wo Zufälle anderer Krankheit mit der Gicht verknüpft sind, daher entstehen. Arthritis rheumatica, melancholica, scorbutica, chlorotica, syphilitica, asthmatica, rachialgica, exanthematica, & rhachitica. *Cl. Sanvages* (t) eam dividit in hyemalem, quæ senibus & pituitosis inhæret, minori calore stipatur in paroxysmo, at extra eum pruritu. In æstivam, quæ nunquam ægrum domi retinet mitis est, & hyeme plane cessat. In chloroticam, quæ mulieribus propria est, quarum parentes arthritici fuerunt, quæque a catameniorum retentione chloroticæ factæ sunt. In ipsa juventute supervenit, nec non

(o) Anatom. chyrurg. und med. Erfahr. cap. 45. p. 320.
(m) System. Einl. in die prac. Kunst. lib. IV. cap. I.
(t) Tom. II. Class. VII. ord. I. nosal. method.

non adultis ſterilibus raro aut pauca catamenia habentibus, corpulentis ſedentariis, & viraginibus. Huic opinioni aſſentit *Hipp.* (p) Mulier podagra non laborat, niſi menſtrua defecerint. Sunt fœminæ, quibus menſtrua debita copia, debitoque tempore rite profluunt, quæque tamen ea corripiuntur, quod vero rarius contingit. In ſcorburicam, quæ maculis lividis, gingivis pruritentibus & ſanguinem ſtillantibus, paroxyſmo diuturniori, & filamentis albis vicidiſque urinæ inatantibus ſe manifeſtat. In ſyphiliticam, quæ puſtulis rubris ſtipata eſt & doloribus artuum noctu exacerbatis. In rachiticam, ubi omnia oſſa dolent, & ad attactum franguntur, eſt ſine febre & ſymptomata rachitidis præſefert, *Cl. Hoffmanno* (s) placuit diviſio in arthritidem ſanguineam, *cacochymicam*, ſcorbuticam, fixam & vagam. Juxta *Home* (z) dividitur in adquiſitam & hæreditariam, regularem & irregularem. Juxta *Ludwig* (w) in catarrhalem, inflammatoriam, ſcorbuticam, fixam & vagam.

Ill. L. B. de Störk (y) *cl. Tiſſot* (a) & *Georgii Schröder* (c) diviſio optuna eſt, ſecundum quos dividitur in febrilem & non febrilem: febrilem in acutam & hronicam. Dantur enim morbi febriles, qui vero chronici ſunt, qualis eſt febris hecticorum, venereorum, ſcorbuticorum, hydropicorum &c.

Opti-

(p) Aphor. ſect IV. Text 29.
(s) Tom. II. ſect. IV. cap. VIII.
(z) Part. IV. ſect. II.
(w) Tom. I. tract. II. cap. VIII. §. 584.
(y) Prælect. med. pract. Tom. I. (a) Anleitung für das Landvolk. cap. XI. §. 163. (c) opuſc. med. de arth. vaga §. VI.

Optima ſane eſt hæc diviſio petita a genio febris, hæc enim nos in cura dirigere debet, & non nomen arthritidis, qui mos obtinuit apud medicaſtros.

Dividitur quoque ab iisdem in vagam, & fixam. Notabilis eſt hæc diviſio ratione periculi, quod cæteris paribus majus eſt in vaga, & ratione durationis, quum vaga quoque plerumque diutius infeſtet. Quarum utraque modo mox allato commode dividi poteſt in febrilem & non febrilem.

CAPUT III.

His præmiſſis adgredior progreſſum arthritidis febrilis inflammatoriæ, quæ vere & autumno præcipue homines adgreditur, tunc ſcilicet, quando maxime obſervantur viciſſitudines aeris.

Antequam morbus ſe manifeſtat, per quosdam dies ſigna læſæ ſanitatis adparent; conqueruntur de frigore, horripilatione, laſſitudine corporis, & præcipue extremitatum, capitis gravitate, & ejusdem dolore: pulſus plerumque adeſt durus, ſupervenit adpetentia imminuta, & nauſea cum ſiti: triſtes & inquietes ſunt animo. Hoc ſtadium non apud omnes æque diu durat, in robuſtioribus multo citius finitur, & tranſit in morbum. Secundo tertiove die febris violentius ſe prodit cum horrore, quem æſtus cum pulſu duriore, ſiti majore, capitisque aucta gravitate & ſtupiditate, vel etiam dolore, reſpiratione difficili, & vigilia ſubſequitur: alvus eſt adſtricta magis, urina cruda; appetitus nullus. Ferme cum initio febris adoritur quoque dolor, qui ſenſim augetur in uno alterove articulo ita, ut motus fere

ſem-

ſemper magis atque magis impediatur, & hic dolor eſt, qui declarat genium morbi.

Accedit huic dolori calor in parte dolente percipiendus attactu manus; nonnunquam rubore tota pars perfunditur cum tumore plus minuſve ſenſibili. Frequentius dolor genu invadit, qui ſæpe fixus permanet, quandoque vero poſt unum alterumve diem remittit, imo etiam plane per longum ſatis tempus ceſſat. At nullo opinante in alio articulo plus ſæviens ſæpe iisdem ſymptomatibus exoritur, & inde vaga fuit dicta arthritis; ſæpe in hac, non remittente priori dolore, alius in alia parte accedit, & quandoque omnes corporis articuli æquali fere ubique dolore ita occupantur, ut omnes prohibeantur motus, omnen ægri adtactum partium læſarum, etſi minimum, fugiant; *multi ægri neque pondus ſtragulorum ſine moleſtia ferunt*, difficillime vero fertur arthritis ad coxam, lumbos, & nucham depoſita.

Solet hic dolor noctu plerumque exacerbari, uti dicit *III L. B. de Störk* (k) hi dolores veſpertino tempore aucti ſomnum arcent; dein *celeberrimus Ludwig* (a) ait: paroxiſmi vero veſperi potiſſimum accedunt matutino tempore pauliſper remitentes. At caveamus, ne hos dolores opiatis lenire *fruſtra tentemus*, niſi ea ſumma neceſſitas expetat, ſed de his inferius plura.

Hic morbus quandoque ſat felicem paucos poſt dies ſortitur exitum, at ſæpe adeo pertinax eſt, ut per plures hebdomadas affligat, & in morbos chronicos abeat.

(k) Præc. med. pract. Tom. I.

(a) Inſtit. med. clin. part. I. Tract. II. cap. IX. §. 589

Hinc variat decurſus morbi ratione febris, doloris, ſedis, & variarum mutationum, quibus plus minusve ſubjactus, eſt æger: maxime vero ratione cauſæ, quæ naturam hujus morbi præcipue immutare valet, ſi jam morbus ad vigorem ſuum pervenerit, qui urina turbata cum ſubſequente hypoſtaſi indicari ſolet, & modo citius, modo tardius, nonnunquam prima, quandoque tertia finita ſeptimana incidit, frequentius ſuperveniunt ſudores: ægris præcipue ad partes dolentes & tumentes, & hi potiſſimum iis levamini ſunt: tenax eſt hæc materies, in affectis partibus per poros expreſſa, peculiaris & penetrantis fœtoris, qui non tam deſcribendus, quam potius *ad lectos aegrorum* addiſcendus eſt. Non raro hi ſudores in principio vel incremento morbi ſponte vel mala arte excitati adſunt, qui nunquam morbum tolerabiliorem reddunt, niſi morbus levior fuerit, ſæpeque diuturnitatem & pertinaciam morbi futuri deſignant.

Morbus poteſt infringi, ne ad vigorem perveniat, ſi in initio morbi fiat evacuatio materiei corruptæ mobilisque factæ ſurſum vel deorſum, quod ut ſupra dixi, ſudore rariſſime ſperandum eſt. Profluvia ſanguinis idem ſæpe præſtabant, quod evacuationes, de queis nunc diximus, præcipue vero, quæ ex naribus fiunt. Declinationem morbi mitior gradus dolorum, brevior duratio, vel plenaria eorum intermiſſio, melior appetitus, & abſentia conſuetæ moleſtiæ poſt ſomnum perceptæ, cum aliis coincidentibus deſignant. Interdum alvus, quæ in initio & incremento ſtrictior fuit, nunc ſoluta magis ad eliminandam materiem morboſam e corpore juvat. In aliis urina morbum ſolvit, ſi per plures dies

co-

copiosum sedimentum flavescens deposuerit. Multum conferunt ad curam morbi sanguinis effluxines e vasis hemorhoidalibus, vel ex utero in fœminis, sudoribus sub finem accendentibus, & respondentibus magnitudini morbi, febris tota dispellitur, & articuli omni dolore liberantur. Hæcque pro frequentiori evacuatione ac huic morbo convenientissima habetur, a *Cl. Tissot.* (s) Quandoque purpurea superveniunt exanthemata, quæ morbum levare posse observabantur. Non inspicio, cur desuper *Cl. Schröder* dubiter, alii plane negent, morbum his levari posse; ratio ejus allata mihi certe non sufficit, cur non ideo, quia jam fugata febre exanthemata adhuc perstant, ea non sint critica?

Quandoque deponitur ad femora aquosa, & acris materia, quæ ibi vesiculas facit, quæque apertæ sæpe in ulcuscula degenerant, quibus postea nimis cito curatis, sicque effluxu hujus materiei impedito, pristini dolores, immo & atrocio revetuntur, hinc attentendum est, donec sponte exarescant. Ad suppurationem hæc affectio rarius pervenit, etsi sit indolis inflammatoriæ, succedere tamen hæc potest, ubi vehementior morbus fuerit, & articuli gravius affecti; uti experientia docet; hinc hi tumores, si fluctuare observentur, illico aperiendi sunt, ut humori contento exitus detur, ne in alium transferatur locum, & æger novo exponatur periculo. Tumores quoque duri irresolubiles quandoque observantur relicti ab hoc morbo exostosium ad-

in-

(s) Anleitung für das Landvolk, cap. II. §. 173.

inſtar præcipue in illis, quorum articuli gravius, frequentius, vel diutius dolore & tumore affecti erant, vel maxime, ubi criſis non fuit perfecta. Manet ſæpe febre & violentia dolorum abactis torpor, tumor articulorum affectorum, difficultas eos movendi, nonnunquam tenſio, & flexio membri ſummum creant dolorem, & tales reliquiæ ſæpe per menſes, imo & annos durant, evacuatione ſponte orta metaſtaſi, vel diuturno uſu remediorum auferuntur. Si vero neglectæ, vel perverſe tractatæ fuerint, per totum vitæ decurſum nulli amplius obedientes curæ perſiſtunt. Exſtant tales caſus legendi apud *Cl. de Haen* (a); ſæpe febrem hecticam relinquit: frequentiſſime vero in Arthritidem Chronicam abit.

CAPUT IV.

Arthritis chronica equidem frequenter febrilem inſequitur ob criſim non adæquatam, minusque perfectam, verumtamen aliquando ſponte & pedetentim naſcitur. Hac corripiuntur maxime homines debilioris corporis compagis, in queis languent vires vitales, & quorum corpora ſunt minus proclivia ad febres ſuſcipiendas: qui ſero, & pituita abundant, & irritabilius ſyſtema nerveum habent.

In principio nulla, vel non perceptibilis & incerta febris in hac affectione adeſt, neque facile invenitur tumor ruber calorve præternaturalis, non adeo multas ſimul agreditur parses dolor, neque, etſi in uno loco ſit, adeo extenſos

(a) rationis medendi parte IVta cap. IV. §. 1mo.

ſos habet limites, at multo diutius inſiſtit, quam ille Arthritis inflammatoriæ.

Introcedit vero etiam ad internas partes, ibique varios producit morbos, ſic in pulmonibus tuſſim, aſthma, dolores colicos in inteſtinis & varias pertinaces diarhæas provocat: ſi deponatur ad renes, vel veſicam urinariam, ſignis calculi ſæpe imponit minus peritis, quæ periculo non carent; at minus periculum inducunt depoſitiones, quam eæ, quæ oriuntur in Arthritide febrili inflammatoria, quæ non tantum facilius contingunt, ſed etiam gravius affligunt. Notandum præterea eſt, Arthritidem chronicam lente ſine notabili impetu circulationis auctu exortam in eo differre ab illa, quam Arthritis inflammatoria relinquit, quod hæc ultima minus vaga ſit, difficilius adhuc transferatur & ſæpe immobilitates pectinaces artirulorum cauſet, frequentiſſime vero excreſcentias, nodorum figuram præſeferentes, ſibi adjunctas habeat: illa vero prior ſine febre prægreſſa orta plus affinis eſt affectionibus rheumaticis, hisque ſæpe adſociatur, immo & genium ſæpe ſuum mutat, & abit in rheumatiſmum.

Si Arthritis feriat pedem; plerumque pollicem pedis irruit; dolor tunc præſens ſimilis eſt illi percepto a luxatione partis, qui omni fere hora augetur, fitque lancinans, mordens, urens, vel pungens, coarctans, vel gravatius, & occupat cuncta oſſa tarſi, & metatarſi, neque deſiſtit, niſi poſt nuchtemeron elopſum, ubi ſudore finitur. Plura deſuper ſeorſim agere ſuperfluum eſt, quum reliqua ſymptomata communia habeat cum Arthritide in alio quocumque articulo.

CA-

CAPUT V.

Præmissa idea febrilis, & non febrilis arthritidis, consultum duco ad causas prædisponentes trensecundum esse. Ætas huic morbo subjecta est a quinque annis supra tringinta (quod etiam *Cl. Aretæus* (b) commemorat.) celerius quoque aut tardius, prout cujusque natura, & victus ratio postulat, at neque in omnibus morbus hic senium præstolatur, quandoque enim etiam florentes ætate corripiuntur, quoties infelicia morbi semina a parentibus acceperint, vel veneri maturius indulserint. Pueri ea raro afficiuntur, sexus fœmineus quoque rarissime arthritidi præcipue febrili inflammatoriæ obnoxius vivit, neque is tamen ea plane immunis est, testante *Sydenhamo* (m) podagra fœminas, ait, perraro infestat, easque nonnisi jam vetulas & viragines, seu corpore habitum masculorum æmulantes, quæque parcius solito more menstruant. Constat quoque experientia, eas tanto difficilius hoc morbo laborare, si corripiantur, Rarius corpus in senectute ea affligitur, nisi ea jam antea fuerit correptum. Facilius cum febre arthritici fiunt, qui systema nervosum magis irritabile habent, sanguinemque satis compactum, & qui ingenio acuto præditi sunt: facilius, qui victu opiparo & lauto abutuntur. At quamdiu corpus agile est, & morus validos bene fert, ciborum ingestorum copiam superare, & in requisitam indolem assimilare potest.

Hæc

(b) de signis & caus. diutur. lib. IIda cap. XIImo.

(m) Opera Med, Tom. Imo tract. de podagra pag. 307.

Hæc non adeo magnum adferunt detrimentum, ſed tunc potiſſimum, cum ingraveſcente ætate lanquere corpus cœpit. Qui potu vinoſo ſpirituoſo nimis delectantur, & præſertim, qui vinis ſub acidis uti Rhenanis, Moſelanis &c. abutuntur, facilius & pertinacius ea afficiuntur, quia his vinis major copia tartari ineſſe ſolet. Obſervatum quoque fuit, eos, qui in ſeram noctem uſque compotationes protrahunt, & a deſtillatorum liquorum uſu nimis cito ad tenuiores tranſeunt, plus arthritidi obnoxios eſſe. Maxime ad has cauſas meretur referri juxta opiniones tam veterum, quam recentiorum immoderatus, & præmaturus veneris uſus, quum vires concoctrices a venere nimis celebrata debilitentur, ut Sanctorius cum aliis pluribus monet; & videtur *Hipocrates* (x) ideo eunnuchos, & impuberes hoc morbo immunes pronuntiaſſe, quod ad venerem exercendam apti non forent. Spectat huc quoque abuſus acidorum qualiumcunque: certum quoque eſt, acida vegetabilia præcipue proſternendo vires primarum viarum, acida mineralia vero inſpiſſando humores & criſpando vaſa id præſtare poſſe, aſſentit *Cl. Hoffmann* (c) qui dicit: nil eſt præter frigidum exceſſivum in rerum natura, quod tam prompte fluxiles humores inſpiſſat, coagulet, adeoque ad circuitum per minima vaſa ineptos, ad ſtagnationem vero aptiſſimos reddit, quam acidum ibidem; diſſuadet acidit largiorem uſum qualiſcunque, utpote cauſam

(x) Aphoris. ſectione VI. ſeztu 28 & trigeſimo.

(c) Fundamenta pathol. gener. ſect. III, cap. III, §. 12. Tomo 1mo.

fam omnium gravium, & diututnorum morborum, præcipue vero calculorum, & arthritidum. His causis addit *Cl. Home* (b) & *Cl. Hoffmann* (s) exacuationes subpressas, ajunt enim, quibus in juventute hæmorrhagiæ narium frequentiores fuerunt, & dein cessarunt, his doloribus frequentius obnoxios esse, quemadmodum constat, haemorrhoidalem fluxum consuetum si debito modo & tempore procedit, a doloribus tam rheumaticis, quam arthriticis viros immunes præstare, quibus sub ejusdem defectu, vel suppressione facile obnoxii sunt. Simili ratione otio dediti in hunc morbum sæpius delabuntur, in his enim nec chilificatio, nec secretiones, & excretiones debite contingunt, unde major copia materiei facile colligitur, quæ ad articulos deponi poterit, *Cl. Schröder* (o) potissimas inter causas imbecillitatem generis nervosi ponit, at non vult ab hac sola morbum dependere, etenim infantes, feminas, atque eos, quos morbus diuturnior maceravit, pariter morbum debere invadere ait, quum fere virosissimos quosque adoriatur, & robustissimis naturæ principiis imbutos. At neque hos aggreditur, donec febris & spirituum congestio accesserit. Non debite succedentes crises febrium tam continuarum, quam intermittentium, aut mala, aut impeditæ diarhææ, dysenteriæ, immaturæ inhibitæ & colluvies qualiscunque in primis viis climinanda non educta ad arthritides corpus disponere solent. Dispositio scorbutica

(b) Principia mædicina liber. IVto sect. IIda. 4ta.
(s) Fundam. path. Tom. IIdo. sect. IVta, cap. VIII. § 13.
(o) Opuscula medica differt. de arthritide vaga.

geneſi hujus morbi non febrilis multum favet: ſic quoque leucophlegmatia & omnis cacochymia. Plurimum conferre videtur ad arthritides ſuſcipiendas diſpoſitio hæreditaria, & ſane dantur plures hoc morbo affecti, in quibus nil culpari poterat, qui ſobrie, caſte & moderate vixerunt, præter hanc labem.

Boerhaave (y) addit quoque contagium; proſtant certe exempla hominum ſaniſſimorum, neutiquam diſpoſitorum, per contagium podagra affectorum: ſic uxores ſaniſſimæ, dum diu noctuque curam podagricorum virorum gerebant, eodem morbo poſtea laboraſſe refert *Cl. van Swieten.* (z)

CAPUT VI.

Ad claſſem cauſarum, quæ corpori morbo huic ſuſcipiendo idoneo ſupervenientes id in morbum conjiciunt, præcipue ſpectat peculiaris tempeſtatum viciſſitudo, qua frigidior præſertim cum acriori boreali vento inſequitur calidiorem prægreſſam: nonnunquammediocre ſufficit refrigerium ad excitandam arthritidem, ubi corpus humoribus impuris ſcatuerit & ad morbum diſpoſitum fuerit. Manifeſtius inhibita perſpiratio vel ſudor hunc morbum tanto facilius producet, quo plus ea excretio corpoti fuerit neceſſaria. Multum quoque aëri humido eſt imputandum, qui perpetuo fibras irrorans eas laxiores, & magis irritabiles reddit, ut majorem mutationem in iis pro-

(y) De cur. & cognoſc. morb. aphor. 1255.
(z) Tomo IV. §. 1255. pag. 299.

producere valeat viciſſitudo aëris, a qua minus hæ fibræ affectæ fuiſſent, quoad frigus & calorem, eſtque talis tempeſtas ſæpe cauſa, quod in una alterave regione plures ſubinde incolæ more epidemico hoc morbo corripiantur. Procreat & accelerat arthritides vitium quodcunque commiſſum in ſex rebus non naturalibus, unde cruditas oritur, hinc immoderatus, & præmaturus uſus veneris, de quo ait *Baglivius* (n) veneri & baccho indulgentes ad ſatietatem impoſſibile eſt, ut arthritide non corripiantur, aut morbo calculoſo. Pergræcatio & luenbratio, nimia animi ad ſtudia & res ſerias adplicatio, commeſtio alimentorum difficilius nutrientium, aromatibuſve conditorum, præcipue aſparagorum, porri, allii, braſſicæ, & lardi; fors priora agunt penetrabili vi propria non ſuperabili a viribus naturæ, qua movetur, & in actum deducitur materies morboſa, quæ hactenus ſtebat, nec ſola ſufficiens erat ad motum hunc excitandum. Certum interea eſt, etſi ratio nos lateat, hæc corpora in diſpoſitis paroxyſmum accelerare. Quod lardum aliaque pinquia attinet, quoad actionem illorum, ratio plus patet, quia hæc non niſi a robuſtis, & labore exercitatis corporibus ſubigi, bencque digeri poſſunt, ſi majori copia adſumantur, præcipue vero lardum, ſicque facillime cruditas oriri poteſt. Notum præterea eſt, a pinquibus inhiberi perſpirationem, quæ tamen inter cauſas arthritidem evcitantes jure merito ab omnibus collocatur. Corticem peruvianum arthritidem ſcorbuticam producere quidam affirmant, ſed id potius malæ applicationi tribuendum eſſe cen-

(n) Opera omnia medico practica lib. I. p. 177.

censeo, quam ipsi remedio; sic in febribus intermittentibus, vel remittentibus, præmature, priusquam crisis perfecta fuit, quin ut necessitas eum porrigendi expostulaverit, cortex datus, eam inducere poterit, figendo materiem peccantem in corpore, quæ ad artus deponi potest, sed sub hoc sensu hoc idem de multis aliis medicamentis dici poterit. Defatigatio major etiam referenda venit ad has causas; scimus enim a solo corporis motu aucto acutissimas posse incendi febres maxime in non adsuetis, & aucta per motum corporis velocitate circulationis agitari omnia, adeoque & materiem morbosam, quæ antea hinc inde in corpore dispersa nulli affectui majori exferendo par erat, jam nunc vero ad artus motu nimio debilitatos, aucta vi humorum, protruditur, & exinde fit, ut plerumque ad artus inferiores plus defatigatos metastasis contingat.

Cl. Sydenham (o) monet eos, qui podagricis validius exercitium corporis commendabant, ajens: hoc vero exercitium vehemens non sit oportet. Vehementior animi perturbatio huc referri debet, maxime iracundia, & ira, præcipue si studio subprimantur, vel cælentur, vel solicitudo ex injuria perpessa, a quibus non raro bilis corruptæ ad præcordia accumulatio deprehenditur, & quandoque excretiones consuetæ majoris momenti intercipiuntur, sic sudores & fluxus hæmorrhoidales, catamenia mulierum, lochia puerperarum, & paucis omnes excretiones solitæ quacunque causa iimpeditæ hanc affectionem procreare, & accelerare poterunt. Ulcera solito prius sanata frequentissime arthritides excitant.

(o) Opera medica Tomo Imo tract. de podagra.

Sæpe deducitur in actum materies a victu animali ſub finem febrium ortarum a ſaburra quacunque, qui, antequam appetitus ex voto redierit, neque ſaburra abunde eliminata fuerit, ſæpe concedi ſolet ægris, ut his vires reſtituantur. Addenda quoque venit purgatio alvi frequentior, quæ ſola pariter accelerando paroxyſmo; fuerunt equidem quidam medici opinionis, partem materiæ morboſæ depoſitæ vel paulo poſt deponendæ in articulos poſſe tolli remediis purgantibus ita ut paroxyſmus ſubſecuturus lenior ſit, & ipſe *Cl. Hoffmann* commendat purgantia, dicitque mitiores ſemper evadere dolores, in quocunque loco etiam exiſtant, ſi prima regio prius ſordibus ſuis fuerit repurgata ante uſum aliorum medicamentorum, & addit ſe expertum eſſe in ſuo proprio corpore inſignem fructum remedii purgantis ſtatim ab initio dolorum: verum videtur eum potiſſimum laudaſſe uſum purgantium, ut ventriculus, & inteſtina liberentur a vitioſis humoribus; at *Sydenham* (p) vir maximæ in hoc præcipue morbo authoritatis ait: ego certe perſuaſiſſimus ſum, & iterata experientia edoctus, omnem catharſim tam per lenientia, quam per fortiora purgantia, qualia pro more expurgandis articulis deſtinantur, plurimum nocere ſive in paroxyſmo ad minuendam materiem peccantem, ſive in fine ad diſſipandas morbi reliquias, ſive in perfecta intermiſſione, & recta valetudine, ut venturo paroxyſmo occuratur, ſi purgatio in uſum vocetur, etenim tam mei ipſius quam aliorum periculo id compertiſſimum habeo. Cathartica enim, addit, in fine paroxyſmi uſurpata id tantum agunt, ut re-

(p) Opera med. Tom. Imo tract. de podagra.

recens paroxysmus de novo subpullularet haud mitior isto. Omnia enim purgantia, quæcunque dentur stimulum inducunt, orgasmum humorum augent, & sic quoque materiem morbosam in motum cient; dein nescio, quomodo fiat, ut purgatia materiam vasis minimis impactam sine summo periculo evacuare possint per alvum, quum leniora his efficiundis paria non sint, fortiora vero & drastica summos motus excitent in corpore, a quibus plerumque vix tolerabiles dolores oriuntur, & materies a parte fors minus nobili revulsa hinc, & illinc oberrans locum nobiliorem petere potest, sicque morbos periculosissimos, immo & ipsam mortem inducere valent, & certe plura exempla profitant podagræ hac methodo retropulsæ: notum præterea est, omnia purgantia debilitare primas vias, quæ debilitas tamen ab omnibus pro causa arthritidis habetur, an hoc non est causam morbi augere? Hæc de causis excitantibus sufficientia esse existimo, jam ad difficiliora transeo, de causa proxima dicturus.

CAPUT VII.

Causa proxima varia a variis authoribus adsignatur. *Aretæus* (a) dicit causam veram soli dii noverunt, probabilem vero, & adparentem etiam homines, est autem hujusmodi, quod præ densum est, & vulneratione non sentit, idcirco, & ex tactu, vulneratioque non dolet, dolor enim est res aspera sensui, densum autem non exasperabile ideo quoque est indolens.

Hip-

(a) De caus. & sig. diutur. lib. 1. cap. XII. O (9)

Hippocrates (b) arthridem derivat a bile & pituita, quum commotæ in articulos incubuerint; addit paulo post, multi ex hujusmodi morbo claudi fiunt, quum bilis in articulis concluſa in tophum caleſcit.

Boerhave (c) ait, ex his liquet, cauſam proximam hujus mali eſſe vitiatam indolem minimorum vaſorum adeoque nervoſorum in corpore: tum etiam liquidi, quod partes nervoſas alluit, & liquidum peccans hic acrimonia & majori tenacitate, ſolidum nimia vaſcolorum anguſtia, & rigiditate.

III L. B. van Swieten (d) ejusdem eſt opinionis.

Home (e) inquit, videtur cauſa proxima eſſe in humorum viſcoſitate & peculiari acrimonia a materie perſpirabili, ob vitium curis gradatim retenta, quia ſenes & ſedentarios maxime infeſtat, hieme non æſtate ſe monſtrat paroxiſmus, a ſuſepto frigore accelleratur, & quia medela per perſpirationem auctam perficitur.

Celeb. de Gorter (f) dicit, præprimis ſuccus nerveus inter fibrillas nervorum circulans & a tunicis eorum ſecretus inquinari videtur ab acido in ſanquinem delato, unde dolor, convulſio, arthritis & cet.

Lud-

(b) De affectibus internis Tom. IIdo cap 44.
(c) De cur. & cogn. morb aphor. 1262.
(d) Tomo IVto §. 1262. pag. 313.
(e) Principia med. parte IVto ſectione IIda.
(f) Compend. med. Tom. I. tract. 38. §. 64.

Ludwig (g) ſic ſcribit: cauſa proxima arthritidis in tenuiſſimis humoribus viſcidis, & acribus ponitur, peculiaris tamen & diverſa ab omnibus reliquis, cognoſcitur vero ejus indoles non ex mixtione, ſed per effectus tantum patet, materies ſcilicet terreſtris gipſea vel calcarea analoga cum ea calculi renum & veſicæ, niſi quod multo nobilior ſit.

Mead (h) de ſede & cauſa hujus morbi agens addit, in has partes delapſus ſuccus vitioſus acrimonia ſua graviter pungit, & vellicat, hinc oritur inflammatio &c.

Sauvage (i) cruſtam albam gelatinoſam in ſanquine exiſtentem pro cauſa ponit.

Fr. Hoffmann (k) ait: ſicut omnis moleſtæ & triſtis ſenſationis cauſa eſt humor ſive copia ſive intemperie pecans intra vaſa minima tunicarum & membranarum nervoſarum ſtagnans, atque congeſtus, qui violentia quadam eas diſtendit, vellicat, rodit, ita eadem quoque cauſa in affectibus arthriticis locum habet.

Liger (l) medicus gallus credit cauſam eſſe poſitam in indole mucoſa, hocque demonſtrare vult ſectione anatomica, per quam ſe inveniſſe ait mucum tenacem depoſitum ad articulos, eorum

(g) Inſtit. med. parte. 1ma tract. IIdo capite IX. §. 586.

(h) Mon. & præc. med. cap. XII. de podagra.

(i) Noſol. meth. Tomo IIdo claſſe VIIma.

(k) Fundamdnt. pathol. ſect. IV. cap. VIII. §. 5. Tom. II.

(l) traité de la goutte per charle louis Liger a paris 1753.

(m) Anleitung für das Landvolk cap. XI. §. 167.

rum ligamenta, & tendines, & urina hoc morbo decumbentium, in qua hypostasim materiæ mucosæ vidisse dicit.

Cl. Tissot (m) ait: die Ursach des Gliederreisen ist eine gehemte Ausdünstung, und eine entzündete Verdickung des Geblütes.

Sydenham (n) causam posuit in defectu sive declinatione caloris, & spirituum naturalium, humorumque congestione.

Huxham (o) videtur posuisse causam in bile ad loca dolentia deposita; adparet id ex eius cura quam communiter emetico incepit a que post ejectam bilem omnes dolores saltem pro tempore cessasse air, secutus *Celsum* (p) dicentem: humerorum dolores, qui ad scapulas vel manus tendunt, vomitu atræ bilis solvuntur.

Schröder (q) non dubitandum esse putat, adesse humorum indolem ad concretiones terreas pronam: at ideo in cura hoc respiciendum non esse addit, præcipue in arthritide inflammatoria.

An non posset statui serum sanguinis inspissatum & acre cum sanguine denso plus minusque prono ad inflammationem junctis debilioribus sistematis nervosi viribus?

Serum enim, a sanguine educto ex homine hoc morbo decumbente, post aliquot horas sereus virga elevarum fila gerit: huic accedit, quod ex apertis tumoribus in hoc morbo natis se-

(n) Opera omnia Tomo 1. tract. de podagra.

(o) Opera phys med Tomo 1. opusc. 8. de morbo colico Damnoniorum.

(p) Libro II. capite VIII.

(q) Opusc. med. Dissert. de arthrit. vaga.

ſerum viſcidum repertum fuerit, quod leni gradu caloris inſpiſſari teterat; hoc idem probant veſicæ; excitatæ veſicante, plenae ſimili gelatinoſo ſero, urina critice emiſſa examinato ſedimento hoc adhuc plus demonſtrat.

Inter frequentiores arthridis, præcipue non febrilis cauſas a multis clariſſimis viris refertur diathefis ſcorbutica, & certe non eſt ratio, cur pro ficta declaranda ſit, quum & *Sydenham*, hos artuum morbos oriri poſſe ex illa diatheſi, propria ſua obſervatione confirmet, & eadem ratione, qua alia denſitas humorum, ita quoque ſcorbutica vaſis minoribus oppilandis apta eſt, quæ ad artus depoſita, ſi vigor ſufficiens adfuerit, arthritidem ponet.

Miasma venereum cauſam proximam eſſe poſſe docent exempla, docet cura. In arthritide retropulſa talis erit cauſæ indoles, qualis fuerat materiei, & quænam cauſa dolorum.

Jam videamus, quænam ſit ſedes hujus materiei, & quænam cauſa dolorum.

CAPUT VIII.

Sedes ex communi omnium ſententia præcipue in ipſis membranis, quæ prope juncturas reperiuntur, easdemque firmant, ligamentis nempe, & capſulis articulationum, aponevroſibus, atque tendinibus ad oſſa vel membranaceas ipſas partes defixis eſſe adſumitur. Sic quoque definivit *Arætæus* (r) ajens: initio vero articulorum vin-

(r) de cauſ. & ſig. diutur. lib. IIdo capit. XII.

vincula, & quæcunque ex ossibus exorta sunt, & in ossa inseruntur, dolere incipiunt.

Cœlius Aurellianus (s) dicit: passio hæc in nervis constituitur, qui sunt natura densissimi, & inter articulorum nodos constituti, vel in eorum colligationibus.

Mead (t) paucis dicit, vincula articulorum sunt sedes hujus morbi. *Magnus Hallerus* (u) dicit: ex enormibus torminibus, quae ferunt podagrici, aut arthritici homines, videtur ipsa cutis, aut subjecti cuti nervi doloris sedem præstare, quem ab ab insensibili capsula frustra exspectes, & quem heic non quæres, ubi nervi vel nulli vel ægerrime certe demonstrabiles reperuntur; dein addit: nullus enim tendinibus dolor est.

Posita jam minimorum vasculorum prope articulos oppilatione, & humoris alieni, acris, spissique in his præsentia & vigore humorum persistente nullum dubium erit, undenam ille dolor atrox arthriticorum sæpiusque superveniens tumor & rubor excitentur, quæ ut metastases criticæ salutari molimine naturæ fortioris morbo contingunt, & ex reliqua massa humorum id seperant, quod in massa humorum retum summas maximos morbos immo & ipsam mortem induxisset. Id ita esse plus patet, si spectetur, pejor semper conditio ægrorum quoad reliquum corpus, & munia viscerum, antequam dolor in ar-

(s) lib. V. morb. chronic. cap. II.

(t) monita & præcepta medica cap. XII. de podagra.

(u) elem physiol. Tom. IV pag. 248.

articulis percipiatur, & peior valetudo, si dolor antea præsens ad artus cessaverit, & materies vel mala diæta: vel cura perversa, aliave quacunque causa retropulsa fuerit, quæ circulantis humoris adpulsu, fibrarumque tritu quodamodo digeritur, & dissolvitur, non ita tamen, ut ad perspirandum apta reddita fuisset, sicque in venas recipiatur, derelictis sensim partibus, quas affecerat, sique iterum erit in vasis materies, quæ ad alios artus deposita eidem tragœdiæ ludendæ par est.

Cur potius articulos amet, quam alia viscera, posset ex distantia a corde, lanquido ibidem circulo, vasis minimis, eorum complicatione, & convolutione explicari. Sed cur non æque glandulas petat, quæ quasi extra territorium circulationis positæ sunt, ubi idem lanquor motus humorum, eadem convolutio vasorum minimorum nescio, Hoc verum esse experientia constat, ut rationem inveniant, peritioribus in Theoria reliquo. Nonnunquam dolor febre jam debellata, vel in non febrili arthritide mitior diu sæpe remanet omnibus reliquis functionibus bonis; vel, si cessaverit, leviſſima data causa revertitur, hocque ex minus perfecta crisi & debilitate articulorum sæpius diutiusve affectorum, commode explicari potest.

Cl. Hoffmann (w) in acrimonia caustica diuturnitate contracta humoris limphatici, & *Cl. Mead* (x) in succo vitiato, qui acrimonia sua pungit, & vellicat, causam doloris posuerunt.

CA-

(w) Tom. I. fundam. pathol. generalis sect. III. cap. VIII. §. 34.

(x) Monita & præcepta medica cap. XII. pag. 110.

CAPUT IX.

In prognoſi caveamus, ne nimis præcoces ſimus, fama enim medici multum periclitatur, niſi prognoſi reſponderit eventus. Morbus valide moleſtus eſt, at per ſe raro periculoſus, ſi methodus bona adminiſtretur, æger ſe gerat juxta regulas, quas mali natura poſtulat, neque temporis pertæſus ſe fatis committat omnia reſpuens remedia, ſicque malum inveterescat. Duratio morbi optime præſugitur ex noto genio febris, ſi vero morbus febrilis non fuerit, tunc ſciendum eſt, quod plerumque in longius tempus protrahatur. Arthritis vaga ceteris conditionibus paribus periculoſior, & diuturnior eſſe ſolet, quam fixa. Si dolores fuerint ingentes, paroxiſmi erunt breves. Si vires vitæ ſunt debiles, frequentiores, ſed minus perfecti inſultus occurrunt: ſæpe quoque viſcera vicina officiuntur, ſi vires languescant. In malo inveterato curatio nulla vel difficillima eſt. Periculoſiſſima eſt arthritis retropulſa, ſaepeque morbos chronicos pertinaciſſimos creat. Arthritis per ſaturnina male tractata, vel derivantibus a cute, non raro degenerat in lethalem ſphacelum: *Hoffmann* (y) Arthritis facilime mutatur in colicam. *Schomberg* (z) perraro quis arthriticus eſt, quin fiat nephriticus. *Idem.* (a) Dolores, qui neque medicamento, neque ſanguinis miſſione, nec alio modo cu-

(y) Tom. I. fundam. path. gener. ſect. III. cap. VI. §. 28.

(z) aphor. pract. de arthrit. & podagra pag. 22.

(a) aphor. pract. de arthrit. & podagra pag. 21.

curantur, ad ſuppurationem vertuntur, *Hippocrates*. (b) Dolores, qui ſine ſignis levantur, lethales *idem*. Omnia remedia podagricis inutilia ſunt, niſi vinum, venerem, & otium temperantius uſurpentur. *Baglivius*; (c) fœminæ difficilius curantur hoc morbo, *Aretæus* (d); qui hoc morbo ex hæreditate laborant, difficilius, ſi unquam, perfecte curantur, *Boerhaave* (e); arthritis tophacea curatu nifficillima eſt, *Boerhaave* (f). Anchyloſis claudicationes, contracturae, & ſpontaneae relaxationes ab arthritide relictæ raro integre curantur.

Bonum eſt, ſi arthritidi non febrili febris ſponte ſuperveniat cum levamine morbi. Sudor ſine ſubſequente levamine malus eſt arthriticis. Hæmorhagiæ narium, hæmorrhoidum, aut uteri ſæpe integrum morbum ſanant. Quo quis frequentius prehenditur paroxiſmo, mitior ſemper fit, ut tandem dolor in ægritudinem convertatur *Sydenham* (g). Arthritis venerea non facile medicinae obedit. Non curabitur arthritis ſcorbutica, antequam curetur ipſe morbus. Vere affecti facilius curantur, quam qui autumno corripiuntur. Arthritis tumens mitior eſt, *Boerhaave*. (h)

CA-

(b) libro IV. coac.

(c) Prax. med. lib. I. de dolor in genere.

(e) aphor. de cogn. & curan. morb. de podagra §. 1169

(f) eodem in loco.

(g) oper. medica de podagra.

(h) aphor. de cogn. & curan. morbit. §. 1232.

CAPUT X.

Quum difficultatem medendi huic affectioni præsenti, præcipue hæreditate adquisitae, quilibet inspiciat de prophilaxi ejus agere optimum esse censeo, qua morbum in corpore latentem praecavemus. Id vero possibile exinde judico, quod quaedam exstent exempla hoc morbo curatorum, ubi ille jam altas egit radices, quodque quandoque filii, quorum pater erat podagricus, immunes sese reddiderint hoc morbo, mutato vitae genere, cui addictus erat pater; verum quidem est, quod non videatur deletus ille character haereditate susceptus, quum transire observetur in progeniem. Sed & illa frugali vita & salubri motu corporis cavere poterit, ne latens morbi vestigium in nervum erumpat; & sic spes affulget exstirpari tandem posse infelicem morbi radicem. Exstant phthiseos haereditariae deletae exempla, quum caveretur haemoptoe, cur non idem de podagra sperandum esset?

Memorat *Ill. L. B. van Swieten* (i) tale exemplum medici flore ætatis jam percipientis validum podagræ hæreditariæ paroxysmum, qui ab his insultibus ultra duodecim annos immunem se præstitit. Ad impetrandum hunc scopum plurimum confert diæta, quam *Sydenham* (k) tantum inculcat, ut spem omnem collocarit in ea, quæ talis esse debet, ut pro corporis nutritione sufficiat, & a corpore assumente facile digeri possit: sed de hac inferius plura dicturus sum. In prophilaxin hujus morbi seponatur spirituosorum

&

(i) Tom. IV. §. 1269. p. 344.

(k) Opera omnia Tom. I. tractatu de podagra.

& acidorum vinorum abusus, venus rarius exer, ceatur, corporis motus sit talis, ut ei nulla inducatur delassatio, at neque lanqueat motus. Aeris locique mutatio multum confert. Lucubrationibus, studioque nimio, quæ debilitant systema gastricum, & entericum, abstinendum est: corpus vestitu tali tegatur, qui neque sudores copiosos excitet, neque a frigore externe corpus minus defendat, frequentiorem quoque & viciniorem conversationem cum affectis hoc morbo omittendam esse puto, quum exempla prestent, ut ait *Ill. van Swieten* (1) per contagium podagra affectorum, hinc vestibus hoc morbo affectorum vel defunctorum utendum non est, maxime iis, qui cuti proxime adjacent. Loca paludosa, plusque frigida minus conferunt, at potius in calidioribus degat, & multos hoc morbo curatos legimus itinere facto in loca calidiora.

Animi affectus ita temperentur, ut neque lanqueant, neque exorbitent, præ ceteris vero maxime tristitia, metus, iracundia, & ira fugiendæ sunt. Præcipuam attentionem merentur primæ viæ, quæ, si saburra qualiscunque inhæreat, statim repurgandæ sunt, ne si diutius hæ materie peccante gravatæ sint, in dies magis debilitentur, & humores inficiantur a massa in sanquinem deducta, solent etenim hac vias in dispositis ab hæreditate & hoc morbo affectis præcipue debiles esse, quod ructus, inappetentia, & nausea morbum hunc semper prægredientes abunde docent, & ideo quoque esui pinquium, lardi, asparagorum, omniumque esculentorum, quæ difficilius vi-

(1) Tom. IV. §. 1255. p. 299.

viribus ventriculi, & inteſtinorum ſubiguntur, interdicatur. Evacuationes antea conſuetæ, ſi multum minuantur vel plane non ſucceſſerint, augeantur, vel reſuſcitentur: paucis, univerſam vivendi methodum invertere optimum erit, ita ut vitam gerat ſat ſimilem cum ea pauperum, hæc enim multos curavit, quos jam hæreditarium hoc malum aggreſſum fuit. Hæc de prophilaxi ſufficere puto, quum de diæta fuſius acturus ſum, in qua optima cura prophilactica conſiſtit; huic accedit, ut cauſæ diſponentes, & excitantes evitentur, quantum poſſibile eſt, & jam accedo ad curam curatoriam, rem majoris momenti. Dixi in diviſione, arthritidem aliam febrilem, & aliam non febrilem eſſe, quarum quælibet propriam ſibi expetit curam. Hinc primo de cura febrilis, dein de cura non febrilis pauca ſcribam. De cura arthritidis venereæ & ſcorbuticæ ſingulatim agere ſuperfluum duco, quum hæ communem cum morbo principe habeant curam; ne quis putet, me multas adhuc ommiſiſſe curas, cum diviſiones multo plures adduxerim; ſed hæ quoad nomen, neutiquam quoad eſſentiam differunt; idem enim eſt curare podagram, malum coxarium, vel arthritidem, quæ manum ferit.

CAPUT XI.

Febrilis hæc arthritis valde affinis rheumatiſmo & cum eo non raro conjuncta phlogiſticamdiatheſim ſanguinis plerumque ſiſtit, robuſtos, plethoricos, & lautius viventes ſimilibus ſub conditionibus frequentius invadit, ut quæque alia febris inflammatoria; cui accedit, quod impetuoſior ſanguinis adpulſus ad partes dolentes in

hoc

hoc morbo manifeste observetur, hinc extra omne dubium positum est, solam curam antiphlogisticam hic maxime proficuam celebrari debere. Notandum vero est, unicuique hoc morbo decumbenti propriam esse faciendam curam antiphlogisticam pro varietate circumstantiarum, neque unam eandemque omnibus. Fere semper opus est phlebotomia, quandoque etiam frequentius repetita; certus vero numerus V. S. celebrandarum assignari non potest. Neque culpandus venit summus vir *Sydenham*, ajens raro evenisse, ut ultra quartam vicem venam tundi jusserit, his enim non negat eam sæpius quandoque tundi posse. In genere servandum est, quo proprius accedit morbus ad vehementiam febris inflammatoriæ, quo dolor atrocior, vel quo pertinacius partibus inhæret, quo minus vitiosæ colluviei adest in primis viis, quo pulsus plenior, durior & celerior, & quo plura majoraque symptomata adsunt densitatis phlogisticæ cum febre junctæ, eo frequentior & largior V. S. instituenda est. *Ballonius* probat utilitatem, & necessitatem repetendæ quandoque phlebotomiæ exemplo hoc morbo per sex septimanas decumbentis, qui post decimam institutam venæ sectionem a sudoriferis pejus afficiebatur: superveniebat, ait tandem hæmorrhagia morbo jam desperato adeo copiosa, ut mors præ foribus esse crederetur, & convaluit. *Cl. Hoffmann* (m) statim in principio administrata V. S. celerrimum, & præsentissimum est præsidium, ait: multo vero magis hoc auxilii genere opus erit tam ad sanandum, quam avertendum

(m) Tom. IV. sect. 4. cap. VIII.

dum hoc malum in fœminis menſium defectu, vel ſuppreſſione plenaria laborantibus, in viris, quando conſuetus hæmorrhoidum fluxus turbatus eſt; at ſi ex ſapore linquæ depravato, præcordiorum anxietate, aliisque indiciis conſtet de incipiente vel jam præſente colluvie qualicunque ad primas vias, minus properandum eſt in V. S. repetendis, minus enim neceſſaria, neque adeo directa eſt hæc cura, qualis obtinetur diureticis, & eccoproticis, ut ſalibus mediis parciori doſi ab initio exhibitis, ut leniter alvus moveatur, præferenda vero ſunt hic enemata, quæ emolliendo alvum ducunt ſine minimo ſtimulo. Ubi vero ſitus corporis ob dolores talis haberi non poteſt, qui requiritur ad adplicationem enematum, tunc manne cremore tartari, tamarindis & ſimilibus eo uſque inſiſtendum eſt (*Pringle*) donec ſperatus ſequatur effectus. Adamatam ſibi camphoram cum ſalibus mediis dare ſolebat, at tam refracta doſi, ut nec calorem nec ſudorem excitaverit: nos eandem quoque damus, ſed non prius, quam ubi nulla amplius adeſt neceſſitas V. S. nullaque deprehendatur ſaburra in primis viis, vel ubi metus eſt fore, ut materies arthritica ad interna corporis decumbat. Præcipue commemorandus venit uſus nitri, quod in hoc morbo ut in aliis inflammatoriis ſummam meretur laudem, ſolvit enim, & refrigerat humores, minimumque inter omnia ſalia media, ſtimulum creat, neque alii ſali proprium eſt refrigerare. Summæ utilitatis & neceſſitatis eſt uſus copioſus potus aquoſi diluentis, ſolventis emulſi, vel ptiſanæ plus medicatæ ſucco citri, vel oximelle; quæcunque vero motum humorum concitare valent, omittantur nec pro gratia addi debent. Serum lactis ſummum

ad-

adfert emolumentum in diluendis humoribus & temperando motu teſtante *Tiſſot*, qui id melle mixtum ſine aliis remediis datum ſumme laudat, immo ad enemata commendat. Maxima pars curæ felicis debetur tenui, & vegetabili diætæ, ſepoſito uſu carnium qualiumcunque juſculorum, & aromatum, huicque diætæ inſiſtendum eſt, quamdiu febris vel diatheſis phlogiſtica adeſt, immo juxta quosdam, quamdiu dolor ægrum præhendit, niſi nimium diu duret; *Hippocrates* idcirca nos monet ajens: ubi morbus præacutus eſt, ſtatim extremos habet labores, & extreme tenuiſſimo victu utendum eſt, ubi vero non, ſed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum eſt, quanto morbus extremis fuerit remiſſior. Regimen ſit moderatum, quale in inflammatoriis eſſe oportet: ſtudendum quoque eſt aeris puritati; notari vero meretur indulgendum quid eſſe conſuetudini, quum omnis ſubitanea mutatio in melius noceat, fatente *Hippocrate*; plus vero a frigidiore aere cavendum eſt, quem occaſu morbi novos, & atrociores dolores excitare poſſe novimus. Sunt quidam medici, qui mox initio morbi ſudorifera ſuadent, contra quos *Cl. Tiſſot* ſatis acriter invehit. *Sauvages* ſudores, ſi parci ſunt, vult promoveri, ptiſana calida, non ſpectato ſtadio morbi. *Pringle* (s) refert, in mitiori morbo poſt V. S. ſufficienter celebratas diaphoreſim antiphlogiſticis promotam curaſſe morbum, ſed in graviore morbo, & manifeſtius inflammatoria nocuiſſe *Ill. de Störk* ait. Si primus paroxiſmus vehemens non ſit, & æger ſtatim initio ab omni frigore

(s) Beobachtung.

ſibi caveat, tranſpirationem per lecti teporem & lenia diaphoretica potulenta promovere ſtudeat, ſpatio duorum triumve dierum ab hoc mali liberari poterit. Purgantium antiphlogiſticorum inſignis deprehenditur uſus pulſu molliori reddito, fracta phlogoſi, doloribus aliquantum imminutis, nec adeo fixis, atque magis ad naturam arthritidis vagæ accedentibus, præcipue ſi minori, & repetita doſi tempore intervalli propinentur: ſimilia conſilia nobis exhibent *Boerhaave, van Swieten, Sydenham, Hoffmann, Störk & Tiſſot. Baglivius* (u) ait: dolores in quacunque corporis parte periodice exacerbantur & ſtata hora recurrunt, peccans illorum materies in loco affecto non generatur, ſed aliunde venit: in his caſibus tribus ante invaſionem horis detur potio purgans, & ſanabuntur, hacque methodo medendi plerumque feliciter dolorum atrocia, & vis febris pellitur, & ſymptomata ſenſim magis magisque imminuuntur, & vires redeunt, quo fit, ut exacerbationes plerumque critico cum ſudore finiantur, maxime ſi natura lenioribus diaphoreticis adjuta fuerit, vel urina hypoſtaſin criticam demittente: hinc apparet uſus leniorum diureticorum, quæ non raro plus præſtant, quam omnia ſudorifera. Dum primis morbi diebus colluvies quæcunque ad præcordia delata fuit, & morbo diutius ſibi relicto aucta eſt, quod ſorditie linguæ, ſapore malo, nauſea, vertigine, tumore ventriculi aut abdominis, anxietate, colore oculorum, & faciei depravato noſcitur, vel, ſi V. S. inſtituta fuit, cruſta flaveſcente, aut virideſcente in ſanguine præſente ſcitur, maxime ſi accedat,

(u) Oper.

dat, quod cura antiphlogistica jam aliquamdiu *sine fructu* magno usurpata fuerit, tunc extra omne dubium positum est, hujus materiæ partem ad artus delatam esse, & in hoc casu minus levaminis adferunt V. S. & omnis spes reponenda est in evacuationibus sursum vel deorsum; hinc inquirendum est, in quas vias materies pronior sit, monente *Hippocrate*: quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit, per loca conferentia, & habet quandoque etiam emeticum locum, sed rarius, præcipue *Huxham* laudat usum emeticorum in hoc morbo.

Vogel (y) de cura ægri podagrici ait; Zuvorderist ließ ich den Kranken ein Brechmittel von dem Pulv. rad. Ippec. und tartari tartarisati reichen, um die ersten Speiswege zu reinigen, denn in notis adjunctis addit. Solches durch Larirmitteln zu bewirken, ist lang nicht so zuträglich. In hac specie arthritidis plerumque ad dolores sedandos applicabant cataplasmata emollientia, sic *Sydenhamus* micam panis siliginei lacti incoctam addita pauxilla croci quantitate, sic quoque *Ill. L. B. de Störk*, *Tissot*. Si vero jam dolores adeo mitescant, ut pars attactum leniorem ferat, & sine magno dolore moveri possit, bonum est emollientibus cataplasmatibus desistere: sufficit enim pannis calidis partem suavi manu fricare, ut ait *Ill. L. B. de Störk* & *Mead* (b); aqua autem calida partem affectam fovere, plerumque nocet; fibris enim relaxatis augetur dolor, & videmus eos, qui hac aqua abu-

(x) Aphor sect. I. textu 21.
(y) Anatom. chirurg. und med. Beobachtung und Untersuchungen. 45. cap. 334. Blatt.
(b) Monita & præc. med. cap. 13. de doloribus.

abutuntur, & fomentis laxantibus, ſæpius hoc morbo laborare, cum hæ partes hoc diſponantur, modo, ut leviſſima ſupperaccedente cauſa redeant dolores, hinc potius erit abſtinere ab illis, niſi febris valida, & dolores atroces fuerint. Sed ra ius his, quam applicatione frigidorum retropellentium & cauſticorum peccatur, qui error multo periculoſior priori eſt. Quod uſum opiatorum attinet, notandum eſt, *Sydenhamum* eis abſtinendum eſſe, dicere, quum illa feliciori curæ multum obſtarent, frequentiorem ſanguinis miſſionem expoſtularent, morbum figant, neque præſtent, quod nomine pollicerentur. Attamen, ſi dolor patientiam vicit, pauxillum laudani ſuis ægris conceſſit; cujus conſilium ſequebantur *Ill. van Swieten*, *Boerhaave*, & alii plures cum optimo ſucceſſu. *Cl. Pringl* liberalius utebatur ſua tinctura Thebaica. *Tiſſot* opiata tanto rarius propinabat, *Boerhaave & Sydenham* mane purgante dato, veſperi propinabant diacodiatum, *Tiſſot* neque poſt purgans datum exhibebat opiata, niſi nervoſa, ſenſibilitas aucta conjuncta fuerat. Ex his intuenti patet, quantum obeſſe poſſint aromatica, & ſpirituoſa, cum vices narcotici agere valeant. Raro in hoc morbi decurſu opus eſt epiſpaſticis, ubi cetera rite obſervantur, at ubi vel mala medela, vel naturæ deficiente vigore materiæ decubitus ad interiora obtinuit, iis locus optimus eſt. Uſus hirudinum ſummam non raro opem fert in hoc morbo, præcipue ubi caput validius tentatum, & ubi venæ ſectione facta dolor tumorque partis perſiſtit. *Pringle* hirudines ceteris remediis palmam eripere contendit. Sub finem morbi vigor functionum, præcipue chylopoeſeos, artuum debilitatorum robur, & flexi-

litas reſtituendus eſt, hinc ad excitandas, & firmandas vires reſpiciendum eſt. Præ aliis uſurpanda ſunt, quæ miti calore, atque amaritudine, ventriculum corroborant, & ſanguinis maſſam vegetiorem reddunt, magisque vitalem, & ſic ſpiſſum relictum attenuabitur, & educitur, novaque generatio talis materiæ impeditur, & in hoc ratio poſita eſt, cur cortex peruvianus, lignum quaſſiæ, juniperi, ſantalorum, cortex tamariſci, reſina quajaci: abſinthium, centaureum, folia aurantiorum, viſcus quercinus, angelica, theriaca andromachi, & antiſcorbutica, tantam nanciſcebantur laudem; hoc enim regimine liberior diaphoreſis impediri nequit.

CAPUT XII.

Quando dolores arthritici lente & ſine febre incedunt, ægri non magnam inde percipit moleſtiam, ideo ab initio hi dolores vilipenduntur & tam diu ſibi ſolis committuntur, donec ad ſummam pervenerint vehementiam, & fixiores reddantur, qui frigido, aut per rimam admiſſo aeri exponuntur, ſanguinem acrem & tenacem in ſuis vaſis vehunt, liberaliori uſui vinorum auſterorum, recentiumve dediti ſunt, hoc morbo ſæpiſſime & facillime corripiuntur, prehenſosque eos per menſes, immo & annos tenet. Maxime ſi ægri minus valetudini ſtudeant, aut perverſa tractentur methodo. Rarius in his doloribus V. S. opus eſt, niſi pulſus, vel temperamentum plethoricum eam exigere videatur. At etiam validiora ſtimulantia mox in principio morbi, vel ex vel interne applicata potiſſime morbum exaſperant. Decocta depurantia, attenuantia, leniter ſudorifera huic

morbo

morbo ex asse conveniunt, *Cl. Tissot*, quoque fortiora sudorifera propinavit, & certe in his nimis parum anxius fuit. His remediis per tempus exhibitis, ad purgantia tuto confugere licebit, sed solum leniora: fortiora enim nec in hoc morbo conducunt testante *Sydenhamo* (g) qui ait: nihil prorsus aliud præstabunt remedia sive emetica, sive purgantia, nisi ut materies peccans, quam natura in corporis extremitates protruserat, in sanguinis massam denuo revocetur, unde accidit, ut qui per articulos eliminari debuerant, in aliud viscus irruant, atque æger, qui in nullo antea versabatur periculo, jam de vita periclitetur. Sine jure quidam invehunt in *Cl. Sydenham* ajentes: cum nec eccoprotica voluisse concedere in hoc morbo, sed sciant, loqui hæc *Sydenhamum* de purgantibus, quæ pro more expurgandis articulis destinantur, ex his vero neutiquam sequitur, eum purgantia non in usum traxisse, quum pro evacuandis primis viis requirerentur; lenia diuretica optime reliquias morbi tollunt, frequentior enim crisis hujus morbi per has vias, levamen a diureticis, & assensus clarissimorum virorum in arte medica, id abunde docent, inter quos præcipue est *Avicenna* (h) dicens: & utatur, quum ipsum dimittit morbus hic diureticis. V. S. non est ad hibenda vel ad præcavendum paroxysmum, vel ad illum, qui jam adest mitigandum, in iis nempe, qui ætate sunt provectiores, manifeste enim pugnant cum illa indicatione, quam causa antecedens, quæ est indigestio a spirituum defectu, quos sanguinis detractio magis imminuit, or-

(g) Opera medica Tom. I. tractatu de podagra.
(h) Lib. canon. lib. III. fen. 22. tract. 2.

orta, ſibi vindicat; etenim ait *Sydenham*, ſi in intermiſſione vena ſecetur, periculum eſt, ne a ſanguinis & humorum agitatione novus ſubcreſcat paroxyſmus; ſi ſub paroxyſmo tanto diutius inſiſtet, quum criſis eo tardius efficietur, nec tamen illa perfecte ſperanda eſt. Verum ſi æger adhuc juvenis fuerit, & ab immodica potatione excalefactus, ſanguis initio ſtatim detrahatur: accedunt huic opinioni *Boerhaave*, *Tiſſot* & *Macbride*. Aſſentit quoque *Avicenna* (l) oportet, ut utatur ille, qui aſſuetus eſt his doloribus phlebotomia: & omnino oportet, ſi cauſa in eo, quod accidit, eſt multitudo humorum. Quod ſudorifera in hoc morbo ſpectat, ait *Sydenhamus* (m) qui certe magna pollet auctoritate in hac affectione, per ea materiem adhuc crudam, vi quadam protrudi in artus, ſicque cunctantem paroxyſmum ante diem invita natura ſollicitari, ſi vero propinentur in ipſo paroxyſmo, materiem violentius in affectum membrum adigere, doloremque non tolerabilem inducere, poſita vero majori copia materiæ arthriticæ, quam ut pars affecta capere poſſit, eam detonare in alios artus, unde ſumma exæſtuatio ſequitur; & certe hoc idem contingit in hoc morbo, quod in febribus intermittentibus, qui ſudore finiri ſolent, hi ſi modici fuerint, & quantitate paroxyſmo febrili reſponderint, ægrum levant, ſi vero ultra naturæ modum promoveantur, ideo quia æger lecto affigitur, vel ei ſtimulantia ſudorifera propinentur, febris continua ſuboritur. Exceptio ſolum facienda eſt, ubi nec nimia febris adeſt, alvus non

eſt

(l) Lib. canonis, lib. 3. fen. 22. tract. II. cap. 23.

(m) Opera med. Tom. I. de podagra.

eſt conſtipata, in cauſa eſt perſpiratio ſuppreſſa, & natura in has vias prona videatur, his enim præſentibus tuto ſudorifera propinantur. Aſſentiunt quoque *Cl. Sydenham*, *Ill. L. B. de Störk* & *Tiſſot.* (n) Incredibile eſt, quantum, conferant veſicantia in arthritidibus hieme ortis, in temperie pinqui, ad frigidum inclinante, & quæ diatheſi craſſa viſcida & ad coagulationes & ſtagnationes ſe diſponente, anxietate, affectione capitis, & pulmonum ſtipantur, nam præter quod ſpiſſum ſolvant & attenuant, ait *Cl. Baglivius*, ſudorem quoque ſumme in hoc caſu proficuum excitant; inſuper non raro obſervabatur poſt ea applicata urinam craſſam hypoſtaticam copioſam ſubſecutam eſſe, ſummo cum levamine ægri. De balneis tepidis eorumque vaporibus multum diſputatum fuit, quidam ea nunquam applicare volebant, nonnulli ad ea, quaſi ad ſacram anchoram confugiebant in arthritide febrili acuta doloribus exacerbantibus balnea & vapores optimum præſtare remedium. Indubitatum eſt, vel ubi immobilitas, & rigiditas relicta fuit, teſtante *Tiſſoto*, ſed certe in hac arthritide non febrili, ſi nulla contractio partis adſit, hæc balnea calida plus nocent, præcipue ſi diutius in uſum trahantur, teſtantibus *Ill. L. B. de Störk*, *Home*, *Ludwig* & *Tiſſot* aliisque, & tunc frigida præponenda ſunt balnea, ut vis deperdita partibus reſtituatur. Doloribus diu & pertinaciter perſiſtentibus plurimum ſpei in frictionibus ſiccis reponendum eſt, imprimis pannis lanceis (Flanell) dictis, cum ſic ſimul levis irritatio fiat, compactione

(n) Anleitung für das Landvolk cap. XII. §. 182.

ne solutio. Pinquia quæ materiæ perspirabilis effluvium impediunt, caustica, & quæ cunque acrimonia sua valide agunt, evitanda esse mihi videtur, quum materiem inspissent, ariditatem articulis inducant, & non raro in ulcera a gangræna non præservanda immutant tumores in arthriticis præsentes, non raro validam incendunt, febrem, doloremque augent: retropelli quoque posse ab his summa cum noxa ægri materiem, certis constat experimentis, etsi a multis hæc remedia summa encomia obtinuerint. *Cl. Hoffmann* (c) in hoc morbo plane nihil applicandum esse ait, & tantum moderato, & æquali lecti, & tegumentorum calore partes affectas fovendas esse, siquidem tali modo longe facilius blanda materiæ vitiatæ diffiatio, & exhalatio promovetur, ac si variis externis hanc promovere velimus. Emplastra quam plurimum hoc tempore negliguntur, quæque tam malam sibi comparabant famen in hoc morbo, quum potissimum adstringentia, & repercuitientia aeria applicarentur, & his certe in arthritide nihil pernicosius esse potest. Sed ideo non seponantur talia, quæ vi sua penetrante, solvente summam laudem merentur, sic ab emplastro de sapone, quod adeo extollunt *Cl. Pringle & Macbride* & eo de cicuta ab *Ill. L. B. de Störk* commendato, faustissimos effectus videre mihi licuit apud *cel. Professorem de Leber*. Setaceorum, & fonticulorum usum præcipue commendat *Cl. Mead*, qui dicit (d) nihil autem tantum levamen adfert in pertinaci

præ-

(c) Fund. praxeos med. Tome VI. capite VIII. par. IX. pag. 395.

(d) Monita & præc. med. cap. XIII. pag. 115.

præsertim morbo, ac setaceum ad locum adfectum, ut materies inutilis evocetur, imissum: sin autem vulnus ejusmodi minus necessarium videatur, aut nimis acerbum; fonticulus maxime ex usu erit. Idem affirmant *authores Anonymi* (e) sed *Cl. Pringle* (f) hirudines omnibus aliis remediis palmam erripere contendit: pauci sunt ejusdem opinionis. Cucurbitæ, scarificatio, urticatio, nidus formicarum, sectiones, embrocationes, & vis electrica in hac affectione a plerisque in usum trahuntur, ita tamen, ut ab his cucurbitæ, & embrocationes, ab illis urticatio, & electricitas præferatur: litem magnorum virorum disquirere meum non est, certum interea, notumque quilibet esse existimo, sæpe embrocatione curatum fuisse morbum, ubi nec cucurbitis, neque scarificatione quid profectum fuit, & sic quoque vice versa. Multi magni momenti viri vim electricam deprædicant, & multa desuper instituta fuerunt experimenta: *Ccl. de Haen* multos hoc morbo curatas recenset. Jam transeo ad remedia, quæ interne magno cum fructu exhibita fuerunt, qualia sunt aqua calcis, flamula jovis, aconitum, arnica, cicuta, arum, sapo venetus, sulphur, antimonium, pullatilla nigricans, camphora, gratiola, mercurius, kermes, tinctura cantharidum, hermodactili, pulvis ducis Portandiæ, cinnabaris antimonii, & quajacum, quod a summis in arte medica viris depredicatur; sic *Mead* (g) dicit, si nulla febris adfuit, gummi quajacum,

(e) Med. und chirurg. Handbuch cap. VIII. pag. 70.

(f) Beobacht. über die Krankheit der Armee. 7. Absch.

(g) Mon. & præc. med. cap. XIII. de doloribus art. pag. 114.

cum, & cinnabarim antimonii anatica portione *Cl. Pringle* dedit mixturam ex drachma ſemis quajaci ſoluti vitello ovorum, duabus unciis aquæ & pauxilo ſachari, hanc omni die ante ſomnum conſumi voluit, & in hoc remedio tamdiu perexit, donec dolores evaneſcerent, vel ubi æger evacuationibus debilitatus erat; hoc enim remedium aliquoties per diem alvum movere ait. *Cl. authores anonymi* laudant tincturam quajaci (k) vel etiam gummi quajacum cum cinnabari. *Emerigon* (l) quajacum ſpiritu ſacchari ſolvit, & de hoc remedio omni mane jejuno ventriculo cochlear unum aſſumpſit, dum podagra laboraret, & plures ſuum conſilium ſecuti, hac ratione morbum depellebant rebellem contra omne aliud remedium. Ad hoc vero, ut experimentis inſtituendis locus detur, adferam paucis ejus præparationem. Indantur in phialam quajaci pulveriſati unciæ duæ, ſuperaffundantur tum vel ſpiritus ſacchari libræ tres: claudatur vas epiſtomio, & exponatur per ſeptem, octove dies calori ſolis, ut ſolutio facilius contingat, ſæpius commoveatur, dein coletur hic liquor carta emporetica, & vaſe bene clauſo ſervetur, quo diutius aſſervatur hic ſpiritus, eo melior fit ait *Cl. author* hujus remedii, non debere impleri vas ad collum uſque, ne diſrumpat tempore effervescentiæ. *Cl. de Mertens* dixit, ſe pulcherrimos ab hoc remedio obſervaſſe effectus, etiam *Cel. Quarin* pilulas ex antimonio, quajaco & ſulphure fauſto cum eventu propinaſſe ait. Conſenſus

tor

(k) Med. chirurg. Handbuch cap. VIII. pag. 68.

(l) Specifique contre la goutte eprouvi & publie par M. Emerigon.

tot magnorum in arte medica virorum me convincit, haud parvam in hoc remedium fiduciam ponendam esse. At neque hoc, neque alia modo recensita remedia locum habent in tali arthritide, ubi calor, dolorque magnus, tumor rubens, sitis, febris, vel talis sanguinis dispositio adest, quæ a motu validiori in inflammationem abit, quum omnia hæc medicamenta vi valide solvente, penetrante, stimulante, sudorifera, aut roborante polleant. Sicque ab his viribus omnes effectus, qui tam fausti observati fuerunt explicari poterunt. Alia excantata remedia enumerare inutile censeo, quorum compositio, vires que medicæ nos latent, & de quorum effectibus nulla certa exstant experimenta, cum hæc omnem laudem quæ eis tribuitur, superstitioni, & experimentis minus accurate institutis debeant.

CAPUT XIII.

Si quid magni momenti est in arthritide, quod considerandum venit, illud diæta est, quæ ex mente *Sydenhami* omnem reliquam curam exactitudine antecellere debet, si curam per illam absolvere velimus, morbumque depellere. Istud vero iis omnibus, ait *Sydenhamus* (a), quæ de podagra sananda dicturus sum, præmittendum est, maximopere præ ceteris observandum, nempe quod digestiva remedia quæcunque sive medicamentorum apparatu, sive diæta, sive exercitatione ea constant, haud obiter instituenda sint, verum constanter atque omni adhibita diligentia assidue usurpanda, cum enim in hoc, uti

(a) Opera medica de podagra pag. 317.

uti etiam chronicorum quam plurimorum causa ejus in habitum, & novam quasi naturam transiverit, nemo sanus existimaverit, leviculam aliquam, & momentaneam alterationem sanguini, atque humoribus a quolibet sive remedii, sive victus genere superinductam curationis scopum posse attingere; at vero corporis habitus omnis alio traducendus est, atque homo integer deinceps quasi nova incude infringendus. Quantumlibet vero, pergit *Sydenham* (b) hæc aliaque medicamenta prosint, attamen his solis hæc corroborandi intentio satisfieri nequit, sed & earum ratio simul habenda est, quæ ad artem proprie medicam non spectant, & certissime voto frustrabitur is, qui in hoc aliove morbo chronico omnem curationem medicamentis solis absolvi posse autumat. Primum itaque ea in cibo & potu mediocritas est observanda, ut neque plus alimenti ingeratur, quam ventriculus concoquere valeat, ac proinde morbo fomes subministraretur: neque contra nimia abstinentia partes ea proportione defraudentur, qua eorum robur, & vigor debuerat sustineri. Ulterius considerandum venit de diæta, quod in ciborum qualitate eligenda, cupepta præferenda sint dispeptis, semper tamen palato ægrorum consulendum est: quandoquidem observandum est, quod sæpe numero id, quod ventriculus vehementer appetit, licet difficilius coquatur, citius tamen a natura vincatur, quam quod facilioris coctionis habetur, & ventriculo nauseam creat: at vero quæ discepta sunt, hanc eandem regulam dudum dedit *Hippocrates* (c) paulo deterior, & po-

(b) Opera medica Tom. I. de podagra. 318. pag.
(c) Aphor. sect. II. textu 38.

potius quam meliores, quidem sed ingratiores, alia in determinando cibo, & potu regula est, ut ad ætatem attendamus, & ad vires ægri. Præmissis jam generalioribus ad specialia descendam. Caro mollis, facilis digestionis potest permitti podagrico, sed tamen unica tantum specie sit æger contentus, cum varia carnium genera molestiam ventriculo faceſcant. De ceteris dempta carne pro lubitu comedat, modo nec acria, nec sale, & aromate condita, quæ licet coctionem non lædant nocent tamen quatenus morbi fomitem exagitant. Expedit prandere tantum, non cœnare, qui podagræ sunt obnoxii, hausturn tamen cerevisiæ largiorem sumere possunt, quum illi quoque sæpe calculis simul subjecti sint. Tenuis vero cerevisia calculorum generationem impedit, & arenosa eluit ex viis urinariis, etsi *Cl. Liger* cerevisiam obesse podagricis dicat. Lactis usus in hoc morbo inprimis commendatur, jam prius attuli, quid *Macbride* inde censeat. Usus sive crudi, sive cocti lactis plurimis per plures annos pro cibo & potu solummodo inserviebat, parum panis de die tantum addito. & optime inde se habuerant ægri ita, ut si alia lacti substituebant, statim signa paroxysmi arthritici ingruerint, longeque sæviores invaserint. Hinc qui se methodo huic, id est solius lactis usui, subjicere cogitat, primum serio secum perpendat, num valeat per omnem vitam in ejusmodi usu persistere, quod tamen fortassis penes agrum non erit, utut propositi tenax fuerit. Cæterum magnam spem in victum vegetabilem posuerant medici, immo credebant solo vegetabilium usu exstinqui posse podagram: *Cl. Lob* (g) aliquot recenset casus, ubi tali diæta uten-

(g) De cali, & podag. cap. XX. pag. 215.

utentes a podagra liberi manſerunt, non tantum, ſed & tophi podagrici ſenſim minuti tandem omnino diſparuerunt, moleſtias tamen multas, toroſitatem corporis, imminutionem virium, & debilitatem perceperunt. Dum hac diæta uti cœperunt, & tum poſtea carnibus moderate-veſcerentur, licet vino penitus abſtinerent, rediit truculentior longe acceſſio podagrica prioribus. Neque etiam ſubitanea facienda eſt victus mutatio, quæ certe periculo non careret (r); de potu vero ait *Sydenham* (o) illum neque ad vini generoſitatem, neque ad aquæ debilitatem debere adſcendere, & in genere cereviſiam tenuem ſive lupulatam, non admittit. Vinum autem proſcribit *Sydenham*, quum illud copioſius hauſtum acceſſiones novas horrendas faciat, immo cauſa ipſius morbi exiſtat. Habenda autem hic eſt conſuetudinis ratio (t) etſi vinum *Sydenham* permittit, multa aqua dilutum intelligit, ubi vero inveterata eſt podagra, proſcribenda ſunt & vina & cereviſiæ (p), & potus diæteticus ſit potius ex radice ſarſaparillæ, chinæ nodoſæ, ligno ſaſſafras, & liquiritia, quibus ſimul errores leviores in diæta commiſſos corrigi poſſe credit *Sydenham* (q); ubi autem lanquor ventriculi uſum vini expoſcit, in prandii fine pauxillum vini generoſi mollis concedi poteſt, quale eſt hiſpanicum, to-

ca-

(r) Swieten de podag, §. 1275. pag. 369.

(o) Opera med. de podag. Tom. 1. pag. 319.

(t) Swieten de podag. Tom. 4. §. 1275. pag. 272.

(p) Sydenham. opera med. Tom. 1. tract. de podagra pag. 321.

(q) eodem loco.

cavienſe &c. De aquæ potu loquitur *Sydenham*, quod aquam puram crudam periculoſam eſſe ſit expertus ſuo damno, attamen ſatis commode ab ineunte ætate potari aquam, qua hodie major hominum pars ſitim levat inopia ſua longe felicior, quam alii copia ſua, ac luxu. (d) Exercitium corporis, omnibus in diæta obſervatis regulis, equitatio imprimis accedat oportet. (e) Somnique maturi ad veſperam uſus (f) animi tranquillitas, ſtudiorum intermiſſio, nec nimia protractio ſi jungitur, eo adhuc efficacior erit medela (g); venere vero abſtinendum eſt, improvidumque eſſet, ſi quis arthriticus illius lenicinis actus nimium indulgeret. (h)

Ex his dictis liquet, quod qui hujuſce morbi curationem molitur, id negotii ſibi dare debeat, ut totius corporis habitum immutet, atque illud ad priſtinam conſtitutionem reflingat, quantum per ætatem, & reliquas circumſtantias fieri poteſt, quod in paroxyſmorum interſtitiis, non in ipſis paroxyſmis adnitendum eſt.

(d) Swieten ibidem.
(e) Sydenham pag. 222.
(f) Sydenham ibidem.
(g) Sydenham pag. 324.
(h) Sydenham pag. 325.

IV.

MATH. ANTON. REYSS

DISSERTATIO DE VESICANTIBUS.

1781.

Difficile dictu est, quisnam sit auctor, qui primus in medicina vesicantium instituerit usum. Arabes frustra consulueris, qui utcunque in medicamentorum formulis concinandis feracissimi ingenii, quantum ad hanc rem attinet, more suo Græcorum vestigiis inhærent. a)

Oribasius primus ex Arabibus de usu illorum scripsit. b) Cantharides, quæ vesicantium basis sunt, nullo fere in pretio fuisse videntur apud Latinos; eorum ipse Celsus, qui in sinapismis

a) Freind de febr. Comment. IX.

b) Bagliv. de commod. ab usu vesicatt. cap. III. §. 1.

pissmis multus est, haud scio an alias uspiam, quam in papulis detegendis, Miconem secutus cantharidum meminerit; ad tela extrahenda valere eas, scribit Plinius c)

Insæviente vero peste in Italia anno 1575. & 1590. primo in maximum venerunt usum, ita ut inde nunquam tumularetur cadaver sine stigmate appositorum vesicantium: ut citius miseri ad superos migrarent, morbi malignitate, & diris symptomatibus ab acri stimulo auctis. Hoc equidem tempore plurimi insurrexerunt vesicantium sectatores, ut inde illorum usus propagaretur, & communi in medicina jure donaretur.

Vesicans dicitur emplastrum quocunque loco corporis viventis applicatum, per aliquot tempus, ut agat, relictum, vesicam pellucidam formans a cuticula per acrem stimulum secedente a subjecta cute, plenam humorem aquoso acri. d)

Proportio, quæ in pharmacopea Austriaco-Provinciali prostat, sequens est:

℞. Cer. Lib. sem.
Ol. olivar.
Terebinth. ana. unc. duas.
Liquatis, ac paululum refrigeratis admisce.
Cantharidum unc. quatuor.
Ma-

c) Freind de febr. Comment. IX.
d) Clere hist. de la medic. pag. 513.

Maſtich. unc. unam cum dimid.
Tandem.
Camphoræ cum aliquot guttis ſpiritus vini in pulverem tritæ unc. dimid.
Et fiat emplaſtrum.

Locus applicationis determinari nequit, neque doſis; nam prouti pars, quæ irritari debet, magna vel parva eſt, erit magna vel parva doſis præſcribenda, uti inferius dicetur: plerumque tamen, ſi duobus locis applicanda ſunt, præſcribunt practici hujus ſupra memorati emplaſtri unc. dimid. dividendam in duas æquales portiones: ut drachmæ quatuor emplaſtri veſicantis ſint pro quavis doſi, & in unaquaque doſi intret cantharidum pulvis grana octo circiter: ſi magis vero actuoſum deſideratur veſicans, ſufficit huic emplaſtro addere aliquot grana pulveris cantharidum; ſi mitior deſideratur præſcribuntur emplaſtri de meliloto, emplaſtri veſicatorii portiones æquales, ut malaxando invicem miſceantur.

Varii ſunt ſtimuli, qui corpori humano applicare poſſunt; vel ſunt ſimplices, qui partem divellunt, rubefaciunt, dolore afficiunt, & ita etiam ad diſtans operantur, ſed nihil in humores corporis agunt; hujus generis ſunt, uſtiones ferro candente, frictiones, cucurbitulæ ſimplices, aut ſcarificaræ & hiſce analoga. Alii vero ſunt, qui non ſolum partem rubefaciunt, divellunt, agitant, concutiunt &c. verum etiam aliquid humoribus communicant; ut ſunt ſinapiſmi, dropaces, veſicantia, quorum particulæ acres, & partem, cui applicantur, ſtimulant, & in ſanguinem aſſumptæ va-

valide illius maſſam ſolvunt, vaſa ſtimulant, aperiunt; hinc ratio clare patet, veſicantia eſſe inter ſtimulos potentiores, de quibus ſolis, uti præfixi, agam. Cantharides enim ſalem alcalinum continent copioſum cauſticum reſinoſæ parti inhærentem.

Cum acidis foſſilibus efferveſcere cantharides diu, ſæpe etiam poſt annum, concuſſo liquido, efferveſcere de novo, nec usquam ſaturationis punctum aſſequi, miram ac peculiarem hujus ſalis proprietatem conſtituere, in confeſſo eſt.

Hinc eſt, quod veſicantia ſtimulantem vim poſſideant, & inter ſtimulos principem obtineant locum; vires nempe vitæ languentes mirum quantum erigunt calefaciunt, ſudores ſolos movent, omnes alias excretiones imminuunt, alvum enim conſtipant, inflammant inteſtina, renes, veſicam urinariam, in vias urinarias agunt, initio augent copiam urinæ, inde ſtranguriam cauſant: veteribus hæc vis jam nota fuit, qui in ſuis ſinapiſmis cum cantharidibus præſcribendis jubebant veſica muniri debere. Oportet autem munitam eſſe veſicam per lactis potum, (emulſis ſimplicibus, aut camphoratis, aut emollientiſſimo potu quodam tamquam antidotis hodie utimur) ac irrigationes, eo, quod facile ab unguentis ex cantharidibus laudatur. e) Inflammationem præſentem ſemper augent, ſitim, linguæ ariditatem, ut vix temperari poſſint, inducunt. Durat per tri-

e) Archigen. Tetrabibl. II. ſer. 1. cap. 1.

triduum prouti scilicet citius, aut serius, partius, ac uberius a massa sanguinis cantharidum acrimonia fuerit separata: pulsus, qui prius concitatiores, fortiores fuerunt, obscurantur per duas tresve dies; præcipue, si vesicantia debitis indicationibus fuerint imperata; exacerbantur vero hæc prædicta symptomata, si imprudenter, & morbo non pedente data sint.

Sæpius ulcera a vesicantibus excitata desiisse in gangrænam, vel in difficillimam eorumdem cicatrisationem observavi, ac unguento albo camphorato, aut decocto salicis albæ proserpentem ceterum cito gangrænam felicissime sæpe in pedibus hydropicis, quibus post aliorum laudatissimorum remediorum inutilem applicationem apponebantur inhibitum vidi. Ulcera vesicantium corrumpi, aut gangræneſcere facillime solent in cachecticis, hydropicis, melancholicis, & valetudinariis corporibus, nec non, & quorum corpora lue venerea graviter laborarunt, non ita vero in robustis, & solidiori partium structura præditis, nec diuturnis morbis miserrime lacessitis. f)

In omni capitis vulnere aliisque læsi cerebri symptomatibus, dum his applicabantur vesicantia, corripiebantur convulsionibus, sudore frigido, alii convulsi perierunt. Ubi convulsiones metuuntur, vel præsentes jam sunt, caveri oportet a vesicantibus, nam vel augent convulsiones,

vel

f) Bagliv. de incommod. ab usu vesicant. cap. II. §. I.

vel mortem creant. Cavendum præsertim, si aderit febris, vel initia phlogoscos in habitu corporis gracili, macilento, a nimio veneris usu emaciato; caute usurpanda erunt, nam si alicubi, hic facillime oborti visi fuere morbi convulsivi.

Qui lue venerea semel laborarunt, a vesicantibus summopere læduntur, in quocunque demum morbo adhibeantur, unde non nisi in morbis soporosis in talibus ægris præscribantur, & etiam maxima adhibita cautela.

In febribus ardentibus, & continuis, in constitutione anni calida, & sicca, in temperamentis calidis, & siccis, in regionibus calidis. In omnibus affectionibus nervosis cum febre, in affectibus comatosis febrilibus, in morbis pectoris spasmodicis inflammatoriis, semper in pejus cessisse vesicantia, sæpius quoque post eorum applicationem obortos fuisse tendinum subsultus, pluries fuit observatum a Baglivio.

Cave, ne apponantur vesicantia in excerbatione febrili, vel in ejus statu, nam recrudescunt omnia symptomata febrilia, cum gravibus aliis symptomatibus: si antecessit evacuatio copiosa (si alvinam exceperis a perspirabili suppresso ortam), status sanguinis ad dissolutionem colliquationemque tendens omnino vesicantium usum prohibent; idque in qualibet ætate, & morbo; ob pessima inde subsequentia symptomata. Quam plurimi ex Galenicis nimium inhærentes suis hypothesibus, dum febres putridas observant, gravia, ac improportionata earum symptomata a ve-

venenata qualitate dependere credunt; ideo & veneni evacuationem quatuor, ſex, aut pluribus veſicantibus promovere conantur. Poſt quæ tamen ſæpiſſime abſceſſus in viſceribus, delira majora, febris maximum incrementum, & tandem mortem obſervare eſt, ob diſſolutam ſcilicet, magis, magisque ſanguinis maſſam a materie febrili, & a cauſtico cantharidum ſale.

In delirantibus omnibus cum febre acuta, & lingua arida cruſta nigra obducta celeriter omnes convulſi peribant. g) Interdum veſicantia; ob inſignem, quem excitant dolorem, delirium jam factum augent, imminens accelerant. Delirium a bile in primis viis hoſpitante excitatum, a veſicantium uſu tantum adeſt, ut mitigetur, ut & periculoſis plane ſymptomatibus ſtipetur, bilis enim vomitu excutienda breviſſima via ad ſuperficiem corporis ducitur, per improportionata ibi vaſa exire impotens exanthemata, arthritidem chronicam inducit; febris autem bilioſa, quam comitatur delirium alvi beneficio per veſicantia ſuppreſſo exacerbatur, in putridam brevi abitura. A nimio cantharidum uſu fœdiſſimæ oboriuntur ſatyriaſes ſæpe ſæpius lethales h) Cauti igitur ſunt medici in ſalacibus in veſicantium uſu.

Plures delirantes ab uſu veſicantium mortui, quam ſanati leguntur; acetum magis figit ſal

g) Bagliv. de incommod. ab uſu veſicant. cap. II. §. III.

h) Cabrol. obſerv. anat. 17.

ſal volatile cantharidum, cauſticum, ideo ſi fortia vellis veſicantia parum aceti, vel fermenti veteris addas. Nunquam facilius gangræneſcunt veſicantiam ulcera, quam dum hiſce nimia cantharidum doſis additur, medici vel pharmacopeorum culpa.

Cantharides internæ ſumptæ, vel iſchuriam deſperatam, vel ad excitandam venerem, vel contra gonorrhœam virulentam, ſolent peſſima producere ſymptomata; inflammantur præcordia; mentis alienatio, exulceratur veſica, & meatus urinarii, inde inflammatur ventriculus, inteſtina eroduntur, ut fruſta viſa ſint membranarum inteſtinalium per alvum ejecta, vera naſcitur gaſtritis, enteritis, mictus cruentus, diſchuria, iſchuria, priapiſmus, immenſique dolores in hypogaſtrio excitantur, quos mors ſubſequitur, niſi ſtatim ſtimulus mitigetur, earum acrimonia obvolvatur, earundem vis infringatur.

Obſervatum fuit, interdum temperamenti bilioſi hominibus veſicantia infructuoſa fuiſſe, imo noxia; nam præter quam, quod locus veſicante tentatus vehementer inflammetur, & cum atrociſſimo dolore excorietur cum exigua ſeri, & quandoque nulla prorſus eructatione, & veſica urinaria quoque atrociſſima corripitur ſtranguria. Præcipua hæc ſunt ac breviter indicata damna præpoſteræ veſicantium applicationi ſupervenientia. Utilitatem in ſequentibus demonſtrabo.

Etiamſi veſicantia ſuperius recenſita mala producant, tamen proſcribenda non ſunt; ſiquidem illa, ut & omnia alia medicamenta pari ratione

tione ſe habent, hac vinum, quod licet inebriet, apoplexiam, & innumera capitis mala producat, non idcirco tamen illius uſum prohibent rectores urbium; quippe imprudentiæ humanæ, non vero deleteriæ qualitati tribuendi ſunt effectus illi graviſſimi, quos affert inebriatio.

Quantum ergo detrimenti in prius recenſitis caſibus afferunt, tantundem boni, ubi fortiter ſtimulandum eſt, ubi materies morboſa a centro ad peripheriam reduci debet; in morbis rheumaticis, & locis profunde dolentibus; in diarrhea pertinaci a perſpirabili ſuppreſſo, eas producere experientia multiplex oſtendit: nam materies, quæ prius excernebatur per poros cutaneos, ſuperveniente frigore, vel aere minus calido, frigidiuſculo, retinetur, pori cutanei conſtringuntur, & materies per poros hos excerni non potens ibi fertur, ubi minorem invenit reſiſtentiam, nimirum in inteſtinis, maximum poſt ſuperficiem externam corporis collatorium; ergo diarrhæam cauſat tam diu durantem, donec tollatur in cute reſiſtentia; veſicantia ſtimulando ſudores movent, hinc pori cutanei dilatantur, & materies perſpirabilis pergit exire, uti in ſanitate fiebat; diarrhea penitus ſubflaminatur, ſanitas reſtituitur: in omni quoque diarrhæa, diuturna, ut ita dicam, inteſtinis conſuetudine evacuandi, prorſus in veſicantibus remedium eſt; alvum enim ſiccando humores ad cutim derivando, inteſtina tonum recuperare perditum poterunt facillime. Eſt & alia adhuc diarrheæ, ſymptomaticam vocant, ſpecies, ſolis veſicantibus auſcultans, quæ morbis putridis, variolis peſſimis ſuperveniens vires inſigniter dejicit, remediorum in ſan-

guinem transitum impedit, opio ipsi rebellis; id antequam agat per inferiora detrudens: stimulo tunc equidem per aliam viam ingerendo esse opus patet; hic vesicantia, alvum supprimendo, intestina debilia in contractionem excitando, alibi derivatis humoribus, periculosam hanc, & si diutius continuet, lethalem certo futuram, diarrheam feliciter supprimunt.

Ubi vires nimium quantum depressæ sunt in febribus quibuscunque, ut natura capax non sit per se sola ad bonam coctionem & crisim sustinendam; ubi stimulo opus est, & vires erigendæ, indicatissima sunt vesicantia: in angina pessima, ubi imminens suffocatio timetur a tumore inflammatorio, si emplastrum vesicans parti æquali emplastri meliloti junctum universo collo apponatur, deglutiendi facultas brevi restitui. tur, quod majori cum certitudine in angina aquosa fieri debere, ex materiæ, in quam vesicantia agunt, evidenter patet. Sic in orta a morsu rabiosi animalis hydrophobia, tamquam specifica laudant cantharides medici.

In qualicunque morbo, si materies morbosa deferri videatur ad aliquot nobile viscus per imperfectam crisim, vel metastasin, uti ad encephalon, ad pulmones, tunc vesicantia revellendi scopo multum profutura fore nullus dubito. Conferunt quoque in omni diathesi frigida, lenta, mucosa, & adstagnationem tendente, in febribus soporosis, ubi extremitates frigidæ sunt, pulsusque exilissimus, & magis si adsit tempus hyemale, temperies ægri ad humidum inclinans, habitus pinguis; uno verbo, ad solvendas incipien-

pientes congulationes, & ſtagnationes, ſive ſanguinis, ſive aliorum viſcidorum humorum, ſeroſorumque, in quocumque morbo, ætate, temperamento, anni tempore, vix ullum præſtantius, & ita celeriter agens obſervatur remedium, quam veſicans; hic ſi applicetur, arabum ſententiam ad amuſſim ſequimur. Hi namque primi veſicantium inventores nunquam his utebantur, niſi ad excitandos ſoporoſos, frigidos, uti videre eſt apud Oribaſium; ita, ut ſi ſupradictæ indicationes non aderant, a veſicantibus abſtinerent; ſequentibus vero temporibus, neglectis cautelis indiſcriminatim prorſus, & etiam contra indicationem veſicantia præſcribebantur: mirabundi inde hærentes medici, dum viderent, tot mira haud prævisa ſymptomata in morbis oriri; non cogitantes, hæc omnia contingere debere, ab acri illo ſtimulo contra neceſſitatem addito.

In pleuritide aliquando conveniunt, ſi præmiſſis nempe prius venæſectionibus, & febre per curam omnino antiphlogiſticam debellata, dolore tamen, ut prius perdurante, vel ſi circa quintum, ſeptimum, vel aliis intermediis diebus appareat magna ſpirandi, & expectorandi difficultas, quæ ægrum in ſummum vitæ diſcrimen conjiciet, vel ſi ſputa cum levamine prius prodeuntia ex virium debilitate, ſputorum ingenti tenacitate ſupprimantur, applicanda ſtatim ſunt duo veſicantia tibiis, ſtatim morbus in melius mutabitur: acris enim cantharidum vis reſorpta in ſanguinem, ſputorum tenacitatem infringendo, & ſtimulando vaſa facit, ut ſputa exire citius faciliusque iterum cum præſentaneo ægri levamine

poſſint; ſed & aliam quoque, eamque nequaquam minorem utilitatem hoc in caſu veſicantia præbent, diarrheam nimirum ſputa ſuppreſſa ſequentem non criticam, non levantem, via non adeo apta, materiem ſputorum evacuantem feliciter ſedant, & ſupprimunt.

In morbis quoque, quos ajunt a fluxione pendere, in rheumaticis nimirum, ut ſunt catarrhi nonnulli, tuſſes ſoffocativæ a lenta materia productæ, morbi oculorum, & faciei catarrhales, præſertim in ſuffuſione, & fluxionibus ad oculos, maxillas utrasque irruentibus, odontalgia a tali cauſa oborta, veſicantia cervici applicata ſpecifice agere obſervantur: in omni inflammatione rheumatica, præmiſſis per tempus emollientibus in- & externis, latum ad partem affectam veſicans miraculi ad inſtar malum ſuffocat; neque mirum: acris enim veſicantium ſal lympham rheumaticam incidit, attenuat, & ad externa alliciendo nobiliores internas partes liberat: in rheumate frigido pertinaciſſimo, in iſchiade rebelli, non niſi ter ad eundem locum exſiccatum antea applicatum veſicans, ingenti quidem, cum dolore, malum profligat: promota hic diu plagæ ſuppuratio ea, quam expectant, utilitate carere videtur, non enim tam ſeri educendi, quam alterandi, quam diphoreſin promovendi ſcopo veſicantia applicari in confeſſo eſt, hinc veſicam aeri emplaſtro excitatam non abſcindimus, ſed ſero educto, unguento plumbato exſiccamus. In doloribus nonnullis periodice exacerbatis; in morbis pariter ab humorum ſtagnatione, & pertinaci fixatione pendentibus, quales ſunt apoplexiæ frigidæ, paralyſes, ſopores,

ob-

obſtructiones mucoſæ, in podagra retropulſa, in aſthmate mucoſo, & ſimilibus morbis veſicantia vim curationis, & ſalutis plenarie abſolvunt, ita, ut in his caſibus veſicantia omiſiſſe, aperte neglexiſſe ægrum eſſet.

Si veſicantia applicanda ſunt in corporibus muſci plenis, pituitoſis, veneſectio ſæpe, ſemper ſolventia mitiora ſalina præmittantur; hoc enim neglecto per additum veſicantium ſtimulum humores majori vi feruntur, & impetu, orgaſmus excitatur, & turgeſcentia humorum, exinde brevi poſt, vel vaſorum rupturæ, & hæmorrhagiæ, vel deliria, & inflammationes viſcerum, motus convulſivi; & ab humoribus per cantharidum vim magis in vaſa impulſis, impactis, major obſtructio, compreſſio, febris excitatur graviſſima, ad exquiſitiſſima ſæpe remedia rebellis, ex ſolo debitorum ante applicatas cantharides remediorum neglectu exorta: mali in veſicantium effectus, quorum cauſa cantharidibus, non perverſæ earum applicationi adſcribebatur, tot præconceptis opinionibus dedere anſam, tam tetris in multorum quidem idea veſicantia coloribus depingunt.

Qui graviſſimæ tuſſi cum ſputo craſſo, & copioſo obnoxii ſunt, a nullo remediorum genere tantam ſuſcipiunt utilitatem, quantam a veſicatorio cervici appoſito; & ſi contingat, ut ulcus ab hoc excitatum cito ſanetur, aliud veſicatorium infra aures, vel intra homoplatas applicatum egregii eſſe effectus, in ſe ipſo expertus eſt Williſius.

Quoties a ſtimulo qualicunque immineat aliquot periculum affluxus nimii humorum ad partem ſtimulatam, tunc tutiſſimum erit applicare veſicantia in parte remota ab illa, minus nobili, quam expurgare volumus. Plures, quam pauciores magis juvant: repetendi ſunt, vel refricandæ plagæ ab iis excitatæ, cum ceſſet dolor, & ſtimuli ſenſus; ſi vero evidentem aliquam utilitatem volumus, & citam, tunc plura, ampliora, acrioraque, applicanda veſicantia ſunt. Ita graviſſimis ſoporibus, apoplexia, aliisque hujusmodi morbis correpti, momento fere excitantur, applicato magno veſicatorio ſupra totam capitis peripheriam, abraſis prius capillis, & loco diu ſuppurato: ſic graviſſimus hydrops ab aquis hydropicorum retroceſſis ortus, & cucuphæ emplaſtro veſicante factæ, & veſicantibus ſuris applicatis diu apertis relictis auſcultat.

Præ cæteris vero convenire poſſunt veſicantia ob rationes ſupradictas: in febribus pituitoſis graviorique earum ſpecie, lenta nervoſa ex viſciditate humorum oborta, in febre putrida dejectis viribus nullo vitio concomitante, aut inflammatorio, aut bilioſo, aut purulento eorum applicationem impediente, ampliſſimus veſicantium uſus ſemper deprehenditur: dolores fixi, & acriter devellentes partem aliquam; morbi cutanei nonnulli, uti ſcabies retropulſa, herpes rebellis, & dolores hinc inde vagantes acri huic ſtimulo obediunt, convulſiones ſine febre; epilepſiæ, aliique hujusmodi morbi humorum ab acri quadam materia nervos vellicante originem ſuam trahentes, ſi ullo, veſicantium certo ſtimulo, percurantur. Verbo, in omnibus caſibus,

in

in quibus neceſſe eſt ſolvere, divellere, derivare, excitare, tanquam ultimam ſalutis ancoram, lætiſſimo plerumque cum effectu confugimus.

Nonnunquam ulcera veſicantium difficulter cicatriſantur, quamvis morbus primarius multo ante tempore fuerit jam ſanatus, & ipſa morboſa materies ſufficienter expurgata; ſic ſæpe ad multos menſes aperta manent hæc ulcera, eludunt profecto quorumlibet remediorum vim, & in vera ulcera cacoetica degenerant; inter magnopere proficua ſunt fila carpta in decocto aluminis crudi intincta, dein exſiccata, & ita ulceribus conſolidandi ſcopo appoſita; vel pulvis olibani ſubtiliſſimus ulceri bis in die aſperſus, quo ſane brevi ad cicatricem deducuntur: hæc etiam ſi fallant, præcipue in corporibus impuris, interna auxilia pro humoris peccantis indole varia indicari, pathologiæ principia docent.

V.

V.

JOS. FERD. MÜLLER.

DISSERTATIO

DE BALNEORUM PARTICULARIUM USU

1781.

§. I.

Balnea non immerito inter antiquiſſima & notiſſima remediorum genera recenſenda eſſe, quilibet facile concedet, qui veterum ſcripta paullo attentius pervolvere velit; præſertim vero eorum, qui, aut ſuæ valetudinis rationem habuerunt; aut quibus curæ fuit ægrotantium ſalus: hi ſcopo ſuo nil magis conſentaneum duxerunt, quam balneorum, fotuum, frictionum, inunctionum, & ejusmodi exercitationum uſum. Horum omnium Pythagorici philoſophi absque dubio primi fuerunt authores.

Ego quoque omni ratione affirmare debeo, balneorum uſum hodie adhuc in medicina frequentem, tam in conſervanda quam recuperanda ſa-

ſanitate non infimum locum tenere. Agunt vero hæc, relaxando vaſa, vel conſtringendo, vel refrigerando corpus, vel calefaciendo, vel diluendo craſſiores humores, vel condenſando. Hinc videmus, quanti interſit, bene noviſſe naturam cujusque, naturamque morbi, antequam ſuadeamus, aut dehortemur balneorum uſum.

Probe etiam noſcenda eſt materies in balneo contenta; an ſit aqua pura, nitroſa, an aluminoſa, an vitriolica, an martialis, an ſulphurea, an neutris ſalibus, an alcalinis gravida, an terram calcaream habeat, an plurium horum combinatione conſtet? Cognita balneorum natura, conſtabit demum, an morbo conveniat talis vel talis balnei uſus: novit enim medicus, an ſolida ſint roboranda, an rigida laxanda, an craſſa diluenda, an tenuiora ſint compingenda. Ergo non magis datur univerſale balneum, quam univerſale remedium.

§. II.

Subjectum balneorum ſunt ipſa epidermis, cutis, vaſa in panniculo adipoſo locata, muſculi, tendines, nervi: ita, ut immerſa balneo pars fiat mole major, quam antea, & extenſior. Id capta exacte ante balneum menſura, & poſt idem denuo repetita, manifeſto demonſtrat. Elongantur fibræ ſolidæ ab interpoſitis particulis aquoſis, elongatæque plus locant in ſeſe humorum.

Humores quoque augeri copia videntur ab aqua v ſis inhalantibus abſorpta. In balneo calido augetur ſpatium circulationis. Tum, ſi ad ambitum corporis obſtructiones hæſerint, eæ quam optime ſæpe reſolvuntur; vis enim cordis & arteriarum jam poteſt per laxatos fines obſtruentem materiam propellere. Hinc in morbis acutis & omnibus illis, ubi cutis adeſt pernicioſa ariditas, balnea talia infiniti poſſunt eſſe uſus.

Balnea calida, cum frictionibus conjuncta, ſuſpenſos ad vitam revocare poſſe, plura docent exempla hominum, qui ex damnabili deſperatione ſeſe laqueo ſuſpenderunt: patibulo ſuſpenſis idem præſtare poterunt beneficium, niſi cervices per impetum fuerint ruptæ. Quid in corporibus ſubmerſorum efficere valeant, quotannis videre licet.

§. III.

De *balneis particularibus* acturus præmoneam neceſſe eſt, *particularia* non ideo ſolum dicta eſſe, quod particulari quadam methodo præparentur, aut peculiari ratione adhibeantur; ſed etiam, quod huic illive corporis parti, ut capiti, collo, humeris, manibus, pedibus &c. applicari ſolcant.

Particularium vero balneorum plura dantur genera: *calida, frigida, ſimplicia, compoſita, naturalia, artificalia, emollientia, ſtimulantia, roborantia &c.* his merito annumeranda ſunt

bal-

balnea ſicca, balnea vaporis, terræ, fumi equini, vaccini &c.

Quid *balnea calida* efficere valeant, antea dictum eſt: nunc *frigidorum* effectus conſiderandi ſunt. Per balnea frigida omnia ſolida conſtringuntur; uti videmus, aëre frigido conſtringi eadem. Angli amant ejusmodi balnea; quamvis non ſemper innocue, ſi perpendamus eorum actionem: omnia enim vaſa auguſtantur ad corporis peripheriam & humores retropelluntur; totum ergo corpus fit minus, arctius: interea caput ſolvum liberum manet ab hac compreſſione; nec juvaret, ſi caput ſæpe ſubmergerent undis, quum cranium cedere nequeat. Ergo, dum per univerſi corporis ambitum vaſa omnia conſtringuntur & retropelluntur humores, ſolum encephalon non conſtringitur: ergo ſanguis minorem circulationis aream per totam corporis peripheriam expertus, fluit copioſior ad illa loca, quæ non comprimuntur, id eſt ad cavam calvariam, onerabitque cerebrum & cerebellum.

Balnea autem frigida a quibusdam laudata fuerunt ad curandam paralyſin, ut memorat *Ill.* VAN SWIETEN: certe ſi effectus aquæ frigidæ, corpori ſubito applicatæ, conſiderentur, videtur cum ſpe ſucceſſus & hæc methodus quandoque tentari poſſe. Sequitur enim horror & concuſſus totius corporis a frigidiſſima aqua applicata, poſtea oritur calor, rubor, pulſus fortior & celerior; ſique lectum petat homo, ſolet plerumque ſequi magnus ſudor. Sic per artem febris conciliatur corpori, cum horrore & frigore incipiens,

ens, subsequente dein calore & sudore. Verum febris & motus convulsivus partis numerantur inter illa auxilia, quibus natura uti solet, ad hunc morbum sanandum. Præterea bonum signum est, si in parte affecta punctura molestæ & formicationis sensus percipiatur: sed siquis aqua frigidissima, vel nive, manus lavet, talem sensum habebit.

Tutissimus modus balneo frigido utendi, videtur esse *immersio* (quæ, quomodo suscipiatur, in sequentibus dicetur,) si ægri simul & semel immergantur & mox educantur, ne frigus insolitum ad interiora penetret, talisque immersio repetatur aliquoties, dein lecto calido committantur. Sensim sic, indurato ad frigus corpore, & longior mora in balneo frigido, & frequentior immersio, impune feruntur.

Balneum frigidum, præsertim muriaticum, laudat GALENUS in obesis; sal enim marinum, per vasa cutanea resorptum, pertinaci stimulo circulationem auget, dum in corpore animali immutatum per urinam transit & corpus exsiccat; commendat autem ille balneum muriaticum, si æger jejunus fuerit & natationis motum simul exercuerit.

Vir frigido mari sæpe se lavans evasit macilentior; ideo illi balnei hujus usum interdixit HUXHAM suasitque balneum tepidum, relaxantem, nutrientem diætam, & caro redibat.

§. IV.

§. IV.

Immerſio eſt, ubi homo reti piſcatorio involutus ſimul & ſemel aquæ immergitur & mox educitur, talisque immerſio repetitur aliquoties. Hac immerſione aliquos hydrophobos curatos fuiſſe, certis obſervationibus id teſtantibus, negari non poſſe videtur; nam HELMONTIUS vidit ſenem a cane rabido morſum, jam hydrophobum, a nautis ter ex alto in mare præcipitatum, & ſub aquis detendum tanto tempore, quo pſalmus miſerere recitari potuiſſet, a rabie liberatum.

Incolæ ad viadrum vel oderam, hodierno adhuc die immerſionem in aquam frigidam cum ſuis hydrophobis celebrant; poſt peractam immerſionem ægros lecto imponunt & illis magnam potus diaphoretici copiam bibendam exhibent, non ſine ſperato eventu.

Celeberrimus & perpetuo mihi colendus praxeos medicæ Profeſſor MAXIMILIANUS STOLL, qui collegio practico ſumma cum laude præeſt, meminit in prælectionibus ſuis adhibendæ cum fructu immerſionis in phrenitide, a ſuppreſſo perſpirabili orta; ſi perſpirabile necdum fixatum ſit & inflammationem nondum effecerit.

§. V.

Embrocatio (quaſi *Irrigatio*, aut *Stillicidium*,) eſt illa balnei particularis ſpecies, ubi ex alto, pluviæ inſtar, in partem aliquam fit deſtil-

ſtillatio. Inſtituitur ſequenti ratione: aqua ſimplex, vel calida, vel frigida, vel variis ingredientibus prædita, immittitur vaſi, in cujus fundo habetur cannula perforata, per quam aqua guttatim in partem affectam demittitur, ex loco plus minuſve elato.

Pro varietate morbi naturaque partis diverſa quoque eſt embrocationis applicatio: in ſurditate retro aures, in tetano cervici, in paralyſi occipiti, in hemicrania lateribus capitis, applicatur.

Non deſunt obſervationes numeroſæ, quæ docent, plurimis incaſſum tentatis, etiam balneis calidis, curatas fuiſſe paralyſes per frigida balnea; imprimis, ſi cataractæ ex alto labentis aquæ ſupponatur pars, uti monet FLOYERUS.

In anchyloſi ab inſpiſſato ſmegmate haverſiano laudat PETIT embrocationem aquæ calcis vivæ cum ſalis ammoniaci lixivio. In morbo coxario deſperato ſemper tentanda embrocatio: licet dentur caſus, quibus non profuerit, profuit tamen aliquando, prout obſervavit *Cel.* DE HAEN.

§. VI.

Aliud genus balnei conſtituit *balneum vaporis*, *vaporarium*, *ſudatorium*, etiam *laconicum*, a *laconibus*, ſive *lacædemonibus* ſuum nomen ducens, Romanis etiam in uſu, qui ſuper ſcaturigines aquarum exſtruebant cellas, quæ bal-

balneorum fumo vaporeque continuo calefiebant. Antequam æger laconicum ingrediatur, corpus sit bene præparatum, & si necessitas postulet, venæ sectionem & primarum viarum purgationem præmittat. Dum æger balneum vaporis sic adhibet, hauriri solet potus quidam theatus, aut aqua aliqua mineralis.

Balneum vaporis calore suo naturali exsiccat, calefacit, & propter suam tenuitatem vasa minima penetrat, valide discurit & sudores copiosissimos elicit: quare nocet calidis & quocunque demum morbo extenuatis; prodest vero in congestionibus serosis, hernia aquosa, cruribus sero tumidis.

Ars inventrix excogitavit varias machinas, quarum ope balneum vaporis ad quamcunque corporis partem potest determinari: sic ad glandulas induratas colli, glandulas subaxillares, inguinales, scrotum induratum, non sine modico emolumento adhibetur.

Balneo vaporis associari potest *Illutamentum*, ita dictum, quod corpus illiniatur luto ad effluxum thermarum conspiciendo. Hoc luto pars dolorifica, exulcerata, indurata, mane & post prandium, illinitur; ad solem, vel in balneo laconico exsiccatur; tandem post quadrantem horæ, vel tardius, balneo se committit æger, lutum abluit, idque repetitis vicibus fieri solet.

Similis illutamenti in thermis jam pridem Plinius meminit: „Utuntur nimirum, ait, cœno fontium balneorum utiliter (sed ita, si illitum

tum ſole inareſcat) ad emolliendum induratas partes, ad diſcutiendum ſolvendumque contumaces in aliquo membro impactas materies, ad confirmandum corroborandumque articulos debiles &c.“ Tali ratione apud AETIUM anaſarca percurata legitur.

§. VII.

Balnea oleoſa emolliunt quidem, ſed ſimul obſtipant vaſorum exhalantium ora; hinc juvant ubi quis nimium perſpirat, ſudatve. VERULAMIUS, ſupra veterum inunctiones oleoſas diſſerens, illas longævitati conduxiſſe aſſerit inhibendo nimiam perſpirationem ſudoremque. Durum & fragile fere corium in oleo fit molle & ductile. HANNIBAL probe novit, Carthaginenſes milites, quos bruma rigida ad bellum ineptos reddiderat, huic aptiſſimos hac methodo reddere: unde eleganter FLORUS: „Sic ille afer noſtra nos hyeme vicit.“ Nec tantum innunctione oleoſa ſervabat flexiles milites, ſed ſimul magis calentes, inhibita magna perſpiratione ac ſudore inter labores bellicos, minusque famelicos.

Balnea oleoſa a medicis præſcribuntur calculo renum laborantibus; corpus illis laxatur, penetratur & dolores ſævientes imminuuntur aut penitus ceſſant.

§. VIII.

Balneum ficum optime deſcribit beatus DE HAEN in *Prælectionibus in Hermanni* BOER-

HAA-

HAAVE *Institutiones pathologicas*, quas scientiæ medicæ plurimum addictus & ob plura in publicum emissa scripta percelebris *D. F. de* WASSERBERG cum summo in tirones medicos redundante emolumento edidit. Adscribam *Cel.* AUCTORIS verba, ut habentur in *T. II. pag.* 378. Balneum siccum ita dictum, sive applicatio siccarum rerum, (quo & referendi vapores thymiamatum) potest esse adiaphora, ut farinæ omnes, amylon &c. sed licet quoad vires proprias sint adiaphora, non erunt quoad effectus. Etenim, inhibendo humiditates exhalantes, exsiccant cuticulam & subjecta vasa. Si misceatur hisce salinum, tunc tale siccum balneum maximam imbibit humorum copiam: sic vidi in cruribus hydropicis, sal marinum, prius supra ignem decrepitatum, cum furfuribus siccis applicatum, tanti usus fuisse, ut exsiccaretur hydrops. Sal ammoniacum, adhuc impatientius siccitatis, hoc plus facit. Efficiunt hæc salia id non tantum, quia sicca sunt, nam siccissima arena imbibit quidem, sed non tam multum, in tali crure, saltem longe minus: verum vi quasi attrahunt salia humiditatem. Sal siccissimum alcalinum aëri expositum tantum humiditatis ex aëre attrahit in loco subterraneo, ut fiat se ipso triplo gravius, ut ex uncia una salis habeamus uncias quatuor liquoris tartari per deliquium.

§. IX.

Sequitur nunc *balneum terræ*. *Franciscus* SOLANO DE LUQUE, ob crisin morborum ex solo pulsu prædicendam notus, testatur, se balneo

HAAVE *Institutiones pathologicas*, quas scientiæ medicæ plurimum addictus & ob plura in publicum emissa scripta percelebris *D. F. de* WASSERBERG cum summo in tirones medicos redundante emolumento edidit. Adscribam *Cel.* AUCTORIS verba, ut habentur in *T. II. pag.* 378. Balneum siccum ita dictum, sive applicatio siccarum rerum, (quo & referendi vapores thymiamatum) potest esse adiaphora, ut farinæ omnes, amylon &c. sed licet quoad vires proprias sint adiaphora, non erunt quoad effectus. Etenim, inhibendo humiditates exhalantes, exsiccant cuticulam & subjecta vasa. Si misceatur hisce salinum, tunc tale siccum balneum maximam imbibit humorum copiam: sic vidi in cruribus hydropicis, sal marinum, prius supra ignem decrepitatum, cum furfuribus siccis applicatum, tanti usus fuisse, ut exsiccaretur hydrops. Sal ammoniacum, adhuc impatientius siccitatis, hoc plus facit. Efficiunt hæc salia id non tantum, quia sicca sunt, nam siccissima arena imbibit quidem, sed non tam multum, in tali crure, saltem longe minus: verum vi quasi attrahunt salia humiditatem. Sal siccissimum alcalinum aëri expositum tantum humiditatis ex aëre attrahit in loco subterraneo, ut fiat se ipso triplo gravius, ut ex uncia una salis habeamus uncias quatuor liquoris tartari per deliquium.

§. IX.

Sequitur nunc *balneum terræ*. *Franciscus* SOLANO DE LUQUE, ob crisin morborum ex solo pulsu prædicendam notus, testatur, se balneo

terræ feliciter usum fuisse in curanda phthisi & inter alios plures conclamatam hecticam restituisse integre balneo terræ ter adhibito. Sequenti autem methodo hoc fiebat: curabat excavari foveam in terra, ubi nullæ omnino plantæ germinabant: tali foveæ imponebat ægros ad collum usque, deinde tegebat eos eadem terra quæ effossa fuerat; sic relinquebat, donec tremere inciperent. Dum hærebant in hac fovea, dabat illis aliquid nutrimenti, si opus haberent: dum vero tremere incipiebant, curabat educi ex fovea & involvi linteo aqua rosarum madido: post bihorium perfricabatur totum corpus *unguento resumptivo* ZACUTI LUSITANI. Alii autem, dicit *Ill. L. B.* VAN SWIETEN, laudabant unguentum, quod ex foliis stramonei & axungia porcina parabatur, quo perfricabant spinam dorsi, & totum corpus circumducebant fasciis, hoc unguento inunctis. Monet autem SOLANO, semper novam fossam debere parari, si balneum illud terræ repetendum fuerit, & tantum illud tuto adhiberi posse notat a fine Maji ad Octobrim. Miro quidem modo philosophatur circa effectum hujus balnei, & credit terram absorbere in se miasmata morbosa &c. Cum autem, pergit *Ill.* VAN SWIETEN, in æstivis etiam caloribus terra, vel raro, vel nunquam, ad tantam profunditatem exsiccetur, admodum credibile est, quod humida terra, effluviis spargendis aptissima, nudam corporis cutim undique tangat, & forte hoc modo prosit exhalando potius fragrantiam utilem quam, reforbendo noxia ex corpore ægro miasmata.

§. X.

§. X.

Transimus ad *Capitiluvia* seu totius capitis lotiones, quæ, licet non singulis diebus, singulis tamen septimanas semel, diversis in provinciis, pro consuetudine veniunt, quibus totum *caput calida aqua diuque* satis lavant, ita tamen, ut postea abstergatur linteis calidis & exsiccetur; ex quo caput exoneratum, mentem liberam & ad actiones magis expeditam sentiunt. Veteres Germani, ut TACITUS refert, ad acquirendos crines rufos, qui ipsis ornamento erant, sapone & lixivio caput sæpius lavarunt. Capitis lotiones frequenter & salubriter HIPPOCRATES, GALENUS, AVICENNA, cum ad sanitatem tuendam, tum ad morbos profligandos commendarunt. FELIX PLATERUS *in surditate caput* lixivio ex herbis cephalicis quandoque abluere præcepit. Pueris achores, favos, ulcera manantia in capite gerentibus, lotiones ex aqua calida, lixivio, sapone, vitello ovorum, herbis aromaticis & similibus compositæ, a vulgo cum euphoria adhiberi solent.

Plica polonica, morbus quibusdam Poloniæ provinciis endemius, lotionibus capitis ex sale gemmæ fossili paratis multories expugnatur.

In ecchymosi capitis externi lavacra discutientia plerumque cum effectu applicant Chirurgi.

Ill. VAN SWIETEN in vera phrenitide, abrasis prius capellis, lavacra capitis tepida commendat.

Totius faciei & manuum lationes apud homines plerosque quotidie inſtituæ proficuæ admodum deprehenduntur.

Lotiones ex aqua frigida, aut albumine ovi & aliquot camphoræ granis alterata, faciem a ſole exuſtam reſtituere, nemini ignotum erit.

Interim monere neceſſe eſt, non omnibus populis capitiluvia æque feliciter cedere; infantes tamen ubique locorum lotiones capitis optime ferunt.

§. XI.

Balneum oculare quid ſit, neminem latet. Ad hoc balneorum particularium genus perficiendum propria ex terra figulina, aut vitro, conſtructa vaſa proſtant, in quæ aqua vel liquores, intentioni ſatisfacientes, infunduntur: ſub ipſa vero balnei ad oculum applicatione palpebra ſuperior frequenter moveatur, ut liquidum quaquaverſum pertingere valeat.

Sic in albugine a lenta congeſtione nato uſum ſæpe habent fella animalium, lucii piſcis, carpionis anguillæ, tauri &c. bis de die tangitur plumaceolo intincto bili, & ſemihora poſt oculus per balneum ex aqua fœniculi, roſar., euphragiæ abluitur.

Tali quoque ratione *Cel.* PLENCK in *doctrina de morbis oculorum*, diverſis in caſibus balneorum ocularium uſum adducit, e. g. in obſcura-

curatione corneæ vulgari oculum balneari jubet balneo ex ſolutionibus ingredientium, ſcopo ſuo convenientium compoſito. In obſcuratione corneæ a cauſa venerea orta balneum ex lacte mercuriali laudat. In ulcere conjunctivæ ſcrophuloſo balneum ex cort. peruv. decocto cum alumine ſuſcipit idem.

Balnea oculorum frigida in lagophthalmo paralytico, in rubore marginum palpebralium ſenili, in ophthalmia onaniſtica, in exophthalmia ſanguinea, a ſanguine verſus oculum congeſto & retinæ atonia, in viſu reticulari permanente, optimum præſtare effectum affirmat idem.

An non *lavamenta narium*, *colluſiones oris* & *faucium*, ſeu *gargariſmata*, tum & clyſteres, poſſem dicere *balnea naſalia*, *gutturalia*, *balnea inteſtinorum craſſorum*? Ita ſaltem videtur.

§. XII.

Pediluvia, *Lavipedia*, aliis *Pedilotia* & *Balnea pedum* dicta, ſunt balnei particularis ſpecies, cui pedes pro variis uſibus ad certum quoddam tempus immerguntur. Balnea hæc parari poſſunt ex aqua ſimplici vel ex aqua variis ingredientibus gravida. Si ſpecies aromaticæ coquendæ adhibentur; hæ tamdiu ſufficere pro balneo poſſunt, quamdiu fragrantia quædam ſupereſt.

Illis in locis, ubi ſcorias varias a fuſione metallorum remanentes opportuna concedit occaſio, eædem ex fuſione adhuc candentes, aut denuo calefactæ calcinatæque, in aquam tepidam injiciuntur. Alii arenam, lateres, ſilices calefactos, ferramenta candentia, aquæ calidæ adjiciunt.

Delicatiores, maxime feminæ, ad conciliandam pediluviis gratiam, flores varios, folia fragrantia aliaque odorifera, aut liquores ſuavolentes balneis hiſce addere amant.

Amplum certe pediluvia occupant territorium, quum diverſis temporibus anni, variisque in caſibus, uſu veniant; præſertim tempore æſtivo, quo exſiccatas partes emolliunt, humectant, & membra, motu ac labore delaſſata, reficiunt. Commodiſſimum vero pediluviis utendi tempus eſt matutinum & veſpertinum; quod nempe prandium, cœnam ac horam decubitus conſuetam præcedit.

Mora in pediluviis ad ſemihoram & ultra, extenditur; prout autem intentionis ratio varia eſt, aut major minorve affectuum gravitas poſtulat; ſemel vel bis in hebdomade, alternis diebus aut ſingulis, imo etiam bis de die applicari poſſunt.

Si pediluvia per plures dies continuare animus eſt, a minori temporis ſpatio inchoando, ad majus indies progrediatur æger. Peracto pediluvio & pedibus e vaſe extractis, linteis ca-

li-

lidis, leniter fricando, abſtergantur, ſiccentur, evitando ſemper infrigerationem.

§. XIII.

Pediluvia congrue adhibita, omnis ætatis, ſexus & temperamenti hominibus conveniunt. Ætas ſenilis ea præſertim utiliſſime adhibet ex confortantibus cum emollientibus miſta; quoniam in ſenio ſanguis per pedes & partes corporis extremas lentius movetur.

Feminæ inferioris conditionis, quales ſunt lotrices, quibus manus lavando in aqua frigeſcunt & pedes eodem labore madefacti rigeſcunt, pediluviis calidis, veſpertino tempore ſuſceptis, diverſa ex labore ſuo metuenda mala poſſunt avertere.

Notandum tamen eſt, obſervatis conſtare, quod, quodſi præter neceſſitatem frequenter nimis adhibeantur pediluvia, ſperatum tandem effectum vix præſtent: illis enim natura, ut & aliis, facile ſolet aſſueſcere.

§. XIV.

Subjectum pediluviorum primarium & proximum ſunt ipſi pedes & omnes quas continent partes, nimirum epidermis, cutis, vaſa, muſculi, tendines, nervi, tandem ipſa oſſa cum cartilaginibus blande afficiuntur & vel emolliuntur, vel ſubadſtringuntur, roborantur, firmantur, pro

va-

variata materiarum pediluvia conſtituentium indole; ſimul quoque his partibus illarumque poris inhærentia, ut humores extravaſat, evagulati, impacti; ut ſerum & ſanguis, tum indurationes in clavis pedum, tophi podagrici, iis emolliuntur, reſolvuntur, diſcutiuntur.

Secundarium & remotius pediluviorum ſubjectum ſunt affluí ad pedes humores; ſanguis, ſerum, lympha; quæ ſimul & vario modo afficiuntur, diluuntur, moventur, abducuntur & adducuntur, ut ad minorem alibi molem ſe recipiant.

§. XV.

Pediluvia calida ſimplicia corporis calorem naturalem promovent & excitant; non ſolum pedes, quos attingunt, calefaciunt, ſed & totius corporis poros aperiunt, diaphoreſin per eos augent, ſanguinem tenuem, fluxilem reddunt; quo particulæ craſſiores promoventur, attenuantur, laudabilis vero ſanguis a caput & cerebrum adigitur, ut ſpiritus animales ibidem uberius generentur omnesque ſecretiones & excretiones in toto corpore expeditius inſtituantur. Hoc modo dein paregoricam & dolores ſedativam virtutem edunt pediluvia; tam relaxando fibras, quam poros aperiendo & acres retentos humores, dolorum cauſas, transſpirationi aptos reddendo & educendo: a pediluviis enim bene quieſcunt & dormiunt lavantes, & pedum calli moleſti ac dolorifici protinus poſſunt removeri: ſimul quoque

que obſtructiones tolluntur, quam coagulatæ impactæque hærentes moleculæ ſolvantur.

§. XVI.

Patet per ſe, pediluvia frigida ex aqua frigida, ex refrigerantibus & adſtringentibus, nitro, vitriolo, alumine & ſimilibus, parata, partes ſtringere, poros anguſtiores reddere; ſanguinem & humores retropellere, cogere; vapores calidos, ne exhalent, prohibere, illorumque quantitatem ibi augere, roborare; fibras motrices earumque tonum firmare, ut fortius impellant humores & rurſus ab humoribus fortius impelli queant, ſicque etiam humorum curſum eo convertere ibique hærentia dimovere. Hinc fit, quod refrigerantia quatenus actionem, quam tonum vocant fibrarum motricum, blande eas conſtringendo porosque interjectos arctando, erigant, reſtituant, firment, ad reſiſtendum aptas reddant partes & impellant, ut fortius agant; qua actione conſtrictoria materies, in tubulorum cavitatibus hærens, aut affluens, promovetur, expellitur & aliorſum ut curſum ſuum inſtituat, cogitur; qua ratione ad diſcutientium reſolventiumque naturam accedunt ac in principio inflammationum &c. conveniunt, ſæpiusque proſunt, rarius obſunt.

Pediluvia frigida eximium præſtare uſum, mecum quilibet affirmabit, qui in animum revocabit, quanto in uſu fuerint lavacra frigida, hybernis etiam algoribus, apud Veteres. Sic Plinius *H. N. L. XXIX.* ſcribit de Romanis, bal-

balneis frigidis utentibus: „videbamus, inquit, „ſenes Conſulares in oſtentationem usque ri„gentes.“

Hanc frigidam lotionem recentiorum medicorum plures approbarunt; inter quos nominare ſufficiet FLOYERUM, medicam anglum, de balneorum frigidorum tuto uſu & utilitate. Specialiores pediluviorum affectus in ſequentibus enarrabo.

§. XVII.

Concipio inde, varios pediluviorum in ſanis ægrisque eximio cum fructu applicandorum uſus, quæ tam ad ſanitatem integram conſervandam & ad morbos præcavendos, quam ad eos curandos, apta & utilia ſunt; ſiquidem omnes morbos, in ſequentibus recenſendos, pediluvia quandoque & juſto tempore adhibita, poſſunt auferre.

Nempe tam alterant, quam evacuant, abſtergunt, ſecretionem & excretionem promovent, laxant, reſolvunt, diſcutiunt, ſubadſtringunt, dolores ſedant, ad ſomnum placidum invitant, expanſionem ipſis humoribus inducunt, dirigunt, derivant, avertunt, revellunt, attrahunt, roborant, transſpirationem, ſudorem & urinam provocant.

Revulſio in variis morbis a practicis feliciter inſtituitur. Sic ubi ſym, toma aliquod gravius urget, aut humoris peccantis in partem affluxus diu continuat, practici ſolent excretiones in aliis locis excretoriis promovere; præſertim in

in-

inflammationibus, hæmorrhagiis, venæsectiones in pede, scarificationes, cucurbitæ, frictiones, ligaturæ, fonticuli, vesicatoria, hirudinum suctus, simulque purgantia, diuretica, sternutatoria, celebrantur & felici eventu comprobantur. Vario hoc revellendi modo pediluvia non excludenda sunt; unicum exemplum adduxisse sufficiat: sic in narium hæmorrhagia symptomatica a retrocessione exanthematum, variolarum, morbillorum &c. producta, pediluvia ex aqua simplici calida constantia, utilia maxime & necessaria deprehenduntur.

§. XVIII.

Ulteriorem explicationem de multifario ac amplissimo pediluviorum usu facturus præsuppono, pedibus, utpote partibus nervosis, membranaceis, ligamentosis, abundantibus, mirum cum toto corpore & singulis fere partibus esse consensum. Hocce pedum cum reliquis corporis partibus commercium abunde comprobant observationes authorum: sic melancholici somno non reficiuntur, quamdiu pedes frigent. BOERHAAVE ait, refrigeratis pedibus suppressio mensium & dolor colicus supervenit; & contra alvus pertinaciter clausa referata fuit pedibus aqua frigida madefactis.

§. XIX.

Pediluvia ergo optimo consilio practico & fructu cum eximio adhibentur, non tantum ubi vitium in pedibus cruribusque residet, sed & si alia in parte vicina, aut longius remota, immo to-

toto quandoque in corpore, hæret; ubi humores, ſanguis, lympha in parte aliqua ſuperiori premunt, diſtendunt, vellicant, rodunt; ubi ſecretiones, excretiones debito modo non fiunt, ſed ſtagnationes, vaſorum diſtentiones, inflammationes procreant. Morbi a colluvie ſeroſa, quos *Carolus* Piso ſecundum ſeries optime deſcribit, & ſpaſmi ſanguinem in plethoricis magno cum impetu verſus enkephalon repellunt; ex quo multa mala, ataxia ſpirituum, tumores, dolores, convulſiones &c. gignuntur. His in caſibus pediluviis, & ejusmodi revellentibus, melius proſpicitur, quam ſi multis medicamentis naturam obruere velimus.

Neceſſaria imprimis ſunt, ubi natura adſuefcit per partes ſuperiores & nobiliores, ſtato quaſi tempore, humorum copiam excernere; ſic natura optime avocatur & aliorſum impetus humorum invitatur.

Felix præterea eventus exſpectatur ab illis, quando natura per partes corporis infimas, crura & pedes excretionem molitur.

Efficiunt rurſus pediluvia, ut inferioribus corporis partibus ſanis applicata, avocato humorum impetu, temperatior pacatiorque alibi fiat motus humorum; ut expeditior remedii applicati poſſit inſtitui operatio. Sit e. g. tumor, aut inflammatio, in collo, per pediluvia ſic avocato humorum impetu, medicamenta reſolventia & diſcutientia, exterius admota, facilius & citius hærentes & ſtagnantes humores poterunt reſolvere.

§. XX.

§. XX.

Quum res ita ſe habeat, quod pediluvia non ſolum in pedum, ſed & in reliquarum corporis partium affectibus, utiliſſime applicentur, ſi ſingularum partium vitia, in iisque uſum pediloviorum æſtimare velim, a capite mihi incipiendum & ad calcem usque procedendum eſſe videtur.

Ponam ergo frequentiſſimum morborum genus, quod cephalalgia appellatur; cujus certe variæ dantur ſpecies: ut cephalea, hemicrania, clavus hyſtericus &c. in omnibus hiſce ſpeciebus, ſeu dolores adſint gravativi, obtuſi, aut prementes, lancinantes, pungentes, terebrantes, pulſatorii, qui continuo excruciant ſomnumque ſæpe prohibent; pediluvia tepida ex aqua ſimplici cum cineribus motum humorum verſus caput auctum ad inferiora avocando dolorem ſedant.

In eryſipelate capitis periculoſiſſimo pediluvia ſingulare præbent auxilium, & recidivam, ex aeris vitio quandoque contingentem, feliciter avertuut.

Beatus DE HAEN eximium pediluviorum uſum vidit in homine vertiginoſo: in vertigine a plethora, ſive univerſali, ſive ad caput derivata, pediluvia calida commendat; a balneo aquoſo calido tument inferiora; derivatur certe humorum vis & determinatur ad inferiora; ſed, uti proſunt, ait, in hoc caſu, ita nocent in vertigine a defectu ſpirituum, a defectu humorum. Tentavit Ille pediluvium in ægro a defectu humorum vertiginoſo; æger cecidit in animi deli-

qui-

quium poſt vertigines multas, pallidus totus & frigidus, ut multum laborem impendere oportuerit, antequam ad ſe rediret.

§. XXI.

Si catalepſis a ſanguinis evacuationibus ſuppreſſis ortum duxerit, *Ill.* VAN SWIETEN extollit balnea pedum calida, epiſpaſtica plantis pedum adhibita, frictiones crurum pedumque: proderunt ſemper in tali caſu, quatenus impetum & copiam humorum a ſuperioribus avertere ſolent.

Qui apoplexiæ obnoxii ſunt & paralyſin metuunt, præſertim ſi pedum ſtuporem tanquam appropinquantis hujus ſævi mali ſignum ſentiant, aut ſi in abdomine ſpaſmodici vagentur motus, qui ſanguinem cum impetu ad caput pellunt; illi a pediluviis ſimplicibus aut lixivio alteratis, adhibitis, præſertim ſi pedes prius ad rubedinem ardorisque ſenſum fricuerint, emolumentum plane non temnendum ſperare poſſunt.

Immo in illis capitis vitiis, quies mentis aberratio functa eſt, qualia ſunt deliria cum & ſine febre, melancholia hypochondriaca, in ipſa phrenitide, mania &c. calida pediluvia, laxando corpus, animum ſedando, ſomnum inducendo, apprime utilia ſunt: quare & noctambulis ſuadenda; nec lethargus, carus & coma inde excepta ſunt.

§. XXII.

§. XXII.

In multis æque ac variis oculorum affectibus, & inter tam copiosa hisce affectibus dicata remedia, non ultimam laudem merentur pediluvia; quia hæc humores versus oculos cum impetu affluentes ibique hærentes avocant & divertunt. Sic *Cl.* PLENCK in amaurosi a congestione sanguinis orta pediluvia tepida cum fructu adhiberi jussit. Quidam Practici pediluvium præcipue ex lixivio, ex cineribus ligni juniperini paratum ac mane vesperique calide usurpatum, laudant.

§. XXIII.

In permolesta & nares subin excoriante affectione, coryza dicta, in qua frequentes fiunt sternuationes, & vox ipsa sæpe mutatur, pedes in aquam calidam, vesperi præsertim, immittere convenit, quia catarrhi id commune habent, quod circa vesperam increscant, & extrema corporis, pedes maxime, refrigescant.

In narium hæmorrhagiis præternaturalibus, in quibus alias revulsio cruenta in inferioribus partibus cum successu administratur, pedes in simplicem aquam tepidam, frictionibus ante instititutis, ponere multis in usu est. Quod a tepidis fit, a frigidissimis quoque exspectatur; imprimis si hæmorrhagiis detenti subito & improviso quasi pedes frigido pediluvio immergant; alii frigidissimam aquam in hunc scopum collo, nuchæ, scapulis, cruribus, lumbis magna copia affundere solent.

§. XXIV.

§. XXIV.

Affectus aurium, quamvis pauciores sint, quidam tamen occurrunt, quibus pediluvia optime conducunt; ut sunt hebetudo auditus, ipsa surditas & aurium tinnitus &c. Sic *Felix* PLATERUS tinnitum aurium auditum depravantem ex casu, pediluvio, ex cineribus quercus cum modica calcis quantitate parato, sustulit.

Hac occasione recordor viri cujusdam mihi noti, 30 circiter annorum, qui ab anno puericiæ suæ decimo pone aurem sinistram herpetis speciem, serum subflavum plorantem acquisivit: varia ad illam abigendam remedia incassum tentavit; post annum ætatis suæ vigesimum sextum sua sponte evanuit; sed per hoc tempus, dum ira excanduit, herpes priorem relegere locum cœpit. Jam vero, dum ira se commotum sentit & locum antea affectum prurientem percipit, pediluvia adhibet, quies brevi pruritus sedatur, nullo subsequente herpete.

§. XXV.

Quum ordo nunc ad oris fauciumque morbos me perducat, silentio præterire non possum, pediluvia etiam his in affectibus suam mereri laudem.

Sic in variis anginæ inflammatoriæ speciebus pediluvia multis in usu sunt.

Den-

Dentitio difficilis, quæ ob distensionem gingivarum ab erupturo dente inflammationem sibi plerumque habet comitem, & quæ sola complures puerorum quorannis interimit, facilis redditur, ubi pedes pediluvio tepido immerguntur; quia hac ratione sanguis, qui in dentientibus ad gingivas semper impetuosius movetur, aliorsum avocatur, motus extraordinarius infringitur, componitur, & sic multa mala symptomata, aut præcaventur, aut notabiliter leniuntur.

§. XXVI.

Ad varias pectoris affectiones pediluvia præstans esse remedium, comprobatur observationibus SENNERTI, *Felicis* PLATERI, LOMMII &c.: quod vero hi authores usum pediluviorum in morbis pectoris adeo deprædicant, causam esse arbitror, quia pulmones magna sæpe sanguinis copia infarciuntur ab eoque infarctu molestissime afficiuntur; pediluviis autem sanguis, ad pulmones appulsus, versus inferiora derivatur & sic a mole infarciente quam optime liberatur.

Incommoda valde cordis palpitatio pediluviis quandoque cedit.

Hic memorare quoque juvat historiam in BONNETTI *sepulchreto* descriptam Doctoris Juris Haffniensis, qui ex pedibus refrigeratis passus est lipothymiam gravissimam, conjunctam cum aphonia & pulsus penitus silente; revocatus vero fuit a pediluvio vini albi gallici.

§. XXVII.

Ad reliquarum corporis partium morbos pediluvia esse egregia, nemo ibit inficias; ut in inflammatione ventriculi, intestinorum, hepatis, lienis, uteri, vesicæ: in colica a refrigeratione pedum producta momentaneum præbent auxilium.

Quum in singultus molestia manus cum levamine in aquam calidam immergantur; nullus dubito, pediluvia calida eundem hic habere posse usum.

Menstrua quandoque per insolitas vias erroneo feruntur motu; unicam ex innumeris insolitam viam adduxisse sufficiat: vasa nempe narium & in sanitate & in morbis ita sunt disposita, ut facile dilatentur & dimittant sanguinem sicque corpus liberent a copia nimia, gravante; vel & simul cum laudabili sanguine noxium morbosum educant. Hanc viam suppressa menstrua frequentius affectare, quotidianæ docent observationes. Hoc ergo in casu pediluvia calida cum frictionibus optimum dant remedium. Notum enim est, pedes & crura ab iliacis arteriis externis sua accipere vasa, uterum ab hypogastricis non tantum, sed etiam ab iliacis externis & variis inter se anastomosibus vasa communicare; facile ergo patet, quare per balnea pedum calida, laxatis vasis, & dein per frictiones accelerato motu in iisdem, major sanguinis copia derivetur versus aortam, ubi in iliacas dividitur, adeoque & magis tunc urgeantur uteri vasa, sic-

que

que ſperari poſſit, illorum extrema ita dilatari poſſe, ut menſtruum fluorem dimittant.

Pediluvia illis quoque feminis valde conducunt, quibus per ætatem menſes ſubſiſtere cœperunt, ad præcavendos ordinario exinde ſequentes non paucos morbos.

§. XXVIII.

Maniacos per hæmorrhoidum fluxum levatos fuiſſe, experientia comprobatur; atrabiliaria enim fæx circa inferiora accumulatur ſæpe & ſubducitur de corpore; liberantur viſcera abdominalia gravante hac ſaburra & morbus vertitur in melius; ſimul quoque ſanguine diſtendente vaſa inferiora per eadem aperta evacuato, impetus & copia humorum derivantur; quod magni certe momenti eſt ad ferox delirium mitigandum. Hanc nunc evacuationem materiæ atrabiliariæ ſponte ortam quum medici viderent eſſe ſalutarem, eandem per artem imitari tentaverunt; quare per balnea pedum tepida, cum balneo vaporis anum alluente, ſubvenire potuerunt maniacis.

§. XXIX.

Noxas ex vehementibus animi affectibus (præſertim illis, quibus ſolenne eſt, humores ad interiora conjicere) timendas, cum ſummo effectu præcavent pediluvia frictionibus juncta; his enim ſanguis fluidior, motus circulationis liberior, redditur; inordinatus compeſcitur & animus ſedatur ſimulque ad quietem diſponitur.

§. XXX.

Dantur quidam morbi, quibus universum occupatur corpus & ubi per omnia corporis vasa distributus morbus est: de his notandum velim, pediluvia non solum in inflammationibus, quæ totum sæpe corpus invadunt, sed etiam in omnis fere generis febribus, convenire.

In intermittentibus febribus ante paroxysmi insultum ægrotus pediluvia calida, ex lixiviis & herbis aromaticis composita, adhibeat. Sic GALENUS in tertiana legitima pediluvia approbavit; *Paulus* SORBAIT eadem laudat in putridis febribus; sed non nisi signis coctionis apparentibus, vel ægro prius purgato ac non in ipso augmento, quia alias putredinem augerent.

In febre leipyria, in qua extrema algent & interna calore detinentur, eadem convenire, nullum est dubium; quia per hic sanguis versus cor copiosius ruens ad extima magis avocatur, hacque ratione sanguinis motus probe compesci, æstus exstingui, deliria mitigari, somnus & quies conciliari, facile poterunt.

In febribus hecticis, corpus lente depascentibus, circa tempus exacerbantis æstus, post prandium nempe & ad vesperas, pediluvia multi sunt usus. In his aliisque corporis humani constitutionibus secundum modum indicatum pediluvia utilia valde remedia sunt, & secundum HIPP. *lib. 2. de vict. rat. sect. 4.* lavandi cupidos; si bis de die laveris, non facile peccabis; etiam

his

his non facile peccabis, si & frequentius sic laveris.

In specie adhuc monere debeo eos, in quibus salutare sanguis evacuationes solemnes sunt, ut sunt hæmorrhoidales in viris ac feminis, menstruales in feminis; ut cædam evacuationes in debito serventur ordine, nec natura ad has tendens excretiones turbetur; circa imminens harum evacuationum tempus pediluviis utantur calidis ac his liberiorem sanguinis cursum procurent & multa incommoda prævertant.

§. XXXI.

Nunc ad pedum vitia venio: in horum affectibus pediluvia cum fructu applicari solent; præcipue ubi laxandum, emolliendum, abstergendum, resolvendum, attrahendum, firmandum, & ubi major ad has partes sanguinis affluxus, & humores in his partibus lentius circulantes ad celeriorem motum instigandi sunt.

In doloribus pedum rheumaticis pediluvia calida, quæ ex formicis & a coriariis petuntur, valde proficua sunt. Angli quidam medici, ut apud Floyerum videre licet, in pedum doloribus rheumaticis pediluvia frigida magni facienda esse censent; quibus confidentur assentio, pediluvia frigida præclara esse remedia contra rheumatismos pedum; magis tamen præservativa, quam curativa; quia frigida, roborando tonum harum partium, impediunt, ne peccans in partem debilitatam humor irruere valeat.

In

In ipsa podagræ dolorifica invasione, qua quæ vehementi febre stipata est, pediluvia emollientia necessaria maxime esse remedia, Practicorum plurimis non ignotum est. Hic iterum quidam tam Veterum quam Recentiorum pediluvia frigida suadent; quod vero non facile vellem concedere, quia innumera & deploranda mala accidere inde possunt ægrotantibus.

Quando pedes stuporem & paralysin ex ex terrore contraxerunt, pediluvia penetrantia ex sale gemmæ, aqua calcis vivæ, & sulphure facta, præmissis prius acrioribus frictionibus ad majorem sensibilitatem conciliandam, ad sanguinem spiritusque animales avocandos, multam opem tulerunt.

In pedum paralyticorum immobilitate pediluvia, ad quæ formicarum chrysalides nidusque *totus recipiuntur*, utilissima deprehensa sunt.

Pediluvia vero vinaceorum in paralysi a causa frigida & perspirabili retroacto orta, bonum ediderunt effectum.

§. XXXII.

Ad alia pedum mala progredior, nempe ad pedes congelatos. Ut vero intelligatur, quid in congelatione membrorum accidat, sequentia præmittenda esse judicavi.

Homo sanus in sua consueta tranquilitate, vel motu sedatiori, perspirat aqueum, vix in indusio visibilem, humorem: currat idem valide,

vel

vel paullo ſtrenuius laboret, advertet aqueum non amplius in induſio humorem, ſed flavum, ſubolidum (alcaleſcentem;) ſi ulterius continuaverit, experietur materiæ exhalantis fœtorem ab oleis & ſalibus attritis & in levia ſaltem putredinis inchoamenta exaltatis.

Magnus HALLERUS ſalis cryſtallulos in induſiis hominum, in fabricis vitriariis laborantium, detexit; in ſudore cubulos ſalis marini detexit TRONCHIN: dorſum manus in æſtate manifeſte ſalſum linguæ imprimit ſaporem, & excoriationes varias non ſolum ab attritu, ſed & a ſalſo ſudore rodente enaſci, tenendum.

Sudor multorum hominum adeo fœtidus, oleoſis particulis debetur, acribus miſtis, etſi non ægrotent.

Si nunc tempore brumali hæ partes ſalinæ noſtrorum humorum aquoſis congelatis adunentur in maſſulas majores; ſi præterea forte ſpicula aëre advecta & congelationem promoventia ſimul in parte congelata hæreant infixa; tunc pars in majorem extendetur molem, rubebit, calebit, dolebit. Ubi pedes jam tale malum contraxerunt, optime conſuliter, ſi affecti, frictionibus aſpero panno antea inſtitutis, pedes in frigidum pediluvium inmittantur: id monachis ordinum diſcalceatorum, qui per ſæviſſimam etiam hyemem denudatis pedibus incedunt, ſolemne eſt, ut veſperi in vas ligneum, aqua frigida plenum, pedes reponant, ſicque omnem noxam, quam frigus alias inferret, facile avertunt.

Ubi

Ubi homo hoc in casu magno foco, vel calidissimo hypocausto, se exponit, quo probe calefiat, oritur pessimus sphacelus; agitatis nempe spiculis & salibus, sua vasa destruentibus. An spicula dentur frigorifica? Physicis discutiendum relinquo.

Artubus gelu adustis non admovendum illico esse calorem, ni gangrænam velimus accersere, illico dixi; manifestam autem hujus eventus instantiam præbent poma frigore adstricta, in cubiculo calido mox macnlis corruptionis notanda, injectione in aquam frigidam curanda. Caro in frigido aëre diu servatur incorrupta; mox ubi regelavit, incipit in tabi speciem defluere.

§. XXXIII.

Bajulis varices prægrandes suboriri solent in cruribus; sanguinis nempe motu ob femorum & crurum musculos nimis distentos, ad superiora retardato; unde fit, ut venarum in valvulis dilatatio contingat: his pediluvia virtutem præstant eximiam, præsertim si frictones simul ab inferioribus versus superiora instituantur.

Piscatores, qui in aquis fluvialibus & locis paluſtribus piscationem exercent, ulcera pedum sordida sæpius acquirentes, pediluviis compositis ex classe exsiccantium remediorum, bonum semper acquirunt levamen.

Balnea ex plantis antiscorbuticis aquæ infusis cum effectu recipiuntur, si maculæ scorbuticæ externam corporis superficiem deturpent;

sic

ſic enim extravaſata ſub cute aliquida, quæ has maculas faciunt, diſſipabuntur. Quum autem crura ſæpe talibus maculis purpureis afficiantur, commendantur imprimis pediluvia; quorum variæ formulæ, ex remediis in materia medica recenſitis, parari poſſunt.

§. XXXIV.

Tumores pedum oëdematoſi tuto reſolvuntur per pediluvia ex lixiviis & aqua calcis vivæ; quibus incoqui ſolent herbæ aromaticæ, ſub finem addendo vinum; vulgus quidem his in tumoribus ſuſpecta habet pediluvia, aeſt aqua fibras integumentorum nimis laxaret, ac lymphæ & peccanti materiæ ampliorem, pararet locum; aſt reſolventia cum aromaticis, roborantibus, vino &c. firmant potius roborantque fibrarum tonum & affluxui impetuoſiori renixum præbent; refluxum autem juvant ac per transſpirationem & ſudorem aquam ſtagnantem educunt, idque eo citius efficient, ſi frictiones ſiccæ ſimul adhibeantur.

§. XXXV.

Anchyloſis, articulum pedis occupans, & a cauſis ſmegma Haverſianum in articulo augentibus, inſpiſſantibus, ortum ducens, ſolvitur frictionibus repetitis & pediluviis ex herbis aromaticis, penetrantiſſimis; ut ſunt ruta, ſcordium, alliaria, abſinthium, raphanus, cicuta, marum verum &c. addito ſale ammoniaco. Balneum pedum ex ſulphure cum calce viva paratum efficax quoque eſt remedium: ſub finem, ad priſtinæ partis debilitatæ robur conciliandum, pediluvia ex lacte ſaturnino parato applicanda erunt.

§. XXXVI.

Notiſſima omnibus res eſt, pediluvia clavos pedum & unguium excreſcentias præternaturales ac dolorificas, callos, cornea etiam duritie præditos, emollire eorumque dolores ſedare.

Frequentia pediluvia, quæ ſulphur, alumen, & herbæ variæ antiſepticæ ingrediuntur, contra fœtorem pedum moleſtum laudantur a plurimis.

Itinerantibus tepida pediluvia incommodum laſſitudinis ſenſum pedibus auferre, gravantes tenſiones lenire, fibrarum tonum reſtituere, quilibet probe noſcet, qui aliquoties iter pedes peregit; hæc mihi videtur fuiſſe cauſa, quod HECTORI, ex prælio redeunti, calidum balneum paratum fuerit, ut legi poteſt apud HOMERUM *Iliad. X.*

Quandoque præternaturalis pedum mollities apud non paucos obſervatur homines; hanc balnea pedum frigida ex ſulphure, alumine, vitriolo, ſale gemmæ, præparata corrigere poſſe, notatum habetur apud *Petr.* FORESTUM, *Jucob.* HOLLRIUM, FERNELIUM, *Fabric.* HILDANUM, *Thomam* BARTHOLINUM &c.

Atque hæc ſunt ea, quæ tum ex variis Authoribus, quos ſtudiorum meorum tempore, partim ob delectamentum, partim ob neceſſitatem, legi, tum proprio ex ingenio compoſui; TUUM jam eſt, L. B., judicare, quid Medicinæ Studioſi humeri valeant, quid ferre recuſent; ſi quidam ex hactenis enarratis in TE redundaverit fructus, lætus mihi gratulabor, me conſequutum fuiſſe id quod rerum omnium vocatur finis.

VI.

VI.

CASTULUS FRANCKE,
ORD. FF. MISERICORD.

DISSERTATIO

SISTENS

PERSPIRABILE SANCTORIANUM SUPPRESSUM RURICOLIS PRÆ CÆTERIS INFESTUM.

1784.

§. I.

Materia perſpirabilis eſt excrementum tertiæ concoctionis, ſeu ultimæ aſſumptorum elaborationis.

§. II.

Hæc ſubtiliſſimi ſpecie effluvii ab omni puncto tam cavitatum internarum, quam externæ corporis ſuperficiei exhalans conſtanti majorum traditione in perpetuam Sanctorii memoriam perſpirabile Sanctorianum nuncupatur.

§. III.

§. III.

Id gemino constare principio, phænomena persuadent: uno aqueo: quod nebulis, quæ hyme glomerantur ab ore; & roscido, quo specula, metalla, marmora, aliaque densa & polita afflantur corpora, pallore, aut animalium sudore æstate fit conspicuum.

§. IV.

Altero: singularis naturæ, ob subtilitatem & volatilitatem haud facile determinandæ; quod recentiorum quidam solius aëris phlogistici sub nomine intelligunt; sed rectius inutiles materiæ nutritiæ, oleo, terra, sale, tenuissimis conflatas dixeris exuvias; quod odorisequi canes amica sui domini ac inimica ferarum vestigia scrutantes, septica athmosphæræ eodem contaminatæ indoles, & contagia inspiratione, vel contactu communicata produnt.

§. V.

Hoc igitur externo afflatu, cum adeo sit noxium: quidni etiam in corpore retentum inquilinis damnis sit metuendum: dum alterum, aqueum, præcedentis vehiculum, sensuum externorum organis, & internæ corporis superficiei humectandis est necessarium?

§. VI.

Sanctorius, cui æquissimo teste Boerhavio inventi, & perfecti hujus dogmatis gloria debetur,

tur, ſæculo ſuo heroicum ſpecimen daturus, corpus ſuum triginta annorum patientia ſex rerum non naturalium effectus experiundo, & ad ſtateram determinando exercuit.

§. VII.

Qua ingenua adverſus ſemetipſum ſeveritate poſteris inſigne ſanitatis tuendæ, longævitatis aſſequendæ, morborumque prompte profligandorum, aut certe in herba jugulandorum amuſſim fundavit.

§. VIII.

Plurimi & maximi medicinæ proceres ab auctoris ævo in hanc uſque ætatem hanc doctrinæ partem dignis ſuis ſuffragiis illuſtrarunt, quos referre longum ac prope inutile foret.

§. IX.

Omnium inſtar ſit magnus Boerhavius, qui antiquum medicinæ chaos digeſſit, & in perniciem generis humani palantes ſine lege ſectas in unitatem revocavit, ac dignus tanto Magiſtro diſcipulus, Illuſtriſſimus Swietenius, qui Boerhavii ſcholam ad nos perduxit, ſuſtinuit, propagavit.

§. X.

Plures duntaxat ſparſim præclarum hoc argumentum verſarunt, quos inter nominari digniſſimus Baglivus.

§. XI.

§. XI.

Alii assiduis & pulcherrimis experimentis id comprobarunt, ad quos lectorem doctrinæ hujus avidum relego; cum mihi propositum non sit scribendi commentarium, cui scopo alioquin ab omni parte est satisfactum.

§. XII.

Præcipui scriptores de perspiratione insensibili sunt: Clar. Kaaw in Hollandia, qui eam anatomice illustravit: de Gorter in Belgio: Robinson in Hybernia: sub æquatore Linings: Dodartus in Galliis: & recentissime Clar. Home in Anglia: ubi & Clar. Keilius his omnibus prior unicus hucusque auctoris æmulus experimenta statica repetiit, quæ, si eadem patientia infracta continuasset, procul dubio cum auctore de palma certasset; sed ignoscendum est strenuissimo Viro, nec inconstantiæ propterea arguendo.

§. XIII.

Unicuique certe medicinam staticam experiri in se ipso molestissimum, in aliis ut plurimum impossibile foret, ut Sanctorii ponderatio in praxi communi vix habeat locum.

§. XIV.

Sanctorius tamen ad Herculeum hunc laborem natus, theoria alios imbuens, novæ suo sæculo praxeos in proprio corpore fundamenta jecit, varia & contraria sæpe vivendi methodo;

nunc

nunc Pythagoræ abſtinentiam,, mox Heliogabali ingluviem imitatus, æſtum, frigus, vigilias, & omnem rerum varietatem expertus, propriæ longævitatis incurius, omnibus aliis ſanitatis, longævitatis, & morborum curandorum regulas ſolidas condidit, ut ſtatera jam non egeamus.

§. XV.

Præcipue cum ex altera parte venerandi florentis nunc artis Hippocraticæ reſtauratores Boerhavius, & Sydenhamus, ſanæ Phyſices, & experientiæ bilances in Academiis noſtris ſuſpenderint.

§. XVI.

Hoc tamen Sanctorii decus haud limitat, quod magnis Viris in commune mortalium bonum ſymbolam conferentibus jus gloriæ ſit in totum.

§. XVII.

Etſi etiam fuſius referente Cel. Kaav jam Hippocrates obſervarit: quod homo ſit exſpirans per univerſum corpus: id æque parum Sanctorii, ac alterum Harvæi meritis derogat, quod idem medicinæ Parens circuli ſanguinei meminerit.

§. XVIII.

Nec ideo parvi pendenda auctoris doctrina 5/8 partes materiæ perſpirabilis circiter æſtimans, quod Clar. ejusdem imitatores ſæpe longe inferiorem calculum invenerint, quod ipſe auctor Sect. I. Aphor. VII. innuit, ubi ait: *Quantitas tran-*

transpirationis insensibilis aliquam varietatem patitur pro varietate naturæ, regionis, temporis, ætatis, morborum, ciborum, & aliarum rerum non naturalium.

§. XIX.

Quare jam regiam naturæ viam regulis Sanctorianis, quasi totidem lapidibus signatam novimus; qua non modo natura conservatrix & optima sanitatis custos naturali quadam in dies crisi nociturum secus perspirabile excrementum occultis amandat modis; sed etiam natura medicatrix tam ab externis, quam internis causis natos morbos persæpe cito, & sine tumultu, facillimisque crisibus e corpore propellit, artique ministræ suæ exemplar statuit; quod oporteat imitari.

§. XX.

Hanc viam mihi sæpius furi, quam domesticis in nosocomiis, quod maluissem, aliena muneris ratio observandi copiam fecit: unde inauguralis dissertationis argumentum visum fuit mutuari.

§. XXI.

Miserandos rucricolas protoparentum culpam ad litteram portantes, ac in sudore vultus atro, ac duro pane vescentes, morbis a perspicabili suppresso præ cæteris investari neminem fere autumo, qui ambigat: si pependerit afflictum hoc genus hominum a primo crepusculo diei ad seram noctem, per solidum fere annum vix aliquot mensibus exceptis (dum sub tacitarum

rum aquarum *) vellere ipsa tellus fessa dormitat quasi substragulis) variis tempestatis vicibus vexari, multiplicibus, durisque laborum modis atteri; ante diluculum primo vere mordaci pruina æstare, & sub meridiem excoquente, sirio aduri; squallere vaporoso athmosphæræ balneo; manare sudoribus; intus sitibunda viscera, aut damnorum inscia, aut præ sitis atrocitate incuria gelido saepe torrente feriri; extus haud raro praecipiti grandine, aut imbribus obrui, & mutata repente athmosphæræ in contraria temperie inhorrescere; immiti borea perflari, aut sponte & inconsulte quæsito refrigerio lædi; cœna tandem larga, tenaci, farinacea, pinqui, imperspirabili infarciri; paucarum horarum somno coctioni vix sufficiente uti, & hoc super roscido, frigidoque cespite, quod imprimis pastoribus in suam perniciem familiare est, seu saltem sub tectis, vel in horreis auræ perviis, quorum noxas Sanctor. Sect. II. Aphoris. 36. memorat, ubi ait: *Dormitio æstiva detecta corpore, vel sub dio, magna ex parte disponit ad putredinem, prohibendo perspirationem: & Sect. II. Aphor. 40. in noctibus æstivis corpora ad febrem dispanuntur, ob aeris varietatem &c.*

§. XXII.

Etsi passim agricolæ labore firmata credantur habere corpora, quot tamen pereunt, priusquam indurescant? præcipue, dum, quod lugens vidi, incongrua tractantur methodo, quod & Sanctor. Sect. I. Aphor. 61. queritur; *ut quid*

*) Nempe sub nivibus.

noſtratum plurimi in omni ægritudine ſolum per alvum, & per urinam evacuandum ſibi proponunt, & de inſenſibili perſpiratione vix cogitant.

§. XXIII.

Oppido frequentius, nulliusque anni tempore, quam autumni amantius, novi huic accidiſſe plebeculæ certum genus febrium, quod initio ad certam claſſem haud retuleris, etſi ad continuarum remittentium familiam accedere videretur, & ſenſim in putridas ſaburrales tendere conſueverit.

§. XXIV.

Frequentiſſimam tamen eſſe didici illam dyſenteriæ ſpeciem, quam Clar. Stollius ſimplicem vocat, quæ utut mitior, parvulis tamen ſæpe funeſta fuit; ac in adultis non raro putridam, reliquaſque pediſſequas habuit ſpecies: vidi puerum ex dyſenteria tumidum, rupto abdomine vivum putrido diffluxiſſe tabo. Hanc pluribus annis in variis Auſtriæ finibus, præcipue iis, qui Moraviæ adjacent, obſervavi, ubi ultra ſexennium inter ruſticos collector commorabar.

§. XXV.

Hæc dyſenteriæ ſpecies, etſi veris conſortium non penitus averſaretur, ſingularius tamen afficiebatur autumno, qui ejus ingenio plenius præparata corpora, utpote ſuperius enumeratas vices paſſa, aptabat ſibi propria tempeſtatis varietate, ſymbolam conferendo, humiditate & fri-

frigore perſpirabile ſupprimendo. Quod innuit Sanctor. Sect. II. Aphor. 41. his verbis : *Ab æquinoctio autumnali ad ſolſtitium hyemale qualibet die minus libra circiter perſpiramus.* Et ejusdem Sect. Aphor. 42. *Autumnus inſalubris, tum quia perſpiratio a ſuperoeniente frigore prohiberi ſolet, tum quia, quod diffllari prohibetur, acre & mordax ſit.*

§. XXVI.

Quid nunc his perpenſis divinatur, & quaſi a priori demonſtratu luculentius, quam morbos ſequi tot cauſis in unum effectum, materiæ nempe perſpirabilis ſuppreſſionem conjuratis? morbos quidem non unius generis, ſed multiplices, prope dicam innumeros, ſub quibus perſpirabile ſuppreſſum Protheum ludit, non quibuscunque, ſed certis, propriis, & iisdem armis delarvandum.

§. XXVII.

Hoc magnorum Virorum noſtri ævi, quorum plurimis Vindobona ſuperbit, characteriſticum eſt: morbos nempe non tam in ſe ipſis, ſeu nominatenus; quam in individuis ſuis cauſis noſſe, & curare, qui quemadmodum infiniti ab una cauſa, ita & unus morbus ab infinitis cauſis, ortum trahunt.

§. XXVIII.

Hoc maximi viri Boerhavius, & Sydenhamus cunctis promulgarunt, hoc Clar. Stollius ad lectos ægrorum nobis ſerio inculcavit, a quo

vel latum unguem recedere in hac oppella mihi piaculo ducerem.

§. XXIX.

Cum tamen ex propria idea, quam mihi ex ſyſtematis Sanctoriani perveſtigatione comparavi, & meis adaptavi obſervatiunculis; non quidem via practica, quod mihi tunc non licuit, ſuſceptis, ſed quaſi per tranſennam, ut præceps occaſio, & mora brevis, qua alio, atque alio vocabar, ferebant, utque neceſſitas, charitasque imperabant, methodo innocua per remedia ruri ubique parabilia, ut ajunt, domeſtica, pauca, ſimpliciſſimaque, utplurimum diætetica: cum, inquam, ex hac idea ſcribere decreverim: vereor, ne alicubi propoſiti, officiique immemor comperiar; quod ſi forte, ut non opinor, irrepſiſſe viſum fuerit in primo hoc ſpecimine hominis in ſcribendo hactenus parum exercitati, cui pronum eſt ceſpitare, id præter intentionem factum accipi velim.

§. XXX.

Qua fiducia fretus jam ordine morbos ruri mihi viſos attingam: priora duo tempora tantum obiter percurram: æſtati & autumno immoraturus: ab hyeme, quæ finem, & principium duorum ſuccedentium annorum nectit, ordiar.

§. XXXI.

Quamquam indefeſſa plebs ruſtica neque hac tempeſtate, quam nutrix hominum natura tum pro-

propriæ, cum operariorum quieti videtur deſtituaſſe, *laborum feriis fruatur*; ſed plurimum temporis in ſylvis, viri ligna cædendo, ac transvehendo fœminæ virgulta, & arborum cortices colligendo tranſigant; ſanitate nihilominus utcunque bona utuntur, paucis hinc inde exceptis, quos juxta morem temporis morbi inflammatorii pleuræ, & pulmonum topici proſternunt: nonnulli etiam tam ex pravis prægreſſi autumni reliquiis, quam brumæ præſentis conſpirantibus injuriis, febribus inflammatorio-putridis ſuccumbunt.

§. XXXII.

Major eſt eorum numerus, qui vitia chronica corpore cachectico circumferunt; febres quartanas, ſeu alias irregulares cum viſcerum abdominalium duritie; hydropes varios, præcipue thoracis, & univerſæ celluloſæ anaſarca dictos; aſthmata, œdemata, ulcera cacoethe crurum; arthritides, anchyloſesque.

§. XXXIII.

Ver paſſim ruriculis optatum & ſalubre, vix ullam mihi ſcribendi ſuppeditat materiem: quamvis minime ignorem, neque illud ſemper ſtragibus epidemicis carere, quarum tamen nullam, duodecim circiter annorum curſu, Auſtriæ plagas mihi pervaganti reminiſcor occurriſſe hoc tempore ſolis fort phthiſicis exitioſo: ſi quid me vidiſſe recte memini, erant opthalmiæ, eryſipelata, aliaque fugacis phlogoſeos ſymptomata.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Epidemia anni 71, & 72. erat ſtationaria, non vitio hujus temporis nata, & quantum ſcio, etſi civitates gravi clade afficeret, Auſtriæ pagis ſaltem ibi gentium, ubi verſabar, vix cognita: quæ inter ruſticos Bohemiæ tunc ferociebat, pariter non erat ex vitio temporis, ſed annonæ caritate.

§. XXXV.

Æſtas emacians, & diſſipando fluidum nerveum enervans laborioſa ruſticorum corpora plurimum, licet calore moderato, & ſine violentis exercitiis perſpirationem adjuvet, nimio tamen, & cum validis laboribus concurrente, eandem ſupprimit: juxta Sect. II. Aphor. 27. ubi ait: *Æſtate calore vexamur. non primo & per ſe propter aeris caliditatem, quælibet enim corporis pars eſt* aere *æſtivo calidior; ſed quia in aere æſtivo non eſt tanta frigiditas, ut naturalis calor ſufficienter concentretur, quo fit, ut ita diffuſus, minus poſſit perſpirabile ſua natura calidum inſenſibiliter excernere* &c. Sed ſalva ratione hac aſſignata, mihi videntur adhuc aliæ duæ cauſæ hujus ex calore nimio ſuppreſſionis, nempe jactura fluidi nervei, qua deficiunt vires vitæ, quarum eſt amoliri, quod naturæ alienum eſt: altera cauſa eſt ob diffiationem liquidiſſimorum natus vehiculi defectus, quo conſuevit perſpirabile ex corpore noſtro elui.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Quæ fuppreſſio promovetur maxime, dum ſeſe caloris, frigorisve vices exceperint, quas crebro hanc anni partem infeſtantes tempeſtatum nimbi afferunt, ut Sectio II. Aphor. 18. docet: *Si corpora derepente transferuntur ab aere calido in frigidum, læduntur, quia redduntur majoris ponderis, quam par ſit; a frigido in calidum læduntur, fiunt enim minoris roboris.*

§. XXXVII.

Unde infinitorum ſemina morborum, diſpoſitionem in putredinem, & cachexiam afferentia redundant, quod iterum Sanctor. Sect. II. Aph. 9. manifeſte docet: ubi ait: *Si aeri æſtivo frigus ſuperveniat, ſuppoſita eadem bibendi libertate, tertiam partem circirer perſpirationis exire prohibet. Quæ niſi fiat ſenſibilis, facile ad putredinem vel cachexiam diſponit.* Item Sect. I, Aph. 40. *Natura dum in perſpirandi officio eſt impedita, incipit ſtatim in multis deficere.*

§. XXXVIII.

Quocirca febrium bilioſarum, & putridarum, quarum æſtas adeo ferax eſt, natales mihi videor poſſe aſſequi; dum materia perſpirabilis, quam Sanctorius quinque librarum circiter æſtimat; quæ quantitas in ruſtico haud nimia ſit, quippe qui, licet ejus prandium caſeo & pane ſolis ſæpe conſtet, ſolido tamen jentaculo, pinquique cœna repletur.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Dum inquam materia hæc perſpicabilis ſuppreſſa, utpote excrementia, repetitis circulationibus acrior, in ſyſtemate venæ portarum, & bilioſi humoris officina eundem ad corruptelam alioquin pronum, in fœdus rapit, iterumque cum pravo ſocio nocentior circulum ſubit, & partem humorum ſinceram trahit, quid aliud, quam maſſæ univerſæ depravationem, cacochymiam bilioſam, putridam, malum habitum, febres ſimiles, & infinita alia inde pullulantia exſpectem? Si vero molimine naturæ ſeu vitæ viribus eidem malo hoſpiti una cum ſocio fors nondum adultis mora & vagandi licentia præſcindatur, quo tandem receptui canent? Utique eo, ubi minor eſt reſiſtentia; minor autem eſt reſiſtentia in cavitatum internarum ſuperficie perſpirabili, dum per ſuperficiem externam præcluſus eſt exitus; igitur in ventriculum vel inteſtina fugam maturabunt; ſi primum, materiæ turgentis ſurſum, ſi ſecundum, deorſum molientis exitum ſymptomata parient, & diarhæam bilioſam, putridam, pro vario degenerationis gradu; aut ſi acri ſtimulo roſerint, dejectiones torminoſas, dyſenterias nempe ſimiles ſuſcitabunt, tunc vel maxime, dum turbata, & depravata ſimul officina bilifera per ductum choledochum ſymbolam contulerit. Unde denuo, ſi copiæ exceſſus ventriculum fors aliunde turgente materia gravatum, regurgitando invaſerit; ſuſdeque movebuntur omnia terribili choleræ impetu.

§. XL.

§. XL.

En! quomodo jam magni Boerhavii oraculum pateſcat, dum inter cauſas cholerae primarias fervidum Auguſto menſe cœlum numerat.

§. XLI.

Scilicet ſummo æſtu, qui huic menſi familiaris eſt, difflantur liquidiſſima, inſpiſſantur reliqua, & confeſtim duplex cauſa ſuppreſſi perſpirabilis, ut ſupra monui, ſiſtitur: nempe labefactatum vitæ robur jam impotens foras amandandi, quod alienum eſt, & defectus vehiculi, quo opus eſt, ut excrementitium perſpirabile eluatur.

§. XLII.

Si præterea (quod pariter Auguſto ſolemne eſt, & nuperrimæ viciſſitudinis exemplo innotuit, quæ a 7. Auguſti uſque ad 14. ejusdem pluvias, ventos & penetrabile frigus poſt ſe reliquerat) ſummum calorem fulminum interventu e diametro oppoſita auræ conditio exceperit: ſane neceſſe eſt, perſpirabilis ſuppreſſi effectus tanto notabiliores ſuboriri.

§. XLIII.

Equidem non inficior, notabilem ejus perſpirabilis ſuppreſſi partem bonitate naturæ, vel auxilio artis, antequam conſpicuas ſinceris humoribus noxas inferat, per diarhæam aquoſam, & renum vias ſæpe eliminari; ſed hæ viæ non

ſunt

ſunt illi naturales; quemadmodum viæ cutaneæ non ſunt naturales aliis excretionibus, quod exemplo iſchuriæ ſpuriæ conſtat; quæ nequicquam patulis viis cutaneis acrem lotii laticem tenerrimis encephali vaſculis impingens poſt horrenda ſymptomata mortem affert. II. Materia perſpirabilis ſuperat omnes alias excretiones, quod fideles Sanctorii obſervationes ac non inrerruptus ejus fluxus ab omni puncto latiſſimæ corporis ſuperficiei perſuadent: ergo viæ aliarum excretionum ejus copiæ non ſunt proportionatæ. III. Uſus materiæ perſpirabilis ſimul eſt, ut organa ſenſuum externorum, oculorum tunicas, narium, aurium, oris, linguæ &c. & organi tactus membranas, earumque papillas nerveas humectet, & aptet impreſſionibus objectorum percipiendis: ergo non debet derivari. IV. Quo magis derivatur ad vias alias, tanto magis ſubprimitur, vaſcula exhalantia non diſtenta collabuntur, non irrigata exſiccantur, corrugantur; interim in dies nova ejus copia gignitur, repetitis circulationibus, ut ſupra monui, fit acrior, maſſam humorum corrumpit, vires acquirit eundo, & non raro, dum per vias renum, aut ſuperficiem ventriculi, & inteſtinorum perſpirabilem non invenit exitum, unitis viribus cuneum agit in partem, quamcunque invenerit debiliorem; & metaſtaſes ciebit externis vel internis partibus; vel effundet laticem in cavum peritonæi, thoracis &c. unde hydropes varii; vel ſævitiem in encephalon vertet peſſimo eventu; vel materiam ſuam acriorem, & fixiorem articulorum ligamentis, perichondrio, perioſtio infiget: unde arthritides, aut muſculorum aponevroſibus, unde rheumatiſmi; aut aliis quibuscunque membra-

branis, unde inflammationes ſpuriæ, & infinita alia.

§. XLIV.

Interim præſcindo ab aliis retentis per alias vias eliminandis, ab omnibus denique, quæ ad ſcopum meum non pertinent: attamen ſimilia, etiam pejora, ac infinita alia patrare poſſunt, ſed vix ſine pediſequa ſaltem ſuppreſſione materiæ perſpirabilis. Leves tamen eſſe univerſim morbos a perſpirabili ſuppreſſo, adduci nequeo, ut credam: Alexander ex Cigno ſemianimis, teſtis ſit!

§. XLV.

Autumnum nunc aggredior, qui ut fructuum durabiliorum varietate, copia, amœnitate commendabilis; ita non minus morborum omnis generis fertilitate deteſtabilis; ut exoptatis replet cellas Bacchi muneribus, & ſitientibus exhilarantes propinat ſpiritus, ita frequenter noſodochia ægris, cæmeteria funeribus cumulat, & multis eripit vitæ ſpiraculum.

§. XLVI.

Hunc pluribus annis didici bonis ruris incolis eſſe funeſtum, uti ſuperius memini: præprimis anno 81. unde ſequentem hiſtoriam hactenus memoria conſervatam deduxi.

Præceſſerat æſtas inſigni calore accenſa, raris interpolata tempeſtatum procellis, præter inſolitam illam, & a memoria hominum vix viſam;

quæ

Pulkaviam, egregium Auſtriæ oppidum, inter deplua ſimul creberrima fulmina præcipiti cataractarum mole demerſerat ad altitudinem aliquot orgiarum, ac inde per ſat longum terrarum tractum damna irreparabilia fecerat.

§. XLVII.

Huic ſuccedebat immitior adhuc in limine autumnus fulmine, grandine, turbine, inundatione variis Auſtriæ plagis horridus; contritis glaciali glande, aut torrente dejectis ſpebus vinitorum, abreptis etiam cerealium faſciculis damnoſus. Hinc frigora, humiditates potentiſſimi perſpirabilis hoſtes laceſſebant alioquin jam animis afflictorum corpora; a quo tempore raro Phœbus amico arriſit lumine; Auſter cum Borea de imperio certabat, cœlum crebris liqueſcebat pluviis. Hæc erat temporis illius facies, ex qua divinare licuit propinquam morborum Iliadam.

§. XLVII.

Nec mora: en! prodit perſonatum morborum genus, modo ſub larva intermittentium diverſarum, quarum aliis rythmo ſuo incedere ſine lege, immorigeraque licentia vagari aliis libuit; illinc ſub lurida cum ſtupore putridarum; hinc ex rubro flavicante febrium biliioſarum facie non pauci viſcebantur: dum alii pallidum pituitoſarum habitum referrent.

§. XLIX.

§. XLIX.

Artus omnibus erant dedolati, horrore intercus perculsi cum calore non magno interno reciproco; pulsus in progressu morbi parvus & celer, præsertim dysentericis; plerisque caput doluit; sitis initio vix ulla, appetitus prostratus, lingua alba, vel albo flava, nauseæ, ructus amari, quibusdam vomitus, pondus ad scrobiculum cordis cum sensu repletionis, ac tumoris: Hoc symptoma plerisque erat constans, sive essent dysenteriæ, seu febres aliæ, etiam intermittentes, hinc nonnulli quoque vomuerunt sponte, sed fugaci levamine; aliis dolores vagi lacerabant artus; sed confertissima eorum classis erat, qui aut diarrhæis assiduis diffluebant, quæ ipsæ tandem in dysenterias demigrabant; aut mox torminosis, & cruentis inter tenesmos irrequietos dejectionibus, pluribus successivis hebdomadis, vel aliquando sat diu interruptis, ad extremam usque maciem, aut pastaceum, & hydropicum tumorem vexabantur.

§. L.

Triste visu! robusta nuper, & callosa agricolarum corpora, modo flaccida, profuso vitæ robore ægre artus, & anheloso pectore languidas spiritus reliquias trahere; fors ægros similes hinc inde visendos mihi obtulit, qui omnia consuetæ ruri methodi molimina per emesim, catharsim, styptica, quandoque & phlebotomen frustra fuissent experti.

§. LI.

§. LI.

Quorum ſortem miſeratus, cum ex præſentis tempeſtatis indole, & ſuperius allatis cauſis non ambigerem: morbos hos, utut diverſimoda facie ludentes, a perſpirabili ſuppreſſo profectos, magno hortatu ſuaſi, ut illico, ac indies, quantum liberet, aut poſſent, de pulte ſambuci cum modico amomi condimento, hoc omiſſo in inflammationis metu, abſumerent, & infuſum ſaturatum florum in potum ordinarium adhiberent: Cum præterea non pauci eorum etiam vomerent, aut nauſeis urgerentur, juſſi flores ab infuſo reſiduo in nodulum colligatos ſcrobiculo cordis admoveri adhuc calidos, & ecce! poſt modicum in ſudores levantes ſolvebantur ægri jam deplorati, & magnis paſſibus ad ſanitatem, cui jam valedixerant, intra triduum tendebant, ut vix quidquam præter vires requirerent.

§. LII.

Qui egregius effectus non longo ante & poſt tempore univerſim pluribus quam triginta in ægris, ac bis in me ipſo, cum iisdem injuriis temporis obnoxius eſſem, eandem curſitando in æſtu ad ſudorum, & virium deliquium prædiſpoſitionem attuliſſem, votis reſpondit, nec referebat morbi ſpeciem ſollicite indagare: profuit febribus obſcurioris ingenii perinde, ac dyſentericis; unde confirmabar, cauſam unicam eſſe ſuppreſſum perſpirabile.

§. LIII.

Erant adhuc alia, quæ dubii removebant locum: obſervatus videlicet ordinariæ methodi minus lætus fructus, quamquam, ſi recte memini, ex adultis haud nimis multi morerentur; multis tamen mala chronica inhæſerunt; plurimos tarda reconvaleſcentia detinuit.

§. LIV.

Subiit quoque ſingulare quoddam phœnomenon idem probans: lenia purgantia viris licet robuſtis in prophylaxim ſumpta movebant hypercatharſin, mirantibus illis, qui ea porrexerant; quod mihi ſic interpretabar: naturam neceſſitate cæteroquin jam coarctatam, viis perſpirabili propriis præcluſis, invitanti ad vias non naturales ſtimulo tanto promptius auſcultare, & magno molimine per aſueta jam urcunque avia ſuæ penui nocivum hoſpitem agere.

§. LV.

Quibus probe convictus, & ſucceſſibus auſpicatis hilaris mihi pennas optabam, quibus promptiſſimum hoc, & ubique copioſum ſalutis remedium in miſeros evulgarem; vel ſaltem eam verborum gravitatem, qua diffidentibus perſuaderem; aut denique eam poteſtatis auctoritatem deſiderabam, qua invitos ad commoda ſua cogerem: ſed his adminiculis carui, & muneris proprii naturandi neceſſitas; ac præcipue metus prudens, ne, dum aliis prodeſſem, Ordini nocerem, limitabant benevolum hocce ſtudium.

§. LVI.

§. LVI.

Quamobrem illis saltem, quos casus objecit, publicum feci obtestans, ut etiam aliis opis indigis commune facerent; idemque elogium, quod Illustrissimus Swietenius melonibus inter æstivos fructus contra criminationes Galeni merito impertitus fuit, sapientiæ divinæ sigillum inde agnoscens, quod eosdem natura summæ Providentiæ vicaria ea tempestate mortalibus funderet, qua difflatis liquidissimis, ac inspissatis reliquis, grato refrigerio calentes, exoptata humiditate tenaces, & penetrabili aromate languidi humores nostri reficerentur. Idem, inquam, elogium sambuco infra dignitatem æstimatæ tanto æquiori titulo, quanto hæc virtute illis dignior contra imperitiam eorum hominum tribui, qui, quod reliquorum fructuum, quos pro more, licet quoque perperam accusarent, penuria esset, non veriti sunt sambuco horum malorum culpam inepte affingere: qua alioquin, quod plurimorum palatis non arrideat, pauclissimi vescuntur, sed volatilibus cœli, præcipue passeribus, & gallinaceo generi in hoc sapientioribus, etsi minus indigis depascendam, & deciduam pedibus conterendam immensam ejus copiam relinquunt, & flocci faciunt, qui folia, quæ ventus rapit, & deciduas Jovis arbore glandes summa sedulitate ex remotis sylvis colligunt. Monui præterea serio, agnoscerent beneficium Optimi Numinis, quod liberalissime domi suæ compendium naturalis pharmaciæ plantasset, quum frequentius alteram, procul dissitam, labore & sumptibus incassum advocassent. Agnoscerent, ajebam, imprimis Austriaci,

ſtriaci, qui, quantum ſcio, præ aliis, quæ luſtravi, regnis, hujus proventu locupletati ſunt: aſt ſimul ex ventoſo, & variabili clymatis ingenio, nec non ex morbis mihi coram obſervatis ſuppreſſioni perſpirabilis magis ſubjecti eſſe apparent, præ cæteris vero ex vini minus defœcati abuſu, & ingluvie morbis articularibus atrociſſimis mulctantur, quibus omnibus præſentiſſimam elyſia ſumbucus panaceam ſuppeditet, nulli noceat, quin & inflammationibus opituletur.

Acquieſce, Benevole Lector, hiſce meis qualibuscunque conatibus. Adæquatas, & ad artis amuſſim exactas ne requiras morborum hiſtorias, jam ſuperius, qua via in obſervandis Rnricolarum morbis inceſſerim, recenſui. Nec videatur tibi anilis ſimpliciſſima medendi ratio: ruriculis, non civibns, aut aliis me feciſſe medicinam memineris, quibns certe accommodatior, & facilius obtinenda vix inveniri potuiſſet.

Ars naturae aemula non quaerit ambages: ubi ducem ſuam adeo ſimplicitati intentam cernit. Splendidus formularum apparatus vel leviſſimis morbis ludibrium fit: ni cauſae proximae cognitio medentem direxerit.

Eſto; igitur videatur anilis, modo profuerit; quin tamen obſtrinxerit me crimine violatae auctoritatis Academicae, quae mihi pro eo tempore praxim medicam juſte interdixerat, & cujus gratia nunc medicus evaſi.

Reflecte pauliſper animum ad argumenti mei ſenſum: ubi aſſerui:

Plurimos morbos ruricolarum maxime æſtivos, & autumnales a perſpirabili ſuppreſſo ortum ducere, et confer cum ſimpliciſſimi remedii effectu: videbis ſane me ſcopum attigiſſe.

Quod erat demonſtrandum.

VII.

FR. XAV. SELTMANN

DISSERTATIO

DE FEBRE NOSOCOMIALI.

1783.

Quodsi ullibi causæ occurrunt corruptelæ aeris, in nosocomiis (nisi peculiares & exactissima habeatur cura) occurrere queunt maximæ. Omnium generum exhalationes ac effluvia hominum, morbis diversissimis, vulneribus, ulceribus, gangrænosis, cancrosis plagis laborantium, fæcum alvinarum illorum magnæ, qua vel nonnulli, vel omnes utuntur, remediorum copiæ, abs dubio inficere queunt atmosphæram nosocomii graviter; sæpe sæpius etiam infectiones tales occiderunt, & omni sane tempore tristia inde adnotata fuerunt fata. In nosocomio quodam gravidæ omnes patiebantur abortum, cum gravissimis symptomatibus; deprehensum demum fuit, rationem mali inde nasci, quod cubiculum illarum cubiculo ægrorum insisteret; translatis illis in alium

locum, abortuum ſuppreſſa ſævities. In noſocomio Pariſienſi *Hotel DIEU* inter bis mille ægros maximam partem ſexaginta tantummodo cum ſanitate in gratiam redierunt, uti *Cl. Plumptree Int. Hallero* Londini retulit; in quibus autem paracenteſis fiebat encephali, moriebantur omnes. Notum eſt de alio noſocomio, curatos eſſe occumbentes, queis adminiſtrata lithotomia. Ab his locis orta etymologia *noſocomialis* in genere à *febri carcerum* magnam partem non adeo diverſæ, etſi quidem periculoſior ipſa febri carcerum evadere queat.

Cel. Pringle monuit, febrim noſocomialem morbum eſſe omnium peſſimum, qui in exercitu accidere queat. *) In æymologia morbi primum locum tenent: aër incarceratus, exhalationes putridæ impurorum, & ægris (imprimis dyſentericis, aut gangrænoſis) repletiſſimorum noſocomiorum, tentoriorum, aut navium tranvectoriarum. Obſervavit *Cel. Pringle* naves noſocomiales militares, dum in provinciis procul diſſitis gerebatur bellum, pro ægris æque ac aliis eos concomitantibus nunquam non fuiſſe noxios, & febrem noſocomialem inde etiam ortam, quod tempeſtate procelloſa homines diu nimis navi forent incluſi, aut nimis multi in navi præſentes.

Car-

*) Conſulto hic hiſtoriam ſolum morbi hujus exhibeo in compendio, nec medendi methodum, nec ſectiones cadaverum febri noſocomiali defunctorum adjunxi.

Carceribus infixi ac in iis febri carcerum correpti contagium dein, dimissi liberi, secum tulerunt, magnamque aliorum sanorum copiam infecerunt. Referendæ huc insuper exhalationes fæcum, corporumque morbis chirurgicis inprimis adfectorum: in nosocomio anglico orta est febris nosocomialis, quod militis crus infectum foret gangræna, quod & sæpius observatum fuit vero consentaneum. Tentoriis nimium angustis haud raro idem morbus productus.

Contagium febris hujus enorme est. Vidit *Barrere* in nosocomio militari ex aëre infecto vix non omnes tumores, dum scindebantur, gangræna lethali fuisse correptos; emerserunt ægri ex hoc periculo, quamprimum in alium transferebantur locum. Nota est *Reynolds* ob insufficientem segregationem ægrorum maximam partem Classiariorum ægrotasse, quod una cum ægris in angusto nimis noctuque clauso loco dormirent; dum ex opposito alii permanebant sani, qui vicinam ægrorum evitabant, ac lectos suos pensiles in sublimioribus ac aëri libero perviis adfigebant locis; & tentoriis sub quibus magna ægrorum copia febri nosocomiali adfectorum jacuerat, sartor, cui tentoria hæc reparanda fuerunt tradita, una cum viginti tribus sociis eadem febri inficiebantur, & septemdecim omnino horum letho rapti.

Infectio hæc eo facilius admitti valet, si respiciamus ad contagium pestiferum aliorumve morborum malignorum. Funes pestis tempore adhibiti, ultra 20. annos abjecti, tumque demum ex angulo protracti, pestim ipsam denuo excitarunt.

runt. — In Anglia veſpillo aperuit ſepulcrum, in quo ante triginta annos vir variolis defunctus fuerat reconditus: fracto ſarcophagi operculo fætor illico prorupit magnus. Intra paucos dies quatordecim ex iis, qui adfuerant, variolis laborabant, omnesque morbum nondum paſſi, ægrotabant, binis unice exceptis. Notatu inprimis dignum eſt, variolas inde in omnes penetraſſe urbes, ex quibus homines ſepulturæ interfuerant. —

Retulit *Cl. Cherat*, anno 1714. Budæ peſtem, per annum integrum jam ſilentem, fuiſſe excitatam, quod murarius, qui anno præcedente linteum ſanie ex bubone proprii corporis peſtifera madens, intra murum domus ſuæ defoderat, ac oſtium clavo majori ligneo recluſerat, anno ante dicto, domum dealbans, ſtatum lintei hujus viſurus, clavum extraheret; quo facto ipſe cum familia ſua mox peſte correptus, omnesque eadem mortui, etſi domum hanc morbus non egrederetur. Eundem effectum obſervavit ortum a pulvinari non ſatis aere libero depurato. —

In peſte magna vindobonenſi A. 1679. uti refert, *P. Fuhrmann in Deſcript. Vindobonæ*, Vir nobilis ambulabat circa urbem, aerem liberum reſpiraturus, obviam illi factus mendicus, elemoſynam rogans, dedit dominus, confeſtimque ulterius progreſſus. Vidit mendicus, excidiſſe benefactori ſuo litteras, ſuſtulit has, dominum revocavit, eique tradidit. Vir non illico jam percepit horrorem inſolitum, atque paullo poſt litteris his, ab infecto peſte mendico acceptis pariter infectus, vitam cum morte commutavit.

Non

Non abs ratione ratus fuit *Cel. Cherot* peſtis fomitem diutiſſime, quin & per ſæcula vires ſuas retinere poſſe, dummodo interea temporis in loco quodam recluſus fuerit, indeque nunc denuo protrahatur.

Solus fætor ulceris cancroſi, quod mammam feminæ maritatæ corroſerat, referente *Harris*, ad mortem uſque permanſit, & auctori non incelebri *Franc. Bellingero* rapuit vitam.

Narrat *Büchner* halitu ingratiſſimo puellæ rachiticæ necatam fuiſſe volucrem. —

Notum eſt, *Ill. Hallerus* ait, muſcas cubiculorum reſpirio phthiſicorum fuiſſe necatos; huic per halitum Rex familiæ Mahometanæ *Abdelmelik* cognomen ſuum debuit.

Dum anno 1770. contagium peſtiferum in diſtrictu Ukrainienſi maxime regnabat, Judæus dives ex urbe Jaſſy Sniatynum aufugiebat; quum vero recipere eum nemo volebat, coactus erat, ut in ſilva 1/4 miliaris Sniatino diſtante, Oeconomiam ſuam temporariam conſtitueret. Defodit inibi & pecuniam ſuam & libras quasdam coralliorum rubrorum, quorum utrumque peſte jam infectum erat. Paucis diebus elapſis peſtis ipſa familiam hanc totam corripuit acerbius omnesque, unico ſolum excepto, famulo, ea necati. Peſtem metuens in ſylvam ulterius progreſſus hic fuit, ibi vero à militibus abductus. Vere anni 1772. occaſionem habuit auffugiendi: Sylvam petiit, oſſa mortuorum hinc inde ſparſa, & vaſa aureis repleta immutata deprehendit,

partem coralliorum vendidit Judæo alteri, quosdamque aureos permutari curavit. Post dies sex Judæus, cum undecim hominibus aliis ægrotavit, omnesque repente mortui. Combusta domus cum hominibus aliquot vivis, eidem adhuc, inhærentibus. His tamen non obstantibus morbus mediantibus aureis jam latius progressus, ac intra triduum in pluribus domibus ejus occurrebant vestigia. Factum id 14. Maji, 21 autem jam per binas urbis extremitates, ac in pagis vicinis proscripsit.

Retulit *Cl. Kirchpatrik*: instantiam morbi lethalis cum fœtore non interrupto abominabili conjuncti, & ab exhalatione cadaveris enati. Sufficiant hæc circa infectionem & contagium.

Symptomata (quorum descriptionem ex *Ill. Pringle* ceu præcipuo hac de re historico, potissimum seligam) si morbus paullatim ingruat, sub initium constituuntur parvis vicissitudinibus caloris & frigoris; tremore manuum; sensu stuporis in brachiis; debilitate artuum; adpetitu prostrato; æstu corporis; somno interrupto, nec reficiente; dolore circa sinciput; perturbatione idearum; pulsu celeri; (linqua alba est, sitis tamen non magna) & dejectione virium. Quodsi febris cito augeatur, symptomata omnia multo graviora; accedit & lassitudo universalis, nausea, dolor rhachidis, dolor etiam magis perseverans & perturbatio capitis, tristitia melancholica. Pulsus celer, varius, sanguis vena missus adeo diversus, ut nunquam certi quid exim prædici potuerit; pessimus omnium est in liquamen resolutus. Lotium jam rubicundum, aut igne-

igneum, jam pallidum, jam limpidum, jam nubilum & hypoſtaticum.

Si ægri in loco cubent calido, nec antea diarrhæam experiantur, alvus plerumque obſtructa eſt; ſi vero in loco frigido degant, uti in noſocomiis campeſtribus ſæpius evenit, diarrhæa ſymptoma quidem eſt commune, ſed nunquam criticum. In peſſimis caſibus ſequitur diarrhæa inſenſibiliter procedens colliquativa, ichoroſa, vel ſanguinolenta, horrendum fætens.

Sub initium calor moderatus; in decurſu autem, dum pulſus ſubſidet, etſi ad primum adtactum calor haud notatu dignus, quin ipſo naturali minor videatur, *Cel. Pringle* & alii ardorem inſolitum experti fuerunt, qui per aliquot minuta ſenſationem ingratam in digito tangentis reliquit medici. Cutis plerumque ſicca, arida, etſi, in primis ſub initium, ſudores breviores adſint, aut longiores. Proſunt unice vel ad initium morbi, vel ad finem ejus; raro hi collaquitivi ſunt, ſed blandi, continui, ubique æquales. Sudores fere ſemper fœtidi, & omnibus, ipſi etiam ægro intolerabiles. Linqua maximam partem ſicca, & niſi attentio fiat, mox dura evadit, nigra, ac ſulcoſa; ad finem nonnunquam mollior fit & humidior; tincta autem colore ex viridi & flavo variegato. Sitis mox magna eſt, mox exigua: ſi malum jam longius proceſſit, fætor halitus, & ſordes nigricantes dentium radices ambeunt. Nonnulli nunquam delirant, omnes vero magna laborant perturbatione & ſtupore; paucis ad mortem uſque ſana ratio, multi eam perdunt, ſat cito, vel ob phlebotomen nimiam,

vel

vel ob adhibita mature nimis calefacientia. Somnus rarus, & facies, nisi delirent, tristis potius quam febrilis. Tarde solum terribilem, vel valde ægrotantem obfert speciem. Oculi turbidi; albuginea subrubella; delirium frequentius, inprimis nocturno tempore, raro ad furorem usque pertingens; æger uti in alio delirio vividiori constitutus est, e. s. p. Tremor tendinum sæpius observatur, quam subsultus, *) Delirium, tremor adscendit, quamdiu pulsus fatiscit, & ratione oppositæ. Auditus sæpius læsus, ad finem fere abolitus. Vomitus & quærimoniæ de pondere in ventriculo & nausea, symptomata quidem constituunt communia, non tamen essentialem morbi partem: pleuritides etiam, respiratio difficilis & dolores vagi non adeo febri ac constitutioni corporis ipsius ægri, aut refrigerationi tribuendi. Maculæ exanthematicæ frequentes quidem, non tamen inseparabiles febris comites sunt. Maculæ hæ genuinæ sunt petechiæ: nunquam elatæ, jam lividæ, jam magis minusve rubræ; exiguæ, discretæ, sed & sæpius confluentes ex integro, maximam partem in pectore, & dorso, rarius in cruribus & brachiis, rarissime in facie; jam mature, jam tarde prodeuntes, nunquam criticæ, nec signis lethalibus accensendæ, sed una cum aliis phænomenis periculum solummodo reddentes majus, gravius: quo magis purpureum referunt colorem, aut violaceum, eo majori periculo nexæ. Vibices & pustulæ purpureæ vel violaceæ

*) In nvissima editione operis *Pringliani* inveni *tremorem manuum*, ubi in procedente *tremor tendinum* positum fuerat.

ceæ majus denuo indicant periculum. Prodeunt subinde omnes nonnisi post mortem.

Febris hæc, etsi ad continuas referenda, haud raro noctu gravior sit, cum remissionibus & sudoribus quarumdam partium in sequenti die; continuæ decursum diu observans, sæpius abit in typum hecticum, remittentem, aut intermittentem; duratio incerta; malignitati analoga. Vidit *Pringle* finitum hunc fuisse morbum aut morte aut sanitate intra septiduum, computu ducto ab eo tempore, quo æger primum coactus fuerat, perseverare in lecto. In nosocomiis plerumque 14-20. diebus circumscribebatur, nonnulli autem prægressa quatuor septimanarum ægritudine aut mortui sunt, aut iterum restitui. Quodsi decursus morbi diu, seu ultra septemdecim dies, perduret, terminatur sæpius in exulcerationes parotidum aut glandularum subaxillarium, etsi hæ non prodeant in conspectum; vero sit simile morbum sustineri absessibus nonnullis internis.

Finita crisi multi queruntur dolorem artuum, agrypniam, debilitatem, perturbationem capitis, vertiginem, tinnitum aurium. Si aër summe corruptus fuerit, morbi decursus velocissimus, ac intra quinque aut sex dies vel crisis benigna supervenit, vel mors.

Sunt demum gradus nonnulli minores febris hujus, difficulter determinandi, ac in repletis unice nosocomiis detegendi: debiles tum evadunt, etsi morbus, ob quem intrarunt nosocomium, celeriorem curam admittere videretur. In talibus ca-

casibus unica indicia sunt: dolores capitis pauci, lingua albicans, adpetitus prostratus aliaque symptomata febrilia, animadversione vix digna.

Adparebit ex his imago febris nosocomialis, & noxa magna aëris incarcerati ac effluviorum septicorum in nosocomiis, xenodochiis, omnibusque aliis locis, in quibus magna hominum copia cubiculis angustis, sæpiusque sat spurcis includitur. Febris hujus malignitas dignosci insuper valet symptomatibus multo pejoribus factis aliorum morborum, ad quos accedit febris nosocomialis aut carcerum; utraque enim, ut jam antea dictum, vario sub respectu alteri similis. Qui in nosocomiis multum repletis variolis, etsi benignissimæ indolis corripiuntur, ac per stadia duo prima optime licet emergunt, mox tamen, medicis observantibus Anglis, febrim hanc incurrunt, ac moriuntur. Maxime noxia in talibus nosocomiis est diarrhæa, ubi nempe effluvia putrida inclusa sunt, coacervata, & ad summum malignitatis ac virositatis gradum deducuntur. Pagus *Fechencheim* (*Pringle* ait, morbos exercitus angli in Germania An. 1743. describens) milliari circiter à castris distans pro loco nosocomii constitutus; missi huic eo tempore, quo exercitus ad Hanoviam castra metaverat, præter vulneratos in martis campo, circiter 1500. ægri è castris, quorum maxima pars laborabat diarrhæa. Per hinc eo usque corruptus fuit, ut non solum reliqui ægri, sed & pharmacopæi, feminæ, custodes ægrorum aliique famuli, una cum incolis pagi ipsius eodem morbo inficerentur. *Accessit* monet *Auctor*, *morbus longe adhuc periculosior*, *febris nosocomiorum aut carcerum*, co-

comes individuus aeris impuri ob copiam hominum magnam, puredinemque animalem.

Conjuncti hi mortem excitarunt frequentem; quum ex oppoſito dyſenterici, qui è caſtris non fuerant tranſportati, etſi commoditatibus multis indigerent, quibus alii in noſocomio forent inſtructi, febri maligna tamen non corriperentur, ac univerſim bene valerent.

Vidit *Cel. Donald Monro* una cum aſiis Medicis Anglis ſæpenumero ægros in exiguis ac valde repletis cubiculis diutiſſime detentos, tuſſi chronica, pertinaci fuiſſe correptos ac in phthiſeos verſatos periculo; mira autem fere ratione cum ſanitate rediſſe in gratiam, quamprimum aëre libero, puroque uti poterant. Manifeſtum adducit exemplum è noſocomio militari Bremenſi An. 1762. menſ. Januar. ubi ægri nonnulli, tuſſi peſſima adfecti, è cubiculis parvis, humidis transferebantur in magnum, ſiccum, aëri pervium.

Corruptio aëris in caſtris, noſocomiis militaribus, vel civilibus, aliiſve quibuscunque in locis, ubi corruptioni huic ſufficiens caularum ſubpetit numerus, multique corrupti vapores & exhalationes coacervantur, plerisque morbis, *Cel. le Begue de Preſle* ait, maligni quid adfricat; ſymptomata nempe copioſiora ſunt, & graviora, celerius augmentum; decurſus irregularis, vires vitales vix non ſublatæ, actio nervea fracta, perturbata. Regnat noſtro ævo febris, quam ob indolem ſuam & cauſas *putridam* vocamus, quam & multi *malignam* dicunt, quum

oc-

occulte lenteque augeatur: antiqui *Peſtis* illi tribuerunt nomen, quod frequenter magnas adeo, ac peſtis ipſa ediderit ſtrages, & à peſte vera gradibus non niſi differat. *) Nunc omnes fere morbi, variis tamen cauſſis orti, quorſum v. c. diarrhæa, dyſſenteria, pleuritis, peripneumonia, e. ſ. p. referendæ plus minuſve putridæ indolis ſecum vehunt, unde difficilior multo evadit curatio. Methodi medendi, quæ vulgo adhiberi ſolent, ſub initium morbis his regnantibus, inefficaces ſunt, demum magis minuſve contagioſæ fiunt. *Febris noſocomialis* obſervat etiam *Cl. Monro*, *febris carcerum*, *febris caſtrenſis*, *febris claſſiaria*, *febris* demum *maligna*, quæ plerumque enaſcitur, ſi homines multi degant in locis, ubi aër *renovari* nequit, in locis humidis, impuris, exhalationibus animalibus repletis, quales ex corporibus putridis aut ægrotis in ſublime feruntur, eamdem ipſam *febrim* conſtituunt malignam aut peſtilentialem, uti febris caſtrenſis, poſt prælia enaſcens, ſi mortuorum cadavera in campis putrefactioni relinquantur inſepulta. Si morbus hic à vera peſte diſcrepet, dubitandum tamen non eſt, ad claſſem hanc referri debere, quum unæ eædemque cauſæ utrumque morbum procreent, quum & eadem utrique competant ſymptomata. Obſervationes practicæ repetitæ demonſtrant, febrim malignam etiam ortam fuiſſe ex

*) *Cl. Cl. Monro, Pringle, le Begue de Preſle*, aliique plures Auctores experti evicerunt, morbos illos, qui in hiſtoria romana, aliave ſub nomine peſtis toties occurrunt, magnam partem *febres* fuiſſe *noſocomiales*, carcerum, *paludoſas* aliaſve ſimiles.

ex corruptione putrida ceti ad littora fluviorum in Hollandia ſeptentrionali, & in Toſcana: ortam eam fuiſſe ex putrefactione animalium in inſula quadam Indiæ occidentalis mactatorum; ex putridis effluviis paludum & foſſarum urbes cingentium, tum locorum humidorum, & humilius ſitorum, ubi montes aut ſilvæ renovationem impediunt aëris; poſt inundationes, dum multa aquæ copia relinquitur, putrefactionem ſenſim ſubiens. *Frequenter etiam febres hæ ſunt temporibus anni calidis, iisque nunc finitis in provinciis multo luto ſordidis, in urbibus populoſis, ubi renovatio continua non fieri valet aëris, ubi plateæ impuræ multum & incurvæ, domus humidæ, noſocomia & carceres hominibus turgentes; ſi inprimis epidemico tempore ſepultura in media urbe inſtituatur, ſi cadavera non ſeorſim & profundius in terram defodiantur, ſi macella, lanienæ cloacæ, molendinæ aliaque artificia longius jam inficientia intra urbem aëri non ſat bene perviam habeatur; aut ſi animalia, vel vegetabilia copioſe in plateis putredini relinquantur; ſi aquæ corruptæ variorum artificium, & ſordes in iisdem ac in domibus remaneant; ſi caro unicum fere alimentum populi conſtituat, ſi panis ac leguminum parum in cibum adſumatur, & nec vinum, nec alios potus fermentatos populus talis hibat; e. ſ. p.* —

Anno 1760. Febris maligna & diarrhæa invaſit legiones conjunctas anglogermanicas, dum milites ad civitatem Weſtphaliæ *Wahrburgum* caſtra metaverant.

Ex-

Exercitus unitus ab initio Auguſti non mutabat ſitum & 13. Dec. primum intrabat hyberna. Interea temporis copioſa pluvia per multos producta menſes. Caſtra, vicinaque omnia repleta non ſolum ſæcibus hominum & animalium exercitus hujus magni, ſed & cadaveribus innumeris equorum, aliorumque animantium, quæ mortua, dum vel in uſus bellicos, vel pro adferendis alimentis, aliisque ſuppellectilis neceſſariæ fuerunt adhibitæ. Præterea 13. Julii in vicinia caſtrorum dimicatum; mortui, ſat multi, vix terra obiter tecti. Milites regionisque incolæ peſſima quævis experti; penuria rerum omnium, febris demum maligna diſtrictus fere integros evacuabat hominibus. Tanta denique militum copia in noſocomium Paderbornenſe transvecta, ut, eo prorſum repleto, maligna febris indoles augeretur, ægrique quam plurimi occumberent.

Atquæ hæc circa noxam aeris tum incluſi, tam halitibus copioſis, heterogeneis, ſepticis, in ſcopum meum poterunt ſufficere.

VIII.

THOM. LARISCH

DISSERTATIO

DE PHTHISI PULMONALI.

1784.

Φθίσις, Phthisis φθίω, φθίνω, & φθινύθω *corrumpo, consumo, extenuo, in tabem resolvo, deficere facio*, significat in genere tabem, seu totius corporis consumtionem, in specie vero, & proprie est ulcus pulmonum a materiâ acri, erodente excitatum, quod frequens tussis, febris lenta simul, & totius corporis consumtio consequitur. *Thomas Erastus, Helideus de Padoanis.*

Morbus hic inter contagiosos refertur a *Galeno de differ. febr. c. 2. μιασματα enim illa, que phthisici exhalant, ab aliis cum aëre in pulmonem attracta, similem in eo dispositionem inducunt, & hinc phthisin excitare valent. Riverius prax, fol. 479.* inter morbos valde contagiosos phthisin numerat, aitque: *periculosum esse etiam cubiculum ægrotantis accedere*; quod

etiam *Jonſtonus Id. Med. fol.* 457. confirmat, dum ſcribit. *Poſſe ſane phthiſim contrahi non ſolum per anhelitum phthiſcorum, ſed etiam per ſpiritum, qui in ſectis felibus, & canibus exſpirat.* Unde etiam *Mathiolus* refert: *Multos cum felibus delectarentur, inſpirato inde diutius una cum aere eorum ſpiritu in tabem incidiſſe, vitiato pulmone.* Sed non ſolum antiqui, ſed etiam recentes practici id opinantur, inter quos plures *Cel. Morgangnius* cadavera phthiſicorum ſecare timuit, credens, ſe infectum iri. *Illimus v. Swieten T. 6. p.* 14, *ait: Quin imo licet tantus ſputorum fœtor non adſit, mali tamen quid ab halitu deploratoram phthiſicorum metuendum videtur.* Idem plures alii. Quæritur nunc, an, & quomodo fides habenda? ad quod reſpondeo: ſi miaſma hoc adeo contagioſum eſſet, tunc in tanta multitudine phthiſicorum timendum eſſet, ne non tantum medici omnes, ſed & alius conditionis homines infectum pergant; jam vero nil fit tale, proinde ſi agit, videtur ſub ultima ſua tempora, dum ſumma humorum diſſolutio adeſt, agere poſſe, quemmadmodum ſynochus putris ſe gerere communiter ſolet.

Pars affecta ſunt pulmones, quorum ſubſtantia mollis, rara, & fungoſa, ut follis inſtar aëre impleri & diſtendi poſſit circa noxam, ideoque prompte ab humoribus eroditur acribus, atque exulceratur, uti *Gal. L.* 1. *de locris affectis C.* 1. *notat*; nec totus ſemper adficitur pulmo; ſed modo dextra, modo ſiniſtra pars ulceratur; ſunt enim lobi pulmonum intermediis membranis diremti, nec vel continuitatem, vel conti-

tiguitatem habent, hinc eſt, quod uno totaliter conſumto, alter ſuo adhuc fungatur officio, & licet cavæ thoracis partes, aſpera arteria, & fauces exulcerentur, unde etiam tuſſicula, febris, tabes, ſeu totius conſumtio conſequitur, proprie tamen phthiſis dici non poteſt, niſi pulmones ſimul ulcere ſint affecti.

Differentiæ deſumuntur a forma, a materia, cauſis efficientibus, ab origine. *A forma*, ſunt enim benigna ulcera; vel cacoëthica, & ita mali moris, ut vitiata pulmonum temperies ſanguinem alimentoſum corrumpat, & in materiam purulentam, vel puri analogam (ut patet in illa phthiſi Viennæ frequentiſſima) convertat. *A materia*, quod aliquando ipſa pulmonis ſubſtantia aliquando ejus vaſa lædantur. *A cauſis* alia eſt a catartho *neglecto*, alia a ruptura vaſorum poſt hæmoptœn, aut tumorem ſeu inflammationem in ſuppurationem verſam. *Ab origine:* alia per eſſentiam, alia per conſenſum, quando nempe pulmones ob nativam, vel etiam acquiſitam debilitatem phthiſi laborant. Nativam plerumque habent debilitatem homines elati, macilenti, ingenio præcoci, genis candidis & amoene roſeis, collo longo, ſcapulis elatis, thorace plano & anguſto, cute pellucida, ſanguine valde rutilo tenui, diſſoluto, acri, calido, fibra debili, irritabili donati, quales vinicolæ, & tales vocantur *pectoroſi* Engbruſtig, Græce *ſtenothoraces*. Per conſenſum, quod materia aliunde V. G. ex Laryngе, aſpera arteria, aliisque partibus ad pulmones deferatur.

Phthiſis dividirur in primariam & ſecundariam. Primariam appellant ſuapte ortam, nullo alio præcedente morbo productam; quæ omnino rariſſima eſt, cum alterius ejusdam morbi plerumque ſit pediſequa: ſecundariam vero, quæ rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in alio prægreſſo morbo agnoſcit, & hæc frequenter comparet.

Morbus hic duplici ratione oritur; vel enim eſt a pure in pulmone concluſo & latente, quod continuo in ſanguinem ſtillat, eum deſtruit febrim hecticam, excitat febrem dico continuam remittentem auctam poſt paſtum, & ad veſperas noctu pauliſper ſudore largo ſolutam, donec circa meridiem febris nova inſurgat. Contingit hoc in vomica hic clauſa. Subinde tamen fit, ut pauxillum puris reſorbeatur, & eliminetur per alvum, ſudores, urinam, etenim hæc tria habentur puris collatoria; ſic viſa eſt apud *magnif. de Haen* parotis pus continens, una nocte diſparens, alvo purulenta judicari; ſimiliter per cutem, renes educitur. Melior, commodior, tutior per renes, quam per alvum cenſetur evacuatio, utpote, ſi hæc fiat, plerumque in putrilaginem maſſa humorum converſa eſt. Sed hic ſermo eſt de pure pauco concluſo, quod reſorptum ex integro eſt, inde fit, ut parietes ſacci collabantur, collapſi concreſcant; ut hac ratione vomicæ parvæ, pure educto, conſolidationi ſit locus, ſæpe vero ob callofitatem loci aut nihil, aut tenuior puris pars in circulum trahitur; hoc ſi fiat, vomica pulmonum clauſa diu aut innocua, aut non advertenda latere poteſt, quin concluſi puris effectus advertantur. Jam vero, ſi ſtatus hic in longius pergat,

gat, pus ſerpit reptando ulterius, morsque tragœdiam claudit.

Duplicem ſupra phthiſeos originem notavi, & primo quidem a vomica clauſa; ſed non ſolum pus concluſum, rodens, depaſcens, in maſſam humorum deductum, ſed & libere fluens phthiſicos facit perſæpe; etenim tantum non raro puris conficitur, ut humores boni ex eorundem magna in pus converſione, deficiant homini, mortemque oppetat miſer, fluido ad vitam requiſito utpote vix non omni in pus converſo orbatus. Accedit: ſi locus major ſuppuret continuo, quo fit, ut continuo aliqua ſui parte pus in circulum abeat, & ſanguinem deſtruat. Patet hoc in abſceſſu aperto majori in plaga quadam vulnerata, V. G. poſt exſtirpatam mammam &c.

Enumerabo nunc cauſas, quarum cognitio diverſam medendi methodum indicat in hoc morbo, ſimulque ad firmam ſtatuendam prognoſin facit quam plurimum. Sunt autem ſequentes: Partium naturalis ut in prædiſpoſitis, vel acquiſita imbecillitas per evacuationes magnas ſanguineas, lacteas, ſeminales, & alias, per morbos acutos longos; aeris exceſſus magni tam quoad frigus, quam quoad calorem; frigus enim dum vaſa pulmonum ſtringit; facile ad rupturam cogit; durum enim potius rumpitur, quam extenditur aut dilatatur; calor autem humiditati conjunctus perſpirabile ſupprimendo, humoresque inſuper rarefaciendo, vaſa diſtendit, & rumpit. Ita ex temporibus anni autumnus tabidis maxime noxius eſt; deinde ver humores in hyeme coacervatos fundit, præcipue cum fici folia cor-

nicis

nicis pedibus ſimilia fuerint. *Aeſtate ſicca & aquilonia, autumno vero pluvioſo & auſtrali vehementes capitis dolores in hyeme & tuſſes, & raucedines, & gravedines, nonnullis etiam tabes ſunt exſpectandæ Hipp. 3. aph. 13.*

Cibus quoque & potus, vitioſos & acres ſuccos faciens; item calcis recens extinctæ evaporatio; in conclavi itaque recens dealbato, vel ædificato dormire, periculoſum eſſe ob phthiſin inde metuendam, ratio & experientia docent, halitus enim ille, & evaporatio calcis pectori inimiciſſima pulmones exulcerant, hinc murarii plerique phthiſi intereunt; hinc etiam in Auſtria frequentior eſt phthiſis ob calcis copiam, quæ aere ſicco una cum pulvere in patria ventoſa frequenter inſpiratione ad pulmones attrahitur. Tempus ætatis eſt adoloſcentia, & quidem ab anno 18. uſque ad 35. a quo tempore malo phthiſeos ætatis juvenilis flos obnoxius eſt; inquinamento enim tabifico magis ſuccumbunt adoleſcentes & juvenes, quam ſenes, & pueri, quia hi non habent humores ita acres ad erodendum aptos. Gal. in libro tertio, quando morbos ſecundum ætates enarrabat, ait aphoriſm. 29. Τοισι δε νεωνισκοισιν, αιματος πτυσιες φθισιες, id eſt, Adoleſcentibus ſanguinis exſpuitiones, tabes; idque non ætatis ratione fieri ait Galenus ibidem, ſed quia in ætate ea immoderate fere omnia fiunt, ait ex accidenti accidere tabem. Juvenes & adoleſcentes abundant copia ſanguinis fervidi & bilioſi, hinc fit, ut corrodantur, & corrumpantur facilius vaſa, tum etiam ob immoderata exercitia, & alia in victu errata; raro autem pueris & ſenibus hæc contingunt, illis ob blandum & ha-

halituosum calorem, his vero, quia minor est in corpore senili calor. Pleuritis & Peripneumonia suppurata est causa frequens, sed multo sæpius catarrhus neglectus, catarrhus inflammatorius aut subinflammatorius; plerique enim homines pleuritide vel peripneumonia laborantes auxilium in tempore a medico rogant; ubi in catarrho faciunt fecus, credentes, morbum levem & suapte curandum, aut, ut quidam volunt, generosioris vini poculo curandum. Scrophulæ, tubercula etiam ut causæ veniunt, si nempe inflammenrur & suppurent; sic visi sunt homines scrophulosi, quorum scrophulæ facta generosiori medicatione datis quidem ab initio solventibus lenioribus, dein vero acrioribus, & tandem acerrimis indolentes, & fors tota vira innoxie perferendæ inflammabantur, inflammatæ suppuravere: quare probe attendatur in scrophulis, & uni, versim in tumoribus quibuscunque indolentibus, duris curandis, ut si non suapte emendentur, aut si leniora remedia non profint, validiora in usum nequaquam trahantur, quoniam intempestiva valensque talis medicina (ut patet) phthisin immedicabilem inducit. Hæmoptoës adfinis illa pleuritidi frequenter quoque in phthisim convertitur, præcipue vero si hæc species opio, adstringentibus, ut cortice peruviano, torment illa, aqua glaciali, frigida curetur, qui mos multis celebratur, tali ratione remedium sua occasione salutare, sit summe pernicioſum. Calculi, vulnera pulmonis, fistula ejusdem aphtis obsessa huc etiam spectant; item parentes phthisici, qui genitura tabido rore perfusa transplantant labem per generationem in sobolem; non solum enim figuram partium externamque effigiem proli communi-

ni-

nicant, ſed & internam ſæpe diſpoſitionem, & pro robore viſcerum languiditatem relinquunt, ſicque;

Qui viret in foliis venit ab radicibus humor,

Sic patrum in natos veniunt cum ſemine morbi.

Item metallorum foſſores, liquefactores, vel foſſores argenti vivi & arſenici facile in phthiſin incidunt &c.

Nunc quidquam de ſignis incipientis, & conſummatæ phthiſeos. Signa ex quibus diſpoſitio in corpore humano talis, pulmoque incipere affici cognoſcitur, ſunt: febricula levis, tuſſicula frequens ſicca, de qua *Avicenna in Canticis n.* 284 *ſi patiens non ceſſaverit tuſſire jam quidem incidit in phthiſim;* calor major, rubor labiorum, oris, genarumque. Certior adhuc erit diagnoſis, ſi incommoda hæc tempore ingreſſus novi chyli in ſanguinem augeantur, inſurgant; accedit levis ſudatiuncula nocturna, debilitas & conſumtio vix advertenda, reſpiratio ad minimum motum anheloſa; ubi ulcus apertum, etiam ſputum purulentum prodit.

Sequuntur nunc ſigna conſummatæ; quæ ſunt ſequentia: vigiliæ, oculi, tempora cava, compreſſæ nares, apex naſi tenuis, genæ rubentes, ut ſæpe utraque, alterutraque ſæpe intenſius rubeat, vox rauca, ſitis magna, anxietas inexplicabilis, circa veſperam plerumque reſpiratio difficilis, le-

levi motu aut exercitio, facilis, aut facilior saltem in summa quiete; tussis frequens, fere perpetuo sicca vel humida, sputum in aqua subsidens, dulce, pingue, fœtidum, rubrum, flavum, lividum, cineritium, ramentis pulmonum sæpe commixtum, igni impositum carnem assam spirans fœtidam, quod jam *Hippocr.* pro signo certiori *in aphor.* notavit, ubi dicit, *fac phthisicam super accensos carbones exspuere, et si odor ille, qui cum sputo resolvitur, fœtet, pronuncia ipsum esse phthisicum*; urinæ interdum oleaginosæ, vel furfuraceæ ob corporis colliquationem; diarrhæa flava, fœtida, purulenta cadaverosa, colliquans, quæ primo per vices infestat, ut per sex, septem dies eadem careat, donec brevioribus factis intervallis diu noctuque continuet; sudor nocturnus ingens, sudor ad scrobiculum cordis, & in volis manuum, capilli defluunt, ungues incurvantur; manus, pedes intumescunt, febris hectica pergit, intensitate & decursu varia; etenim sæpe est remittens quotidiana cum exacerbatione post pastum & ad vesperam ita, ut tempore antemeridiano melius se habeant, ut febris ad plenariam apyrexiam nunquam perveniat, sæpe per modum tertianæ, imo etiam quartanæ, non tamen pro genuina ab oculato medico agnoscendæ, decurrit, quia die utut libero, tamen post pastum, & ad vesperas vel leviſſime saltem ægrum vexat pulsus parvus, celer, languidus & facillime appresso paulo fortius digito evanescens, fugax calor, color quoque fugax, ut jam rubeant, jam palleant genis, pruritus toto corpore cum pustulis aquosis, manuum volæ ardent perpetuo (quod tanquam certum signum febriculæ latentis habetur) reliqua pellis frigescit; plus cutis, quam

carnis

carnis adeſt, & in omnibus membris languida omnia, ut in foliis autumno marcidis, magisque cadaveris ſpecies præſens adeo, ut tanquam *vivum ſceleton* ſuperſtes incedat: & ex Ovidii *Triſtium libro* triſte melos inchoent.

Oſſa tegit macies, nec juvat ora cibus.

Appetitus quidem in hac febre cæteris paribus viget, tamen nihil inde proficit corpus. Moritur pedetentim, & ſeminex in ſemimortuo corpore geſta, geſtat ſecum ſuperſtitem animam. Non poſſum hic mentionem non facere de ſingulari phthiſicorum æquanimitate, qui dulci ſpe reconvaleſcentiæ freti, ſuum miſerum ſtatum patienter ferunt, donec inter edendum, ſurgendum, aliasque inter actiones inopina moriantur morte; ubi ex oppoſito nervoſis conflictati morbis, conditionem ſuam perræſi, medicamenta recuſant, & reliquum vitæ impatientes ac mœſti tranſigunt ſi ergo complura ex his videris, dices cum *Ovidio.*

Spes abiit, ſinemque vident in funere morbi.

Proderit non parum notas puris optimi & peſſimi ſubjungere, quæ medicum in prognoſi formanda ſatis inſtruere poſſunt; & quidem puris optimi notæ ſunt, ut ſit album, leve, æquabile: conſiſtens adinſtar cremoris lactis, inſipidum, minime fœtidum; peſſimum autem cenſetur illud, quod omnino ab his dotibus recedit.

Se-

Sequuntur jam regulæ quædam generales magnæ in prognoſi formanda utilitatis. 1. Phthiſis pulmonalis a pure concluſo exitum non habente orta lethalis eſt, ſi exitus puris liber arte conciliari non poſſit. 2. Phthiſis hæreditaria omnium peſſima, nec ſananda, niſi cum præcautione hæmoptoës. 3. Phthiſis ab hæmoptoe per vim externam ſine vitio interno præexiſtente cæteris paribus leviſſima. 4. Phthiſis in qua ſubito rumpitur vomica, exſpuitur pus bonæ notæ ſine læſione functionis cujusdam, difficulter quidem, ſanari tamen poteſt. 5. Phthiſis ab empyemate inſanabilis. 6. Phthiſis inveterata, de qua *Villanovanus* ait, *phthiſicus ſi confirmatus fuerit in phthiſi, accipiamus ipſum tanquam mortuum in cura*: nullam omnino curationem admittit, præcipue dum cxlucci vitioſi eroſione id poſſident ægri, quorum aliqui ut ſalſuginem ſpurum ſuum ſe ſentire ajunt. 7. Quin & recentia pulmonum ulcera ſanari difficillime poſſunt, tum ratione ſitus, quia medicamenta primo contactu ad partem affectam pervenire non poſſunt, ſed per ambages deducta, eadem tandem appropriata, tot ſubeunt alterationes & mutationes, ut antequam virtus eorum ad partem affectam deducatur, prorſus fere evaneſcat; tum, quia citra gravem motionem, utpote tuſſim, expurgari nequaquam poſſunt, & licet medicamentis conglutinantibus callus fieri poſſit, durare tamen vix poteſt, cum a materia pulmonum aliena ſit duritiés, quin motu facile rumpatur; deinde phthiſis curationem difficulter recipit, quoniam ad conſolidandam quodvis ulcus, requiritur quies, pulmones vero, quamdiu vivimus ſunt in perpetuo motu, adeoque conſolidatio-

nem

nem difficulter recipiunt. 8. Phthiſis ſcrophuloſa, tuberculoſa curata nunquam legitur. 9. Si in phthificis capilli defluant cum graveolente ſputo & alvi fluxu, lethale ſignum eſt. 10. Alvi profluvium ſicuti in aliis pectoris morbis, pleuritide, & pulmonia, ita in phthiſi etiam periculoſum.

Indicationes ſunt ſequentes; nempe febrim moderatam ſervare, inflammationem, ſi præſens eſt, tollere, vomicam, ſi adeſt, maturare, rumpere, ruptam, detergere, qualitatibus ſputorum ſubvenire, ulcus tandem conſolidare.

Expoſitis jam omnibus præmittendis, reliquum eſt quædam de curatione hujus morbi adeo triſtis & funeſti dicere, in qua advertat quisque, an morbus hic recens, an confirmatus ſit, quod quidem non tam ad curam, quam ad prognoſim confert, interim ne ſemetipſum forte penſitationibus vanis, & ægrum medicamentis diſtorqueat, hoc utilitatis habebit; imo aufim forte dicere, quod ſupra tanquam dubium dixi; quare placuit eandem dividere in duplicem, incipientis ſcilicet, & confirmatæ phthiſeos curam, perque modum regularum quarundam eandem exponere. Attendendum itaque eſt ad febrim, quæ 1. ſi fuerit moderata, pus bonum, tunc proſunt illa, quæ blande valent locum ulceroſum detergere, uti ſaccharata, melita. 2. Si febris magna cum pulſu debili, celeri, parvo, ſputo graveolente, fœtido acri, tenui, variegato, cortex peruvianus qui vires erigat, putredini, reſiſtat, in me dicamentum cedat. 3. Si febris magna cum pulſu forti, duriuſculo, ſiccitate in faucibus, vocis raucedine;

quod

quod in ſcrophuloſis, & ad phthiſim prædiſpoſitis hominibus admodum frequenter hic loci obſervatur, venæſectio & emollientia nitroſa cum melle deſiderantur. 4. Si febris moderata aut parva, puris indoles tenacior ſit, & difficilius per ſputa evacuetur, conveniet oxymel cum ſtib. daph. non abluto, aliisque ſimilibus convenienti forma datum; quodſi præcedens medicina viſcido, tenacique pulmonem gravanti muco non ſufficeret, acuatur potentiori, qualia plura in *materia medica* in ſcopum hunc recenſentur. 5. Si febris mitigata ulcus depuratum, remedia balſamica propinentur v. g. *myrrha*, *olibanum*, *maſtix*, *terebinthina*, *balſamus de mecha*, *peruvianus*, & his ſimilia; in quorum uſu ſedulo advertendum eſt, febrim ſuppuratoriam illam, majorem ſaltem non debere eſſe præſentem, ne ignem igni addendo æger male applicata tali medicatione, ſua occaſione bona, loco ut eripiatur, morti tradatur, corpora enim hæc calidum aroma habent, ac propterea caute in tempore & in doſi cum iisdem mercandum eſt. 6. Si ſubjectum cacochymia ſcatuerit, quæ phthiſeos cauſa fuiſſet, eadem ſuo modo corrigenda, tumque ulceris ratio habenda.

Quid jam agendum in conclamata? machinam labantem erecturus medicus hoc in caſu vanam ludit operam, ne tamen ſpectatorum, ſed medicum agere videatur, neve ægrum auxilio omni deſtituat, propinet apta forma corticem, quodſi forte in ſubſtantia datus præſente alvo colliquativa eandem augeret, linquat, & ad arnicam curret, quæ data omni bihorio ad dr. j. diarrhoeam colliquativam ſæpe ſanat. Dixi quidem, quid

in

in his anguſtiis tentandum eſſet, quæritur autem, an cum emolumento? corticem ſine diſcrimine hic exhibere, contrariari legibus medicis, ſcio, ſcio etiam attendendum eſſe 1. an vomica clauſa, in qua mirum quantum ab ejusdem uſu anguntur, ut ſæpe ob metum ſuffocationis deſiſtere debeamus. 2. An vomica aperta, in qua tabificum adhuc per aliquod tempus ſuſtinere poteſt; ex quo conſequitur, in primo caſu extabeſcentem ſine omni auxilio relinquendum eſſe. An hoc locum habet? nequaquam: detur ſaluberrimus cortex, qui ipſas nimium increbeſcentes febriles peridos, per quas mors acceleratur, ſi jam non tollit, ſaltem inhibet, & ægri vitam in longius protrahit; meminiſſe quoque oportet; corpus, quod venenatum fieri poſſet, in manu ptudentis medici ſæpe eſſe medicamentum. Juvabit quoque in hoc triſti caſu clyſma ex terebinthina vulgari, theriaca andromachi, & lacte recenti vaccino cocto conflatum injicere, quod ut acuatur, extinquunt in eodem chalybem ignitam, ſicque utuntur. Non poſſum hic obliviſci ſalubris illius ſyrupi diacodii & medicamentorum anodynorum, quæ in utroque morbi gradu expetuntur, ut aſperam utiſſim leniant, quo fit, ut conciliata pulmoni nocturnis horis quiete, matutinis horis pus bonum coctum exſcreetur facile, & cum levamine, eodemque illo tempore, dum nulla tuſſi agitatur pulmo, ſpes ſit, ſub bono pure conſolidationem ulceris incipere poſſe, unde ſi cura rite procedat, ſenſim quotidie puris copia minuitur, ſine omni anxietatis ſenſu, quæ pus retentum comitari ſolet. His & non aliis per reliquum vitæ tempus pergendum eſt, donec mors ſequatur, quæ alioquin jam fores pulſat. Univer-

verſim hic *non morbo*, ſed ſymptomati medicina fiat.

Subjungam adhuc ſequens non leve quæſitum: cum in empyemate ſectio inter coſtas cum ægri ſalute fiat, utrum idem in phthiſi non poſſit practicari? R. quantum conſtat, hactenus non fuit practicatum; attamen ſi unum inferiorum pulmonis loborum maxime ulceratum eſſe, & plus materiæ generare, quam ut exſpui poſſit, reperiretur, abſque dubio thoracis apertio commode celebrari poſſet, tum ut materia per viam breviorem & commodiorem educeretur, tum ut pulmonum ulcus injectis per ſyringam abſtergentibus facilius conſolidari valeret. *Cell. de Sorbait* meminit ſe quemdam in noſocomio paravino vidiſſe, qui geſtata cannula plumbea ſimile habebat in pectore emunctorium. Puris e pulmone eductionem *per ſectionem* jam *Hippocrates* non ignoravit. Facienda autem eſt ſectio circa quartam & quintam coſtam a ſuperioribus numerando, cavendo finem coſtarum inferiorum, quibus adhæret diaphragma, cujus læſio periculoſa foret; fiat itaque ſectio antedicta, in medio duarum coſtarum totam puris quantitatem minime educendo, ne ſimul ſpiritus & vita educatur: hinc ait: *Hipp. 6. aph. 27. Quicunque empyici uruntur, aut ſecantur, ſi pus univerſum effluxerit omnino moriuntur;* & ſi pus album educatur bonum, ſi cruentum, fætens & fæculentum, malum.

Curationis complementum conſtituat enarratio quarundam methodorum veterum curandi hunc morbum. *Halideus de Padoanis* cauteria brachiis, pedibus, imo etiam ſuturæ coronali ap-

applicat. *Guilelmus Fabricius in cent obſerv. fol.* 166. Phthiſin curat ſetaceo nuchæ applicato. *Cornelius Celſus lib.* 3. *cap.* 22. pectus urit variis in locis ſub mento, in gutture, & ad mammam utramque, item ſub imis oſſibus ſcapularum, nec ulcera ſanari permittit, niſi remittente prius febre, & tuſſi deſinente. Idem facit *Aetio ſerm.* 4. *cap.* 57. *Galen.* 5. *meth. cap.* 5. Sinapiſmos de ſtercore palumbium & thapſia capiti deraſo applicat.

Ultimum eſt, ut diætam exponam, quæ tum medicamentis, tum ipſi corporis virtuti ſecundum ſex res non naturales accomodanda eſt. *Aer* ſit in activis qualitatibus temperatus, ad ſiccitatem vergens, qualiter curat *Gal.* 5. *Meth. cap.* 12. dum phthiſicos ad thebas montes ablegat, ubi aer eſt ſiccus, qui citius ad pulmones tranſit, eosque exſiccat: hinc ejus mutatio pulchrum eſt remedium. *Cibus*, quidquid rudi Minerva oggerat Crembſius, debet eſſe euchymus, ſeu boni ſucci, ut corpus emaciatum reſtauret, & ob facilem concoctionem calorem imbeccilem non gravet, ſimul & ſit refrigerans, & humectans, ut ignea & ſicca partium temperamenti ſubſtantifici, in quo febris hectica ſubjectatur, ſubſtantia corrigatur: nec obſtat, quod aerem ſiccum præſcripſerimus, hic enim reſpectum habemus ad phthiſim; deinde cibus non penetrat tam cito ad pulmones, quam aer, ſed partium ſolidarum ſiccarum, & calidarum, cibus ille refrigerans & humectans debitum ſit nutrimentum, itaque conveniant juſcula ex *avena, bordeo, amygdalis dulcibus*: pultes ex *avena, bordeo, oriza, mica panis albi cum lacte caprino.* Commendantur car-

carnes avium montanarum, ova ſorbilia, reſtudines &c. & cum ob extenuationem pluri egent phthiſici alimento: frequentia exhibendi debet ſupplere quantitatem, ne calor debilis oneretur. Lac humanum, aſininum, caprinum præ reliquis cibariis in uſum cedant; nam facilius in ſubſtantiam alendi convertuntur, atque diſtribuuntur. *Hipp.* 5. *aph.* 64. & non tantum alimenti ſed & medicamenti vires obtinet lac, hinc ulceri pulmonum apprimis convenit, utpote ejus repurgationi, conſolidationi, & nutrimento corporis ob principia ſua aptum. Et ſi magis glutinandum, uſtulato utendum, ut partes ſeroſæ ex parte conſumantur & figantur: hinc tempore abſterſionis, *hyſopus*, *ſaturcia*, *thymus*, & ſimilia, tempore vero conſolidationis, *poligonum*, *burſa paſtoris*, *millefolium*, *ſanicula*, *alchimilla* capris vel aſinis exhiberi poteſt. Dandum autem eſt lac ſaccharo roſato permixtum, vacuo ventriculo, & mundato ventre, cum ſua natura facile corrumpatur, ſi incidat in ventriculum impurum; nam in frigido ventriculo acidos, in calido nidoroſos ructus parit, deinde ſecundum *Hipp.* 5. *aph.* 64. lac caput dolentibus, hypochondria elata aut murmurantia habentibus, febriculoſis, & ſiticuloſis malum, utpote illis aceſcat, his in nidorem convertatur, & quaſi aduratur. Lac recipitur etiam in balneo, quod febrim hecticam extinguit, humoribus ſuam demit acrimoniam, & calorem naturalem reſuſcitat. Cibi omnes acres, acidi, ſalſi, quales ſunt piſces & carnes infumatæ, aromata, cepæ, ſinapi relinquendi, e contra conditis ex paſſulis amygdalis ſacharo & melle uti licet. *Potus* ſit decoctum hordei cum glycirrhiza, paſſulis, ficubus, ſemine aniſi &c. paratum,

item cerevisia alba, quæ multo non abundat lupulo; super omnia vitanda sunt nimia repletio & inanitio, venus, alvi adstrictio; exercitia sunto mederata, caveatur a clamore & frequenti locutione, vehementique pulmonum motu, consolidationi ulcerum inimico, quibus corpora incalescunt. *Somnus* sit moderatus, atque nocturnus. Animi pathemata sint moderanda, iram præsertim & tristitiam vitent ægroti, quæ corpora conficiunt. Et hæc de phthisi.

IX.

IX.

STEH. KRAGL

DISSERTATIO

DE METHODO EMETICA.

1784.

Quoniam quamplurimi occurrunt casus, atque circumstantiæ, quæ emetica postulant, vel plena, vel refracta dosi, vel per epicrasin propinanda: itemque sæpenumero talia obveniunt, quæ & plena, & refracta dosi exhibenda vomitoria contraindicant, aut demum ejusmodi sese manifestant symptomata, in quibus hæreas dubius, exhibendi, aut non exhibendi medicamenti vomitum cientis: haud abs re futurum esse duxi, de methodo emetica agere, id est, ejusmodi circumstantias in medium proferre, atque indicare, quibus præsentibus, emetica vel indicantur, vel contraindicantur. Quibus nonnulla usitatoria emetica subnectam, eorumque & plenam, & refractam dosin, & per epicrasin exhibendam assignabo.

Jam enim vero indicantur emetica, ubicunque adſunt ſigna ſaburræ, ſurſum turgentis, ſeu ſit cauſa, ſeu effectus ipſius morbi; id eſt, ſeu ſaburra jam antea in primis viis contenta, morbam producat, ſeu vi ipſius morbi ad primas vias depoſita fuerit, ſeu ſit morbus coincidens. Hi ſunt præcipui fontes, ex quibus ſaburra, methodum evacuantem requirens, eruitur: hæc autem ſaburra vel eſt pituitoſa, vel bilioſa, vel ex utraque hac compoſita.

Antequam vero de ſignis ſpecialibus, methodum ſurſum evacuantem poſcentibus, agam, exponere juvat primum ſigna ſaburræ præſentis generalia, dein ſigna ſaburræ bilioſæ, pituitoſæ, atque ex utraque hac compoſitæ.

Signa ſaburræ præſentis generalia ſunt ſequentia: lingua impura, flava, mucoſa, virecſcens; dentium, gingivarum, fauciumque ſordities; ſapor oris depravatus, fœtidus, nauſeoſus, nauſeoſo-dulcis, mannæ adinſtar acidus, acidoauſterus: vomituritiones; nauſeæ; os plenum inſipidæ ſalivæ, ejusque continens affluxus; anima fœtens; ſputatio frequens; anorexia plena; leipothymiæ leves cum anxietate; præcordiorum pondus, tumor, tenſio; ardor ad ſcrobiculum; morſus ad cardiam; anxietas poſt aſſumta, tam potulenta, quam eſculensa; caput dolens, grave, temulentum; vertigo, cephalalgia; viſus depravatus; aurium tinnitus, & ſurſurrus; immo quandoque deliria; pulſus inæqualis; nonnunquam ſudores nocturni, nidoroſi, olentesque.

Bene

Bene tamen notandum eſt, nullum ſupra memoratorum ſignorum, ſeorſim ſumtum, indicare præſentiam ſaburræ: ſed omnia, vel ſaltim plura ſimul adeſſe debere, ut inde certum, aut rationi magis conſentaneum ratiocinium ad præſentiam ſaburræ deducere poſſimus. Neglecta, & prætermiſſa graviſſima hac in praxi obſervatione, omni momento proni erimus in errores, vix ulla ratione amplius reſarciendos. Quod ut confirmetur, magisque omnibus eluceſcat, quam parum uni, alterive ſigno, ſeorſim conſiderato, fidendum ſit, nonnulla, ſuperius allata, ſaburræ præſentis in genere ſigna paulo intimius perpendam.

Non omnis *linguæ ſordities*, ſeorſim ſumta, ſaburram, in primis viis latitantem, indicat; quamplurimis enim, iisque quotidianis obſervationibus conſtat, linguam non primarum ſolum, ſed ſecundarum etiam viarum, quin & pulmonum, & ſubinde faucium tantum conditionem indicare. Sic Hippocrates linguam albam, & multo albo muco obſeſſam appellat peripneumonicam: atque etiam vix non omnibus febricitantibus lingua impura habetur.

Guſtus pariter depravatus per ſe nil minus, quam ſaburram, in primis viis contentam, ſignificat; multi enim dantur icterici, qui de ſapore nauſeoſo, amareſcente, bilioſo conqueruntur, quin vel ulla in eorum ventriculo, aut inteſtinis contineatur ſaburra.

Sic

Sic etiam non omnia *præcordiorum anxietas*, non omnis *nauſea*, non omnis *vomituritio*; quin immo nec omnis *vomitus* perfecte *biliosus*, *æriginoſus*que ſaburram primarum viarum eloquitur; nam qui inflammatione hepatis, veſicæ, renum laborant; item qui hæmorrhoidibus veſicæ, aut urethræ infeſtantur, plerumque etiam de hiſce moleſtis, atque ingratis ſymptomatibus querelas movent: præſertim vero inflammationem hepatis in parte concava vix non ſemper hæc memorata ſigna concomitantur. Et univerſim, quibus ſanguis cum alieno quodam humore permixtus eſt, illis omnes reliqui ex ſanguine ſecreti, & excreti humores a ſtatu ſanitatis alienati ſunt: huc ſaliva vel maxime referenda videtur, quæ linguæ, & guſtus conditionem depravare ſolet. Eodem modo ſe res habet cum reliquis, ſupra allatis, ſaburræ ſignis. Hinc ad bonam ſaburræ diagnoſin formandam non ſufficit unum, alterumve ſignum, ſed plura ſimul concurrere debent.

Tranſeundum nunc eſt ad ſpecialia ſaburræ biliosæ, pituitoſæ, & ex utraque hac compoſitæ ſigna exponenda: & primum quidem locum obtinent ſigna, ſaburram bilioſam indicantia, quæ præter dicta ſuperius generalia hæc fere ſunt: color oculorum dilutiſſime flavus, & quidem longe dilutior illo, qui in ictero obſervatur, aut cum modica flavedine ſubvireſcens; lingua impura, flava, flavis villis hirſuta; calor circa nares, & labia, atque totius peripheriæ flavus, aut cum virideſcente pallore conjunctus; ſapor oris amarus, & ructus amari, urentes, auſteri, ſubdulces cum nauſea; vomituritiones, vomitus variæ

ma-

materiei, porraceæ, æruginoſæ, vitellinæ, atræ, fauces exurentis, dentes ſtupefacientis, ſaporis acerbi, metallici; borborygmi; alvus intenſe flava, quaſi ab aſſumto rheo, pinguis, olidiſſima, modice fluens inter flatus putridiſſimos; urina naturali magis flava, quin immo talis, quæ in ictericis obſervari ſolet, crocea, ſpumoſa, pinguis.

Verum contingit nonnunquam, ut omnia hucusque enumerata & ſaburræ in genere, & etiam ſaburræ bilioſæ ſigna deſint, & tamen magna ſaburræ copia in primis viis latitet. Hoc autem in caſu præſentia ſaburræ detegitur 1mo ex indole febris ipſius, quæ eſt continua remittens: 2do ex conſtitutione bilioſa, & morbis ſaburralibus, manifeſto bilioſis, eodem tempore regnantibus Itaque quemadmodum ad determinandum morbum alium quemcunque ſolus æger, & ſola hiſtoria morbi vix unquam ſufficiunt: ſic etiam ad determinandam ſaburram bilioſam non ſufficiunt hoc modo allata ſigna, ſed & anni tempus, & tota conſtitutio, & morbi corregentes, & alii ægri, una decumbentes in auxilium vocandi ſunt.

Reſtant adhuc ſpecialia ſaburræ pituitoſæ præſentis ſigna dicenda, quæ præter ſigna ſaburræ in genere ſequentia ferme exiſtunt: vita antea ſedentaria; motus animalis imminutus; victus crudus, fatinoſus, caſeoſus, & ex fructibus auſteris, immaturis deſumtus; facies tumida, pallida, & totius corporis laxitas; ponderis, & frigoris in ventriculo ſenſus, & veluti ventriculus aquæ frigidæ innataret; vomitus levans ma-

te-

teriei lentæ, pituitoſæ, viſcidæ, glutinoſæ; ſaliva lenta, pituitoſa, viſcida; urina cruda, pallida, aquoſa, vix olens. Saburra hæc ſæpe mixta reperitur cum bilioſa, & tunc quoque ſigna adſunt tam bilioſæ, quam pituitoſæ ſaburræ communia.

Poſteaquam & generalia, & ſpecialia ſaburræ ſigna expoſui, videndum nunc eſt, quid ſit ſaburra turgens, & in ſpecie, quæ ſint ſigna ſaburræ, ſurſum turgentis; non enim ſufficit ad methodum emeticam adhibendam, ut certi ſimus de ſaburra primarum viarum, ſed requiritur etiam, ut ſaburra turgeat, & quidem ut non ſolum ſimpliciter turgeat, ſed ut ſurſum quoque turgeat. Sub ſaburra turgente aliud nihil intelligitur, quam ſaburra ad exitum parata, & exitum moliens, & quidem ita ad exitum parata, ut facile dato evacuante, poſſit exterminari. Quomodo vero ſaburra ad exitum parari, & apta reddi queat, paullo inferius dicam.

Neceſſum quoque eſt, ut illa ſigna, quæ ſaburram ad exitum paratam, & quidem ſurſum exitum mollientem indicant, probe perſpiciantur. Quod ſi præter generalia ſaburræ ſigna, ſuperius enumerata, accedat quædam capitis, & ſenſuum perturbatio, ut vertigo, ſcotomia, cephalalgia, aut leipothymiæ leves cum anxietate: ſi præcordiorum pondus, tumor; ardor, morſus ad ſcrobiculum, & cardiam; ſi linguæ, & inferioris labii tremor; ſi naufeæ, ſi ructus, & vomituritiones accedent, non erit ſaburra ſimpliciter primarum viarum, ſed erit quoque ſaburra turgens, & quidem ſurſum turgens. Hic jam eſt ille ſta-

tus,

tus, in quo emeticum plena, & juſta doſi exhibendum indicatur.

Verum ſæpenumero contingit, ut, quamvis adſit ſufficiens ſaburræ primarum viarum quantitas, tamen nondum ſit ſufficienter ad exitum parata, & mobilia ita, ut facile dato emetico, evaeuari poſſit. Hinc arte primum ad exitum parari, & mobilis reddi debet, multo nempe diluente, & leviter ſolvente, ſalito, ſaponaceo, mellito potu aſſumto. Hæc autem præparatio ſaburræ eliminandæ maxime neceſſaria eſt ſero autumno, e. g. in febribus intermittentibus, ubi major ipſius ſaburræ tenacitas adeſt, & ubi etiam aliquid inflammatorii vitii ab ingruente frigore ſolet accedere. Hinc præparantur tunc corpora ad vomendum multo potu, & quidem antiphlogiſtico, leviter ſalito, & una, alterave inſtituta venæ ſectione, ut omnia meabilia, & ſolida flexibiliora, & virtuti emetici magis obſecundantia reddantur.

Aſt nondum ſufficit ad bonam emetici indicationem faciendam, ut certa ſaburræ, ſurſum turgentis, habeamus ſigna, verum provide etiam circumſpiciendum eſt, an nihil in ægro adſit, quod emeticum contraindicet. Itaque accurate in conſiderationem ducenda ſunt ſexus, ætas, conſtitutio, & vires vitales ipſius corporis ægrotantis; aut alia, ſi quæ adſunt in ægro ſymptomata, ut hæmorrhagia narium, pulmonum, uteri &c., hernia, alvus obſtructa; plethora, inflammatio; graviditas; lochiorum, catameniorumque fluxus.

Sexus:

Sexus: feminæ, ceteris paribus, facilius vomunt, rariusque præparatione indigent, quam viri.

Aetas: ſenes decrepiti difficillime vomunt, & vix unquam admittunt emeticum ob fibras inſenſiles, rigidasque, nec amplius obedientes ſtimulo, vomitum concitanti. Hinc caute mercandum cum emeticis, ſenibus propinandis, niſi aliunde notum ſit, illos facile vomere: ſed potius dandum illis eſt ſemiemeticum. Facile vero vomunt juvenes, multoque facilius infantes, & pueri; quo enim major eſt humorum quantitas, quo major irritabilitas. & quo major flexilitas partium ſolidarum, eo major quoque eſt facilitas vomendi.

Conſtitutio: e. g. phthiſicis, hæmopticis, aut prædiſpoſitis ad phthiſin, aut ad hæmoptoën vix ſine gravi periculo emetica propinantur.

Vires vitales: quibus magna virium vitalium proſtratio, ſeu mala medendi methodo, ſeu ipſius morbi magnitudine inducta eſt, his, ſi velis eos habere viventes, emeticum ne propines, quamvis magna ſaburra turgentis adſit copia; major enim eſt virium vitalium proſtratio, quam ut talem evacuationem, indeque natum tumultum ferre poſſint, quin extinguantur penitus.

Hæmorrhagiæ narium, pulmonum &c.: hæmorrhagiæ hae in ſe conſideratae ſemper emeticum contraindicant: ſi vero ſunt ſymptoma febris bilioſae, & ſi ſimul adſit ſaburra ſurſum tur-

turgens, ſine metu dandum eſt emeticum; quin immo ſi haemorrhagiae pro cauſa materiem biliosam agnoſcant, non ſiſtentur, niſi dato emetico, hanc materiem excutiente. Pariter ſi haemorrhagiarum cauſa eſt ſpaſmus, ubicunque natus, circulum ſanguinis impediens, emeticum vel plena, vel multo magis refracta doſi exhibendum non contraindicatur. Sed de haemorrhagiis, pro cauſa ſpaſmos agnoſcentibus, paulo inferius recurret ſermo, ubi agetur de emeticis, refracta doſi propinandis.

Hernia non repoſita contraindicat emeticum, ſi vero reponatur, & brachierio retineatur, firmeturque, emeticum non contraindicatur: etiam hernia non expoſita nonnunquam emeticum concedit; ſi nempe annulus admodum dilatatus, & hernia jam vetuſta fuerit, ſuſpenſorio tantum adplicato ut ſuffulciatur, neceſſum eſt, dato emetico.

Alvus obſtructa pertinaciter omnino emeticum contramdicat; item ſi quis per 24 horas alvum non depoſuerit, & emeticum indicatum ſit, prius alvus clyſmate reſerari debet, antequam propinetur emeticum; contingit enim, ut vomitorium, alvo clauſa, propinatum hypereme-ſin excitet.

Plethora, & inflammatio, præcique paullo major, vix ſine præſentiſſimo mortis periculo emeticum admittit. Itaque ſi plethoricus, aut phlogoſi detentus oneretur ſaburra, ſurſum turgente, vomitoriumque poſtulante, plethora prius, & inflam-

flammatio ſua methodo tolli debent, antequam emeticum exhibeatur.

Graviditas quoque emeticum contraindicat: verumtamen ſi ſaburra mobilis ſit, & ſurſum turgeat, & ſi gravius periculum immineat a ſaburra relicta, quam ab illo tumultu, ab emetico excitato, emeticum omnino non contraindicatur, ſed tuto dari poteſt, præſertim ſi corpus ad id genus evacuationis antea prædiſpoſitum fuerit. Idem quoque tenendum eſt de lochiorum, catameniorumque fluxu.

Expoſitis jam ſignis, atque variis circumſtantiis, quæ methodum emeticam vel poſtulant, vel admittunt, vel etiam contraindicant, quæſtio nunc exoritur, quibusnam emeticum plena & juſta doſi, & quibusnam per epicraſin, & quando refracta doſi exhibenda indicentur, & quæ tandem cautela poſt aſſumtum emeticum obſervanda ſit? Antequam vero huic ſatisfaciam quæſtioni, dicere prius oportet, quodnam emeticum dandum ſit? quæ ſi ejus plena & juſta, quæ refracta doſis, & quæ per epicraſin?

Palmam omnibus præripit ipecacuannæ radix, & tartarus emeticus: mitius tamen agit ipecacuanna, nec tantos excitat tumultus, quamvis difficilior ſit ſumtu, quam tartarus emeticus. Datur ipecacuanna ſcopo emetico plena & juſta doſi ad ſcrup. j., vel gran XXIV., vel ad drach. ſem, vel ſola, vel ſale aliquo medio, vel rheo, vel gran. j. tartari emetici armata. Infantibus, puerisque duplum datur radicis ipecacuannæ, quam

ſit

ſit numerus annorum: ſic infanti trium annorum dantur grau. vj., e. ſ. p. Per epicraſin datur omni hora ad gran. iij. iv. vj. Refracta vero doſi, id eſt, ſcopo alterante, ſolvente, reſolvente, attenuante, expectorante, & antiſpaſtico datur ad 1/4 1/3 grani unius partem omni tri- vel quadrihorio, ita nempe, ut ventriculus ſemper inter vomitiones, & nauſeas retineatur, præſertim ſi addatur aliquid carminantis, e. g. eleoſaccharum menthæ, vel aliud quodcunque ſpecificum antipaſticum, quod vomitum compeſcere ſolet.

Tartarus emeticus datur una vice, & juſta doſi ad gran. ij. iij. cum ſaccharo in pulvere; per epicraſin exhibendus ſolvitur ad gran. iv. in libra una aquæ, ut omni quadrante horæ, vel etiam omni vigeſimo minuto primo pars quarta hujus ſolutionis aſſumatur. Refracta doſi, ſeu ad nauſeas tantum excitandas, ſolvitur granum unum in libra ſemis aquæ, & datur cochleatim.

Egregium quoque vomitorium eſt vinum Huxhami, quod datur ſcopo emetico una vice ad drach. ij. ijj. unc. ſem. j.—j. ſem., pro varietate ſubjecti, plus, minuſve robuſti: ſcopo alterante, aperiente & ſudorifero datur ad gutt. xxx. bis, vel ter die, aſcendendo ſucceſſive ad guttas LX. Datum etiam fuit bono cum effectu in febribus intermittentibus ab initio ad guttas x. quater de die, aſcendendo ad guttas xxv. Et univerſim ubi ſcopus eſt alterare, attenuare, aperire, ſolvere, reſolvere, diaphoreſin, & ſudores movere, ſemper præſtat a paucis guttis incipere, attendendo, quomodo ferant. Vinum hoc emeticum

pa-

ratur ſequenti modo: ℞. vitri antimon. unc. ſem., infund. in vini tokaini libr. j. ſtet in digeſtione per 14. dies, ſæpius agitando vaſ. Colat. d. u.

Non infimum etiam locum occupat ſyrupus emeticus, qui ſcopo emetico adultis, non adeo robuſtis datur ad drach. ij., paullo robuſtioribus unc. ſem., robuſtiſſimis unc. j., quamvis raro. Infantibus dari ſolet ad gutt. xx. vel drach. ſem. —j. Huic adnumeratur oxymel ſquilliticum, quod infantibus ſcopo emetico per parva cochlearia exhibetur vel ſolum, vel uno, alterove radicis ipecacuanæ grano maritatum. Si cito ſubvertere ventriculum oportet, e. g. in caſu aſſumti veneni, vitriolum album ad ſcrup. j., vel, drach. ſem. nonnulli propinant; ſed conſultius eſt, a tam periculoſo abſtinere medicamento, cum tutiora proſtent.

Alius etiam invaluit mos excitandi vomitum, copioſa nempe aqua tepida, & leviter ſalita ingeſta: ſed ſi adeſt inertia, frigus languor, vel ſi ventriculus ſaburra plenus fuerit, hic mos contraindicatur, hinc rejiciendus.

Conveniunt jam emetica una vice, & juſta doſi exhibenda robuſtis, butyro, caſeo, pane multo, & farinaceis utentibus: item magna doſi dantur, aut potius contraindicantur emetica illis, qui mente moti, inſenſiles, tardi, ſtupidi, & ſoporoſi jacent, qui delirio febrili, vel non febrili laborant, quorum lingua cruſta nigreſcente, fuliginoſa, arida obducta conſpicitur; hi enim difficillime vomunt. Maniaci ſæpe quadrupla doſi indigent ad rite movendam emeſin. Decubuit ho-

homo maniacus in nosocomio SS. Trinitatis, cui, omne medicamentum respuenti, solutio gran. viij. tartari emetici ab infirmaria, opportunam adepta occasionem, simul & semel ingesta fuit; ter rejecit, mente postmodum sana.

Pareiori dosi, & per epicrasin dantur emetica infantibus, pueris, omnibusque debilioribus, irritabilioribusque adultis, ut fœminis, atque viris effeminatis, & vino, carniqne deditis; facile enim vomunt, ac multo sunt sensiliores, quam ut tumultus, ab emetico, una vice & justa dosi propinato, excitatos ferre possent. Item per epicrasin conveniunt emetica illis, quorum ventriculus multa, ac tenaci turget pituita; sic enim saburra hæc attenuatur, solvitur, dividitur, atque a parietibus ventriculi, quibus tenaciter adhæret, abstergitur, ut, nausea altius assurgente, facilius vomitu rejici possit.

Refracta vero dosi exhibenda emetica conveniunt omnibus illis subjectis, quibus ceterum indicatur medicamentum attenuans, solvens, resolvens, expectorans, diaphoreticum, & antispasticum, e. g. in morbis frigidis, mucosis, lentis; ubi humor lentus, frigidus, tenax, vel primas vias obliniens, chylopoësi impedimentum ponit, ejus enervando instrumenta, atque pertinacissimas circa systema chylopoëticum producit obstructiones, vel delatus ad vias secundas, ibique aut ad partem aliquam topicam depositus, aut in omnem totius corporis peripheriam diffusus, tumori frigido, molli, & quasi pastaceo fundamentum, & originem præbet. His jam in circumstantiis emetica refracta dosi frequenter exhibita pulchre

pro-

prosunt, non solum quia ventriculum in leviores contractiones ciendo, continuas, easque diuturnas producunt nauseas, sed etiam quia vasis lecteis resorpta, atque in massam sanguinis delata, corpora pigra, & frigida exstimulant: atque hac ratione largos sudores, & post sudores urinas quoque copiosas sæpenumere proliciunt.

Contingit etiam non raro, ut spasmus, a causa quadam leviori, e. g. ab animi pathemate, terrore, materia rheumatica, arthriticave, fibras vellicante musculares, exortus, partem aliquam, eamque imprimis membranaceam comprehendat, ibique circulum sanguinis impediat. Omnis igitur illa sanguinis quantitas, quæ per hanc partem, nunc spasmo tentatam, atque constrictam fluxerat, determinatur ad alias partes, & viscera, præsertim debiliora. Hinc fit in illis accumulatio humorum, atque congestio sæpenumero tanta, ut vel extremitates vasorum præternaturaliter dilatatæ, vel latera eorumdem nimium distracta, aut penitus rupta sanguinem dimittant, id est, ut hæmorrhagia vel per anastomosin, vel per diapedesin, vel per diæresin seu rhexin oriatur. Jam enim vero quidquid spasmum, ita exortum, solvit, solvet etiam hanc sanguinis accumulationem, atque ipsam adeo hæmorrhagiam sistet, solvit vero hunc spasmum emeticum, refracta dosi datum; emeticum enim arte excitat spasmum in ventriculo, hic autem spasmus, arte productus, solvit spasmum, aliunde natum, qui causa est hæmorrhagiæ præsentis. Cum ergo solvatur spasmus, solvitur etiam ipsa humorum accumulatio, producta ab ipso spasmo: soluta vero humorum

ac-

accumulatione sistitur hæmorrhagia, quæ ab hac congestione humorum excitata erat.

Etiam ex alio capite vomitorium, refracta dosi datum, hæmorrhagiam compescere valet; emeticum enim est quoque sudoriferum: hinc si hæmorrhagiæ causa sit materies rheumatica, arthriticave, eam ad corporis peripheriam exterminabit. atque sic hæmorrhagiam compescet: sublata nimirum causa, tollitur etiam effectus; atque hoc in casu perapte emeticum cum una tertia, vel quarta opii parte combinari potest: e. g. ℞. Pulv. radicis ipecac. gran. ij.—iij. opii puri gran. j., sacch. alb drach. j. sem. M. exactissime, & divid. in doses viij Sumat æger in lecto compositus, omni trihorio dosin unam, cum multo potu theato.

Jam vero cautela post assumtum emeticum observanda hæc est: ne statim post assumtum emeticum potus theatus assumatur; enervabitur enim emetici vis ita, ut aut nullus vomitus, aut non satis efficax, aut saltem una solum, alterave alvina excretio sequatur. Hinc tantum aquæ, quantum pro vehiculo requiritur, sufficit, ut bene deglutiatur assumendum. At vero prima vomitione peracta, præstat ad vomitum adjuvandum ingerere aquam tepidam, mellitam, aut leviter salitam, aut potum theatum, vel alium, non autem aromaticum, qui ventriculi tumultus componeret, & ageret qua lene purgans, & diaphoreticum; nec jusculá, præsertim paulo pinguiora, assumi debent, quæ pariter vim emetici enervant.

Mos est quorumdam medicorum, ut ventriculi tumultus, ab emetico excitatos, paregorico, 8va, 9na, aut 10ma hora a finita emetici actione propinato, componant: sed raro hoc necessarium est; plerumque enim sponte hi motus, emesi peracta, componuntur, & plerique, finita plenaria emetici actione, blandoque sudore oborto, in reficientem incidunt somnum. Subinde etiam paregoricum datum nocet, alvum enim, post emesin cum levamine fluentem, alias etiam solicitandam, ut, si quid adhuc in inferiore intestinorum regione hospitetur alieni, ano educatur, sistit cum damno ægri. Convenit autem paregoricum, post emeticum exhibendum, si emesis diutius justo perstet ex nimia irritabilitate, vel si post illam remaneat anxietas, vel spasmus ventriculi, vel si diarrhæa copiosa, & vires nimium exhauriens suboriatur.

Si quid jam ex hisce pagellis in medicinæ tyrones, quibus solis conscriptæ sunt, redundarit emolumenti, lætabor vehementer: quod si vero minus hunc attigi scopum, persuasum mihi saltem habebo, me legibus academicis satisfeciſſe.

X.

X.

J. A. WENDRINSZKY

DISSERTATIO

DE HÆMORRHAGIIS UTERI.

1784.

Largior profusio sanguinis ex fundo uteri erumpens, durante graviditate vel partu, hæmorrhagia uteri nuncupatur; ut ita a consueto sanguinis stillicidio partum concommitante, aut etiam præcedente discriminetur.

Non minus ab illo sanguinis fluxu distinquenda est, qui per alia quædam loca provenit, e. g. pervasa hæmorrhoidalia: etenim non raro contingit, ut quædam fœminæ jam olim fuerint hæmorrhoidibus obnoxiæ, vel vero solummodo tempore graviditatis easdem contrahant ab utero nimis distento, & vasa hæmorrhoidalia comprimente, sicque oriri tubercula, quæ rupta sanguinem plorent, necesse est: vel etiam ob alvum in gravidis plerumque duram & difficilem non so-

lum in ano oriuntur hæmorrhoides, verum etiam in vagina, in pudendis, labiis pudendorum, quibus ruptis non abſimili modo per has vias ſanguinem intempeſtive exitum quærere, talique modo hæmorrhagiam mentiri, quotidiana docet experientia.

Verum etiam dijudicanda hæmorrhagia venit a regulari catamæniorum fluxu, utut rariori. Nam poſtquam concepit mulier, os uteri claditur; obſervatur tamen in gravidis ſucco plenis, plurimumque ſanguinis conficientibus, præcipue 2 vel 3 graviditas menſe. Aliquibus ad 4um graviditatis menſem usque hoc contingit, imo Mauriceau noverat mulierem, cui ad 6um menſem usque, dum gravida erat, fluor menſtruus ſolida periodo redibat, & debito tempore ſanos pariebat infantes. Hoc autem in caſu ſanguis non ex uteri cavitate, ſed potius ex vaſculis vaginæ cum euphoria profluit: quod ſcitu ſummopere neceſſarium eſt, ne videlicet medicus ad gravidas vocatus, catamæniorum hunc regularem fluxum pro fluxu habeat abortum præſagiente & hoc errore vanum de abortu gravidis metum incutiat; unde diſtinguntur catamænia ab alio ſanguinis fluxu, eo quod tempore alias catamæniali periodice recurrant, & pauca quidem copia absque lumborum dolore, absque torminibus; porro ſi fluxus nullam habeat cauſam ex iis, quæ aptæ ſunt ad abortum producendum; ſed præcipue ſi ſint ſine conſueto parturientium periodico teneſmo; quamvis etiam menſtruantes abdomine doleant, & lumbis, carent tamen illo niſu, & teneſmo pariendi; denique ſi os uteri fuerit clauſum.

Ha-

Hæmorrhagia etiam eo minus periculosa esse videtur, quo maturius graviditati supervenire contingit; primo enim graviditatis mense placenta parva est, vasa uterina minus sanguine adhuc repleta, ipsum uteri osculum adeo parvum, ut facili contrahatur negotio; hinc si etiam hoc tempore ejusmodi ovuli exclusio fiat, absque magna adhuc molestia, & absque magno pariendi conatu, & absque notabili sanguinis jactura contingit; in mulieribus tamen plethoricis referente L. B. de Störk non nunquam accidit, ut primis præsertim graviditatis mensibus sine causa manifesta subitus & copiosus appareat sanguinis fluxus, qui semper periculo stipatus habetur; similiter ill. van Swieten; non tamen credendum est, uteri hæmorrhagias primis mensibus omni carere periculo. Quandoque enim post paucos dies redeunt, si vel secundinæ, vel grumus sanguinis, excusso fœtu, in utero manserit.

Verum longe magis pericnosa est hæmorrhagia, sequentibus graviditatis mensibus contingens, apud omnes inconfesso est, cum uteri vasa magis magisque dilatentur: unde dignosis periculosæ hæmorrhagiæ desumitur ex copia magna, doloribus lumborum, & abdominis (qui tamen & in menstruantibus mulieribus sæpe adsunt) & quandoque parca copia sanguinis prodit initio, quam mox sequetur ingens uteri hæmorrhagia; dum magis magisque placenta ab utero secedit, velet plura vasa chorion utero nectentia solvuntur. Præcipuum autem signum est, si uteri orificium laxatum fuerit, & dehiscat, quod naturaliter in gravidis sic connivet, ut fere clausum sit, tum parvum hiatum opplet mucosa, gelatino-

sa

ſa materies. Nullum dubium ſupereſſe poterit, ſi pleno rivo ſanguis exeat, vel & grumi concreti cruoris una cum dolore ventris, ac ſequente magna debilitate. Verum dum jam profuſa talis hæmorrhagia adeſt, ſero cognoſcitur, & plerumque abortus ſequitur. In genere autem notandum de omnibus hæmorrhagiis uteri, eas, quo validiores ſunt, quo celerius prægreſſas ſubſequuntur cauſas, & quo hæ ipſæ cauſæ potentiores fuerint, eo etiam magis & matri, & fœtui periculum minitari. Unde magnæ utilitatis erit, noſcere & illa ſigna, quæ futuram uteri hæmorrhagiam præſagiunt, ut nempe idonea medela præcaveri poſſint; ſunt autem ſequentia.

AFFECTUS ANIMI VEHEMENTIES. Per hos miræ & ſubitæ in humano corpore mutationes fiunt: ſic omnia vaſa corporis extrema in ſubito metu contrahuntur, ſanguis itaque ad majora ruere debebit; per iracundiam omnes humores rarefiunt, & plena vaſa turgent: Spartana mater inter ipſos amplexus reducis filii, quem in acie cæſum putabat, mortua corruit, præ nimio & ſubito gaudio. Si jam conſideretur, tam validos motus, validas adeo concuſſiones applicari teneris illis vaſis, quæ chorion & placentam utero nectunt, nemini mirum videri poterit, cur toties hæmorrhagia poſt validos animi affectus ſequatur. Hinc diſcere poſſunt gravidæ, quantum caveri debeant ab animi affectibus, ut & adſtantes, quantam curam adhiberi oporteat, ne imprudentia ſua prægnantes irritent, inopinato nuncio bono vel malo illas percellant.

MO-

MOTUS CORPORIS NIMII: Frequens ſatis uteri hæmorrhagiæ abortus cauſa. Moderatus corporis motus prodeſt graviditatis tempore, præcipue ambulatio; imo videmus ruſticas mulieres, dum gravidæ ſunt, facile ferre ſolitos labores, modo non nimis fatigentur, nec valido corporis nixu illos perficiant. Notum eſt, per motum muſcularem accellerari motum ſanguinis venoſi verſus cor, adeoque & augeri velocitatem circulationis per vaſa corporis; ſed etiam major vis impulſi ſanguinis in vaſa excipientia, vaſorum ſanguinisque attritus validus ad ſe mutuo fit, unde calor major, acrior indoles humorum. Si jam hi affectus conferantur cum tenera ſtructura vaſorumquæ chorion & placentam utero nectunt, ſponte patebit, a nimio corporis motu metuendam eſſe horum vaſorum rupturam quam ſequetur uteri hæmorrhagia; patet hinc quanto ſe exponant periculo gravidæ, dum choreis ducendis indulgent, itinera ſuſcipiunt, nixum validum edunt, pondera elevant &c. ſuccuſſus ſolus, carpenti præſertim, ſi celeriter vehantur in viis aſperis, toties hæmorrhagiam uteri fecit, & abortum illudque diſcrimen tanto majus eſt, quanto viciniores ſunt partui.

HYSTERICA ET EMENAGOGA MALE APPLICATA. Leniſſima quidem antihyſterica, & cardiaca moderata lanquentibus primis graviditatis menſibus, præcipue illis conveniunt, quæ mobile admodum genus nervoſum habent, cum ſæpius paſſionibus hyſtericis corripiantur; attamen omnia illa acria, quæ nomine emenagogorum veniunt, uterum ipſum, vel vicinas utero partes afficiunt, & in contractionem validam ſtimu-

mulant, merito adnumerantur cauſis hæmorrhagiæ uterinæ; ſed etiam inde periculoſſimus contingit abortus, quia talis abortus, qui per emenagoga procuratur, non niſi poſt validiſſimam remedii validiſſimi actionem ſequitur, quod remedium omnium primo in matris ſanitatem & dein in fœtum agit. Hinc patet, quam funeſtus ſit exitus, dum ſcæleſtæ mulieres abortivis remediis ſumptis fœtum depellere conantur.

Percuſſio inferioris partis abdominis: uterus enim, contento fœtu turgens, anteriorem abdominis partem occupat, unde motus fœtus in utero applicata manu, facile ſentiri poteſt. Tali vi illata, non tantum nexus chorii, & placentæ cum utero deſtrui poteſt, ſed & ipſe uterus findi; hæc eſt ratio, quare lapſus gravidis adeo periculoſis ſit, præcipue ſi pronus fuerit, cum fere ſemper tunc prominulum abdomen humo impingat. Unde etiam ſacris literis ſævera ſtatuitur pœna illi, qui gravidæ mulieris abdomen percuſſerit.

Celeberrima & frequentiſſima hæmorrhagiarum uteri, & abortus in gravidis cauſa eſt placenta prævia, ſi nempe contingat, ut placenta orificio uterino ſuperextenſa ſit, non accreta fundo uteri, aut ejus lateribus, ſed ſuperſcandat ipſum uteri orificium neceſſe eſt, ut utero grandeſcente, & uteri cervice, orificioque aliquantum diſtracto, tractu temporis ſuper extenſa placenta pariter diſtrahatur & uteri increſcente mole, hinc inde nexus ſolvatur; ſequetur ergo tunc hæmorrhagia a pededentim ſoluta ab uteri orificio placenta; hæmorrhagia inde orta erit ini-

initio lenta & parca, & merum ſolummodo ſtillicidium, per aliquot iterum dies, modo remedia antiphlogiſtica acceſſerint, remittit, ſed repetet rurſus de tempore in tempus poſterior hæmorrhagia, aut recurſus hæmorrhagiæ intenſior erit priori. Non quocunque graviditatis menſe hæc ſpecies hemorrhagiæ obſervatur, ſed ſæpenumero circa ultimos graviditatis menſes; incipit plerumque 7 jam menſe, & tunc usque ad abortum, vel in paucis usque ad partum repetit. Dignoſcere autem hanc hæmorrhagiam oportet ab omni alia, quia in omni alia partus non erit propterea accellerandus, aut non niſi in pauciſſimis, in hac vero paulo intenſiori partus erit etiam manu accellerandus; unde dignoſcitur per characteres, paulo ante recenſitos, quod nempe absque manifeſta cauſa, ex qua alias hæmorrhagiæ oriri ſolent, nata ſit; quod inceperit primum menſe 7 aut poſterioribus, quod initio lenta & parca fuerit, ſed frequenter repetierit, identidem intenſior priori. Optima tamen diagnoſis habetur ex ipſa exploratione obſtetricantis; cum facile liceat profecta jam graviditate manu & digitis præviam placentam a membranis ovi diſtinquere; quod ſi actu hæc hæmorrhagia adſit, etiam id dicriminis habet, quod ſub actuali pariendi dolore & teneſmo intenſior fiat, eo vero teneſmo pariendi finito per intervalla miteſcat aut ceſſet omnino; ſecus foret ut in aliis hæmorrhagiarum ſpeciebus, utpote quæ recurrente pariendi dolore plerumqne per momentum ceſſant, & tempore inter dolorem pariendi intermedio recrudeſcunt. Hæmorrhagiam hanc initiantem ante tempus pariendi, obſervatamque 7 aut 8 menſe ad aliquot ſeptimanas & menſes ſolantur

et

et ſuſpendunt ſola ferme quies, aut V. S. parca in brachio inſtituta, decubitus ferme perpetuus in lecto; diæta & medicinæ antiphlogiſtica medendi ratione poteſt aut tolli omnino aut ad inſigne moderamen reduci. Nil proderit, nil ſiſtet progreſſam jam aliquantum hæmorrhagiam, niſi uteri plenaria evacuatio & quidem accelerata; hinc tunc oportet, manu prompte immiſſa placentam orificio ſupertenſam, & jam ſemiſolutam pœnitus ſolvere, & immiſſa manu verſum infantem arreptis pedibus extrahere.

PLACENTÆ PHÆMATURA SEPARATIO videlicet ſi fœtu nondum excluſo, placenta vel ex parte ſecedat, vel ex toto; oritur tunc hæmorrhagiæ quædam ſpecies, quam internam appellant; tunc temporis nullus de pudentis ſanguis effluit, quia ingreſſus jam fœtus ſanguini ut plurimum exitum præcludit. Caſus hic periculoſus cognoſcitur.

Dum venter ſubito intumeſcit, expalleſcit parturiens, vehementia accedunt animi deliquia pulſus parvus, inæqualis, vacillans exploratur, manus pedesque frigus, & univerſum corpus gelidus ſudor occupat. Caſus hic periculo pleniſſimus eſt, & ſi fœtus ilico per artem educi nequit, ut uterus ſe ſe contrahendi ſpatium aquirat, accidit non raro, ut tam parturiens, quam fœtus morti ſuccumbere cogantur. Diverſæ cauſæ ſunt, cur placenta maturius ſolvatur, ſolvaturque fœtu nondum excluſo. Fors minus firma erat cohæſio placentæ jam ab origine? fors funiculus umbilicalis nimis brevis erat, ita ut fœtu aliquantum promoto abſtraxerit placentam, fors

fors circumdatus erat funiculus umbilicalis collo fœtus ita, ut hac ipsa ratioone fuerit abreviatus.

RUPTURA UTERI. Causa vel est in parturiente, ut uteri tenuitas topica, abscessus, gangrena uteri, violentia externa utero illata, violentissima uteri contractio in partu laborioso impossibili. Vel causa est in fœtu, ut si tetano corripiatur, vel situm transversum habeat, vel etiam in obstetrice est, si manum violenter in uterum reprimit.

Signa rupturæ instantis sunt dolor & ardor fixus in quodam uteri loco.

Signa uteri jam disrupti, sunt fragor seu sonus crepaturæ sub acerrimo & diu durante partus dolore, quem fragorem parturiens & adstantes quandoque audiunt; subitanea dolorum remissio, hæmorrhagia uterina, recessus capitis vel alius partis ante perceptum fragorem in orificio uterino; prævia exploratio orificii uterini vacui & fœtus ex utero in abdominis cavum pro parte vel integre elapsi, quandoque tactus intestinorum in uteri cavo, quandoque manus per vulnus ad intestina penetrat; symptomata atrocia, ut animi deliquium, ardor in utero, faciei pallor, extremitatum frigus, respiratio suffocativa, pulsus parvus, celer, intermittens, quandoque convulsio, & ut plurimum mors intra aliquot dies. Si rupturæ instantis suspicio exigit, ut parturienti omnis elaboratio dolorum interdicatur, atque ut partus acceleretur, quæ partus accelleratio diversa ratione contingit; scilicet ver-

sio-

ſione, ſi is adhuc ſitus ſit, & ea fœtus altitudo, ut arreptis pedibus verſio fieri poſſit; verum ſi caput jam in pelvi hæreat, promotumque ulterius ſit, partus abſolvi celeriter etiam forcipe debet, fœtu vero extracto, uteri contractio diverſis obtinetur modis, ſuo loco exponendis. Medela rupturæ jam factæ exigit, ut fœtus, ſi per uteri vulnus deprehendatur in abdomen ſemielapſus, in uterum retrahatur, & verſione educatur; ſi vero fœtus per uteri vulnus inveniatur totus in abdomen elapſus, tunc gaſtrotomia indicaretur, ut fœtus poſſet educi; at ut plurimum peſſimorum ſymptomatum, & mortis inſtantis præſentia quemlibet ab operatione deterrent: moriuntur infelices hæ matres ut plurimum intra aliquot dies ex uteri & abdominis gangræna. Interim tamen habentur caſus, quod fœtus extra uterum lapſus per abſceſſum, vel gangrænam topicam abdominis exierit, & mater fuerit ſervata.

ATONIA UTERI. Elater uteri perit, atoniaque inducitur, ſi is tempore graviditatis fuerit nimium diſtentus, & ultra modum quacunque demum ratione, quocunque corpore: ſive aquis amnii abundantibus, ſive fœtu monſtroſo, gemino trigemino, ſive fœtu hydropico, tympanitico; quacunque enim ratione uterus nimium diſtendatur, vim ſuam contractilem fibrarum amittit. Cauſæ aliæ poſſunt eſſe atoniæ uteri vis vitæ e. g. debilior ob ſanguinem jam deperditum, ob morbos fors tempore graviditatis exantlatos, fors ob cacochymiam, chloroticam conditionem fors ob inertiam quamdam, quemdam lanquorem undecumque aquiſitum; obſervatur etiam

poſt

poſt partus jam plures prægreſſos, poſt habitos jam plures abortus; itidem a placenta majoris molis & præter modum magna, denique poſt partus nimium diuturnos atque ſumme difficiles.

PARTUS TOTIUS OVI HUMANI. Scilicet cum integris membranis & placenta excluſio tunc nempe evenit ubi v. 9. pelvis jam originarie nimis ampla eſt, hinc facillimus, celerimusque contingit partus unde datur partus quædam facilitas periculoſa. Ratio facile patet, cum enim integrum ovum cum integris membranis repente & celeriter excludatur, vaſa uteri, hiantia tam brevi tempore contrahere ſe ſe nequeunt, nec fluenti ſanquini obicem ponere.

Ubi quidem integrum ovum humanum ſimul & ſemel non excluditur, ſed ubi fœtus cito & facile excluditur placenta mox inſequente, fit ſæpe numero ex eadem cauſa hæmorrhagia. Novimus enim uterum primo aquas expellere; dein poſtquam aliquantum contractus eſt, excludere novis conatibus fœtum, & tandem novos conatus pariendi denuo oriri, ut quodamodo denuo pariant ſecundinas. Per hoſce gradus incipit uterus contrahi pedetentim, quod ſi enim excluſio fiat totius ovi, ut ita dicam aquarum nempe & ipſius fœtus & ſecundinarum ſe nimis cito inſequentium, uterus evacuabitur, priusquam novas vires colligere poterit; ſe contrahendi; hinc hæmorrhagia.

VULNUS violento inſtrumentorum uſu illatum, aut violenta placentæ avulſio poteſt eſſe cauſa hæmorrhagiæ uterinæ poſt partum.

PLA-

PLACENTA SEMIAVULSA. Quamdiu placenta ex toto adhuc utero cohæret, vasa sanguinem postmodum fundentia sunt adhuc obturata; & si semiavulsa sit placenta, per illa orificia vasorum patula, ex quibus placenta soluta est, sanguis proruet, sed vasa illa claudi non possunt, ob prohibitam uteri a restitante placenta contractionem. Etenim placenta ex toto avulsa, sed restitans in utero, & ejus constrictionem prohibens, hæmorrhagiam causat.

GRUMUS UNUS MAJOR, *Pluresque* sanguinis, sanguis nempe copiosiore quantitate coagulatus & in utero restitans, causa est hæmorrhagiæ uterinæ; contingit enim, ut ob spasmos oris uterini sanguis cohibeatur & grumosus evadat, grumique hi uteri contractionem prohibeant.

INVERSIO UTERI. Completa & incompleta: Illa rarior est, visa tamen a magistris artis obstetriciæ descriptaque, ubi videlicet ab imprudenti & violenta funiculi tractione protrahebatur invertebaturque totus uterus. Hæc frequentior est, & in partu nimis præcipitato & accelerato fundus uteri tunc inversus introrsum hiat sæpe ad os uteri usque, sæpe in vaginam usque protensus; unde pars aliqua ab osculo uterino contracto incarceratur strangulaturque; uteri completa inversio plerumque, aut vix non semper lethalis est, nisi eo ipso momento repositio fiat; etenim fit strangulatio, inflammatio, gangræna; visa tamen est pedentim facta ex morbo chronico non lethalis.

DO-

DOLOR, a partu reſtitans validior, perſtans absque ullis intervallis: dolor aliquis cum conatu pariendi per intervalla recurrens adeſſe ſemper debet, & ſolet. Nam novimus doloribus pariendi & placentam excludi etiam ſanguinem grumoſum; hi dolores ſub nomine dolorum poſt humorum venire ſolent, & neceſſarii ſunt, plerumque hiduo, triduove perſiſtunt, leviores identidem fiunt, & recurſantes & intervalla longiora. Aſt ſi dolores hi majores ſint & aſſidui, ſi oriantur a nervorum eretiſmo, hæmorrhagiæ dant occaſionem, cum dolor hic continuo humores alliciat ad locum irritatum vaſisque patulis compoſitum.

Expoſitis hæmorrhagiarum uteri, ante, ſub & poſt partum cauſis, videre juvat medendi methodum.

QUIES ANIMI COROPRISQUE. De hac re unanimis eſt apud omnes conſenſus; cum enim, uti prius dictum eſt, corporis motus nimii & validi animi affectus cauſæ frequentes ſint hæmorrhagiæ uterinæ, ſponte patet, quietem eſſe ſummopere neceſſariam, ne per patula uteri vaſa exeat omnis omnino ſanguis & inevitabilis mors ſequatur. Veſtes hinc ſtatim ſolvendæ ſunt, ne per vaſa externa nullo modo premantur, ſicque augeatur copia ſanquinis mot: per vaſa interiora. Poſtea curandum, ut horizontaliter decumbant: ſitus talis ut caput declive ſit, omnino confert, ſed ſolum etiam efficax utique remedium eſt, ad impediendam ſincopem, quæ quidem ſubinde utilis eſt, cum orta lypothymia ſanguinis fluxus facilius ſiſtatur; ſolummodo in illa hæmorrha-

morrhagiæ ſpecie non convenit, ubi atonia uteri eſt: in hac vero tinctura cinnamomi decantatur; imo vix ullo diſcrimine in omni ferme hæmorrhagia uteri adhibetur, verum tamen malo ſane cum effectu; cum hæmorrhagiæ varias cauſas, quas paulo ante recenſui, agnoſcant; hinc non facile, imo nec minimum quidem hac tinctura eſſe tollendas, ratio ſuadet. Sic. v. g. in hæmorrhagia 7. graviditatis menſe, ob magnum motum humorum, vel plethoram orta, certe hæc tinctura nocebit; ſed quies, V. S. emulſa nitroſa hanc component, & ſedabunt, quæ ſi poſt breve tempus redeat, aut plane ultimis jam ſeptimanis aut prius dicta erit cauſa, aut placenta prævia; unde iisdem remediis pugnandum, partuique attendum erit. In hæmorrhagia ante partum, a placenta debito licet in loco utero adnexa, fœtuque in utero adhuc incluſo, ex parte tamen vel ex toto ſoluta, exemptio fœtus & ſecundinarum neceſſaria erit. In hæmorrhagia ultimis graviditatis ſeptimanis exorta, quæ cauſam non in utero ſed vel in vagina, vel in hæmorrhoidibus agnoſcit, cum tunc nullus dolor luuuborum aut teneſmus pariendi oriatur, non juvabit hæc tinctura ſed iterata quies & methodus antiphlogiſtica. In hæmorrhagia poſt partum ob placentam ſemiavulſam remanentem, & impedientem contractionem uteri, remotio ipſius placentæ ſufficiet. Similiter in hæmorrhagia poſt partum, ubi licet fœtus, & placenta excluſa ſint, ſanguis tamen ſtillans congrumeſcat, ac contractionem uteri impediat, exemptio, ſi poſſibile eſt, tentanda vel enema irritans applicandum, vel etiam ſimilis injectio in uterum fiat, & ægra erecto corpore ex

le-

lecto eximatur. In hæmorrhagia uteri poſt partum, licet omnes partes facili negotio, parvo aut cum dolore nullo excluſæ fuerint ob atoniam, tamen uterus extenſus maneat & ſanguinem continuo ploret, actu frigida applicanda erunt; plura ſuo loco referam. At vero tinctura cinamomi juvabit in hæmorrhagia poſt partum orta, ubi animi deliquio prægreſſo omnia excluduntur hæmorrhagiaque continuat ſub animi deliquio, tunc inquam, tinctura hæc tales ex lypothymia, ex delirio hyſterico excitat, quo facto uterus contrahitur & hæmorrhagia ſiſtitur.

PHLEBOTOMIA in uteri hæmorrhagiis, præcipue iis, quæ poſt partum ſequuntur, nunquam locum habet, & in hæmorrhagia uterina ſub & poſt partum ſequente, nunquam indicatur. Multum autem poteſt V. S. in ſtillicidio levi a motu nimio corporis orto in gravida cum metu abortus, porro in cavenda uteri hæmorrhagia, ſi poſt lapſum gravidæ metuitur futura, uerito etiam adhibetur, dum paucis vaſis ſolutis parcior copia ſanguinis ex utero prodit; ſic enim una cum quiete corporis & mentis quandoque cavetur hæmorrhagiæ augmentum & impeditur abortus; in hac ergo ſpecie hæmorrhagiæ initiantis præſente adhuc ſpe abortum præcavendi indicatur V. S.

ADSTRINGENTIA. In hæmorrhagiis uteri magnis ſubeſt poſt partum ortis nil proſunt. Novimus lethalem hæmorrhagiarum vim, easque intra breve tempus enecare. Novimus adſtringentia immediate ad vulneratum locum pervenire non poſſe, ſed deglutita debent primo per va-

ſa abſorbentia ventriculi, & inteſtinorum reſorberi, ſicque ſenſim tantum & dilute admodum poterunt pervenire ad locum affectum; unde patet in hæmorrhagia tantum parca, tarda, recurrente per longa intervalla, & proveniente a quadam laxitate corporis, quæ ægrum ſenſim conficit, adſtringentia prodeſſe ſcopo roberante; novimus enim adſtringentium refractas doſes, ut ſuccus terræ catechu, alumen &c. longo tempore propinata inſigniter & potenter roborare, atque ita roborando comprimere lentas & chronicas hæmorrhagias.

OPIUM. Omnes medici noverant, quantum perturbentur gravidæ, dum pro ſe & fœtu metuunt, ſimul ac percipiunt, adeſſe uteri hæmorrhagiam, adeoque ob hanc etiam cauſam conducerent opiata; ſed etiam in hac hæmorrhagiæ ſpecie prodeſt opium, cujus cauſa eſt irritatio, ſi nempe in utero eretiſmus quidam, quædam irritatio undecumque proveniens illum ſtimulum iritantem non auferendo quidem, ſed ſopiendo & quemdam languorem, inertiam ſaltem temporariam inducendo nervis irritatis: prout ſubinde opium mictum eruentum ſopit, provenientem ab irritante calculo, ſic etiam hæmorrhagiam uteri idem opium ſiſtit; hinc ſi dolores poſthumi dicti, adeo validi ſint in corpore valde itritabili, ut ipſa dolorum exacerbatio & ſævities humorum motum majorem ciet, & hæmorrhagiam excitet, ſopiendo dolores, opium ſopiet hæmorrhagiæ cauſam, & ſopita hac cauſa ipſum ſanguinis fluxum indirecte ſopiet.

Pro-

Proderunt etiam Ligaturæ artuum, ſi ſolum compreſſerint venas arteriis liberis manentibus, utpote difficilius comprimendis, ſi ita applicentur, ut partes infra ligaturas tumeſcant; puto tunc convenire ligaturas in quacumque hæmorrhagia.

INJECTIO ADSTRINGENTIUM. In uterum jam a Galeno commendabatur, ſed poſtmodum efficax hoc, & præſentaneum hæmorrhagiarum remedium ferme neglectum jacuit, licet certo ferme unicum ſit, quod uterum poſſit in contractionem urgere, unicum, quod in atonia uteri indicatur; memorat ipſum v. referente Schmellio injectum fuiſſe, & hoc liquore fuiſſe hæmorrhagias compreſſas; alii quidem acetum purum injectum, complures oxycratum, idque frigidum; ſervit haec injectio oxycrati in utero evacuato ob atoniam ſeſe non contrahente, atque ita ſervit, ut vix aliud habeatur potentius & magis præſentaneum remedium.

Verum tamen, quid ſi foret haemorrhagia a corpore alieno, in utero contento prohibente uteri contractionem? quid ſi id corpus ſtatim eximi non poſſet v. g. fœtus trium, quatuorve menſium, ut etiam ſemivulſa placenta, cujus altera pars adhuc validiſſime accreta eſt, eximi non poteſt ſine periculo, quid inquam tunc eſſet faciendum? Etenim injectio hæc cum oxicrato facto eo usque ad vaſa patula ruptaque vix perveniret; quid ſi ſanguis pleno rivo profluereret? etiam ſi corpus alienum in utero non amplius reſtitaret, vel ſi cum tanto impetu profluens ſanguis eſſet, ut injectum liquorem prohiberet, ne-

que admitteret ad ipsa hiantia vasa uteri vel si pro infortunio syringa &c. deesset? & casus foret urgentissimus. In his casibus utique injectionem fieri non posse patet. Adjuvabit magna turunda in vaginam & in ipsum, si fieri possit, uterum intrusa, imbuta aceto vel oxycrato frigido; prodest eximie ingens talis turunda in atonia uteri evacuati, si nempe is liber sit a grumis sanguinis, dein, si quoddam adhuc corpus uteri contractionem prohibens in utero restitaret, sed quod hic & nunc eximi nequit. Item in hæmorrhagia uteri thraumatica, si nempe idem uterus sanguinem fundat copiosum, qui læsus fuit, aut violenter abstractis secundinis aut alia rudi obstetricantis manu, aut inepta instrumentorum applicatione. Tandem si hæmorrhagia uteri oriatur a placenta prævia, osculo uterino supertensa eo modo, quo jam dictum est, vix aliud juvabit ad cohibendam aliquo tempore hæmorrhagiam, quam pessarius ejusmodi ex linteaminibus confectus aceto frigido imbutus & intrusus.

Cæterum priusquam morbi parturientium & actu parientium absolvantur, juvat sequentes quasi notas addere & cautelas.

I. Nota, ubi atoniæ suspicio, non est partus accelerandus sed potius, si fieri possit, retardandus, nempe non adjuvando dolores partus. Novimus enim conatus pariendi quidem pœnitus inhiberi non posse, attamen eos posse suspendi si mater eosdem non adjuvet inhibentur ad aliquot tempus, suspenduntur decubitu eoque tranquillo.

II. Nota, hæmorrhagiam hanc, ab atonia uteri oriundam cæteris omnibus hæmorrhagiis esse multo frequentiorem, de iis loquor, quæ sub & post partum oriuntur.

III. Nota, hæmorrhagiam hanc non quocunque tempore observari, sed mox a partu post fœtum excluſum.

IIV. Nota, ab adstantibus hanc sæpe non animadverti, non observari initio, sed serius tantum, dùm mater jam cum morte luctatur. Etenim cum mox ab excluſo fœtu insequatur, aut secundinis excluſis, cum sit lypothymia, & dein cum syncope, denique cum plerumque recens natus infans circumstantes omnes in se convertat, & puerpera sola jaceat, non observatur, hinc fit, ut hæmorrhagia hæc etiam ex hoc capite periculosa evadat. Hinc fœtu excluſo semper videndum est, quantum sanguinis profluat & quamdiu, qua propter non est discedendum a puerpera usque dum securi simus, hanc hæmorrhagiæ speciem non oriri; donec viderimus, formari globosum corpus supra pubem; hinc etiam semper ad manus sint ea omnia, quæ in casu necessitatis usui esse possint & requiruntur, ut est aqua frigida, acetum, syringa & linteamina apta.

V. Nota, hanc esse illam hæmorrhagiam, in qua tinctura cinamomi tantis effertur laudibus in qua etiam vinosa & frictiones prosunt, nocet vero quies &c. attamen nollem ego tincturam cinamomi cum frictionibus abdominis adhibere, cum hæc sola sufficere non possint aut raro, hinc cum his stimulantibus, excitantibus (hac enim

ſolummodo ratione, juvant remediis applicandum eſſet aliud remedium, multo efficacius nempe injectio frigida ſubadſtringens, aut peſſarius aceto imbutus.

VI. Magni momenti res eſt, ne partum urgeamus ante tempus, ne forte partum proclamemus difficilem laborioſumque, qui ſolum pauculum difficilior eſt, & naturalis; hinc juvat videre multos partus naturales, falſa enim opinio eſt, partus naturales inſtruere nos nullatenus poſſe. Obſtetricans imperitus, qui non vidit, quam variis modis natura ſe juvare poſſit & ſoleat, fors ad arma clamabit, & ineptam medelam & ineptum nocivumque apparatum ei adhibebit, ubi alter peritior cunctando & negotium naturæ committendo, matri æque ac fœtui conſulit.

VII. Oportet hinc ſcire pro ſecma medela, non ſolum diverſos naturalis partus modos ſed etiam quantum ſanguinis ſoleat in partu naturali profundi, ut æſtimare poſſimus, an adſit hæmorrhagia, nec ne, an is fluxus ſanguinis adeſſe debeat ſitque ſolenis. Varia eſt menſura profuſi ſanguinis in partu naturali, ita ut obſtetriciæ artis magiſtri certam regulam ſtatuere nequiverint; attamen contineri aſſerunt in partu naturali plerumque intra libram ſemis & duas, licet non raro plus etiam in partu naturali profundatur ſanguinis, quam libræ duæ; menſura ergo capi poteſt ex aſpectu, imo etiam ex pulſu, dum enim pulſus viget, non eſt timenda nimia ſanguinis jactura, niſi forte lypothymia aut ſyncope nos in errorem duceret.

XI.

VIII.

SIGISM. BARISANI.

DISSERTATIO

DE INSITIONE VARIOLARUM.

1780.

CAPUT I.

De variolarum naturalium ſtrage, ac fatis inoculationis.

De inoculatione variolarum ſcripturus optimum fore cenſeo, ſi prius quid de ſtrage variolarum naturalium, ejus cauſis, ac fato inoculationis in genere diſſeram, ut utilitas (non dicam neceſſitas) inſitionis magis eluceſcat.

Etſi

Etsi mors variolantium naturalibus variolis non semper adscribi possit, sed sæpe (ut opinor) malæ medendi methodo, quæ apud vulgus (quod raro utitur in hoc morbo medicis) plerumque in stimulantibus, & antisepticis, ac apud non paucos medicos in antiphlogisticis consistit remediis, quin ad genium febris concomitantis, diversaque attendant symptomata, quæ aliam forte methodum medendi expeterent; etsi calculus, juxta quem septimus quisque variolis naturalibus decumbentium moreretur, exorbitare videatur, aut saltem non quælibet regio de tanto hoc morbo mortuorum numero lugeat, ut ex calculo ab *Illustrissimo L. B. van Swieten* (a) Viennæ facto patet, quo quinquagesimum quemque ad summum mori decernitur: certum tamen est, sat multos hoc malo trucidari, quod nullus, nisi præjudicio captus, in dubium vocabit, qui variolas natutales omnis ætatis, & temperamenti homines, ægros æque, ac sanos afficere posse, & frequenter afficere, considerat.

Horum consideratione ducti, & de bono reipublicæ soliciti medici de remedio, quo major variolantium numerus conseruari posset, cogitabant.

Diversis igitur experimentis cum mercurio dulci, cinnabari, camphora, moscho, aqua picis, largissimis venæsectionibus, & aliis adhuc remediis feliciter institutis, sed non penitus ex voto ce-

(a) Comment. Aom. V. pag. 145.

cedentibus tentarunt tandem inoculationem, temerario (ut videretur) ausu, si hanc non jam diu a Græcis, Turcis europeis, Affris, aliisque barbaris nationibus egregio cum successu institui sciviſſent.

Sed ut in omnibus quid humani est, sic & in hac re erat. Brevi enim insitione etiam ab incautioribus inoculatoribus facta, neque hoc remedii genus, quod omnium optimum promisit eventum, ab omni infamia immune persistebat.

Hinc insurrexere quidam medicorum, neces plurium inoculatorum videntes, qui, axioma medicum, quasvis res non naturales bono usu bonas, aut malo malas fieri, non satis perpendentes, utilitatem insitionis dubiam esse credebant, aut omnino atro depinxere calamo. Insurrexere Theologorum aliqui, medicorum ratiociniis seducti, qui inoculationem legibus naturæ, divinisque illicitam esse vulgo, novis inventis aliunde facile infenso, persuadere nitebantur.

Unde bella oriebantur litteraria, ad scientiarum incrementum optima, si non frequenter pugnaretur armis, quæ viros doctos non decent, nec indocti, ut videantur docti, se his litibus immiscere amarent, quod etiam in hoc bello contigisse dolendum est. Non enim omnes ad veritatem erruendam pugnabant, sed ut gloriam, quam propria doctrina assequi non audebant, viris de re medica optime meritis acri & mordaci stylo eripiant. Ex utraque parte acriter dimicabatur. Aliqui insitionis defensores calculis tunc temporis, quo inoculationis negotium ut a

pau-

paucis tanta prudentia, ita nec tanta ac hodie fortuna tractatum fuit, certo non exactis, sophismatibus, fictionibus, variisque contra antiinoculatores injuriis insitionis gloriam reparare tentabant, quod, ne factum fuisset, quilibet æquus rerum æstimator ad ipsam inoculationis famam exoptabit. His non victi, sed jure merito offensi antiinoculatores & horum aliqui debitos transgressere limites, ac sophismata sophismatibus, fictiones fictionibus, injurias injuriis repellebant.

Tandem principes omnia, quæ ad felicitatem, & conseruationem subditorum quid conferre videntur, avida arripientes manu, viris & doctrina claris, & veritatis amore notis ad litem, quæ circa inoculationis securitatem oriebatur decernendam experimenta instituenda jusserant; quo denique factum est, ut hodie ferme nullus medicorum de utilitate insitionis dubitet. Utinam nec populus, clamoribus nimis anxiorum in contrariam abreptus sententiam, de hac veritate dubitaret!

CAPUT II.

De certis inoculationis commodis,

Ne autem me gratis quidquam assumpsisse videar, utque ea, quæ circa inoculationem ipsam instituendam dicturus sum, clariora evadant; non incongruum fore duxi, si hoc, & sequentibus

bus duobus capitibus variolarum tam naturalium quam inſitarum commoda, & incommoda a viris non ſolum expertis, ſed etiam ab omni partium ſtudio alienis obſervata, recenſere, ac explanare ſatagam.

Obſervatione *Sydenhami* (a), & aliorum conſtat, variolas eo tempore, quo epidemia, inprimis febris bilioſa, aut putrida regnat, facile malignas reddi, eoquod ab epidemia fere ſemper quid participent, duplicatusque morbus cæteris paribus certo minus periculo careat. Si igitur ad inſitionem tale eligamus tempus, quod nulla epidemia infame eſt, omnium maximum variolarum naturalium incommodum evitabimus. In populoſioribus quidem urbibus raro tempus ab omni epidemia liberum exſtat, ob aeris forte puri defectum; ſed aliunde non ſuaderem, in civitatibus inoculationem inſtituere, quum ob commercium hominum in his vix non inevitabile & aliorum infantes, commodo a me poſtea recenſendo deſtituti, affici poſſent. Celeberrimus enim *Roſen von Roſenſtein* (b) ait — Es iſt genug, wenn nur einer von einem ſolchen Ort, wo die Pocken eingeriſſen ſind, her iſt. Er kann das anſteckende Gift entweder durch ſich ſelbſt, oder ſeine Sachen mitführen. Et pluribus exemplis aſſerti hujus veritatem ſatis (ut mihi videtur) demonſtrat. Neque negari poteſt, variolas per

(a) Oper. omn. editiot. genevæ. Tom. I. Sect. II.

(b) Anweiſung zur Kenntniß und Cur der Kinderkrankheiten, pag. 129.

per inſitionem natas contagium ſpargere poſſe, aut miaſmate contagioſo gaudere, *Illuſtriſſimus* enim *L. B. van Swieten* (a) pus variolarum inſititiarum alteri homini applicatum produxiſſe variolas, & ſic in nonum uſque derivatum fuiſſe eodem cum ſucceſſu aſſerit. Unde contagium per inoculationem non minui, ſed æque actuoſum manere concludit.

Variolæ naturales ægros, valetudinarios, reconvaleſcentes, quorum vires, a prægreſſo morbo deperditæ, nondum reparatæ ſunt, gravidas, puerperas, uno verbo, ſubjecta quæcunque ſine diſcrimine infeſtant. Non autem quaſuis ægritudines, variolis conjunctas, periculo carere evictum eſt, ad morbum perferendum vires vitales illibatas omnium primo requiri; gravidis, puerperis &c. variolas plerumque male cedere. Hinc magni etiam erit momenti, ſi hic morbus homines in tali ſtatu adoriatur, quo ab his, & pluribus aliis adhuc malis nil ipſis timendum eſt, quod emolumentum inoculatio nobis optime præſtabit. Nam hujus ope ab arbitrio noſtro dependet, variolas excitare tali tempore, quo inoculandus ab his incommodis immunis invenitur.

Aſt non credendum, quosvis morbos, variolis conjunctos, pernitioſos eſſe; immo exſtant exempla morborum inoculatione curatorum. Minime ergo ſuperfluum erit, ſi circa hæc paulo plura dicam.

Va-

(a) Comment. Tom. V. pag. 149.

Variolæ tam naturales, quam inſititiæ ex claſſe morborum febrilium ſunt; omnis igitur morbus, qui inter febriles recenſetur, aut qui a febre accedente exaſperatur, fugiendus erit, ne ignem igni addamus, aut incidamus in ſcillam dum volumus evitare charybdim. Hinc hœmoptoe, diarrhæa, dyſſenteria, vermes & innumeri alii morbi, quos theoria medica bene imbutus facile determinare poterit, inoculatoribus erunt evitandi.

Verum non ſolum morbi, ſed & tales hominum ſtatus, quibus febris ſuperveniens pernitioſa fieri poſſet, ut graviditas, puerperium, pubertas inſtans, inſtantia conamina catamœniorum, dentitio nondum abſoluta &c. cum inſitione ſine ſumma neceſſitate (quam exiſtere poſſe vix mihi imaginari poſſum) nunquam jungendi erunt.

Morbo autem tali affectis, qui febre excitata curantur, ut ſunt glutinoſum ſpontaneum, fibrarum laxitas, rachitis &c. inſitionem facere non ſolum tutum exiſtimo, ſed etiam ſalutare; quum in tali ſubjecto variolæ ſine diſcrimine ſuperentur, alio tempore forte periculoſiores, & morbus præſens ſimul ope febris, per inſitionem excitatæ, auferri poſſet.

An in luoſis æque tutum erit inſitionem inſtituere, certo afferere non audeo; etſi certum ſit, luem veneream febri excitata ſanari, & fauſto inſuper eventu inoculationem aliquoties in venereis inſtitutam fuiſſe, obſervatum ſuerit.

Ego

Ego ſaltem hucuſque ſanarem prius luem, antequam inoculationem ſuſciperem. Tutior enim (ut opinor) hæc via erit, & ideo in noſtris ad minimum regionibus eligenda, ubi, quum inſitio nondum ſat divulgata ſit, facile mors unius aut aliquorum incolas ita terrere poſſet, ut vix ullus ſe amplius huic operationi in poſterum ſubducere auderet.

Quare autem quid timerem in lue venerea affectis ab inſitione eſt id, quod in venereis perſæpe inflammationes peſſimi moris eſſe ſoleant, ad quarum claſſem variolas (ſi non cum alia febris ſpecie complicatæ ſint) pertinere nullus dubito.

CAPUT III.

Commoda inſitionis incerta aut minoris momenti.

Hucuſque commoda recenſui, quorum accurata obſervatio maximæ eſt utilitatis; nunc partim talia recenſebo, quorum utilitas non tanti eſt momenti, quæ tamen obſervare (ſi poſſibile eſt) multum proderit, quum, quo cautiores erimus, eo minus fama inoculationis periclitabitur; partim talia, de quorum utilitate hodie dubitatur.

Omni quidem anni tempore, dummodo non graſſetur morbus epidemicus, variolæ inſititiæ obſervabantur bonæ; ſecuritatis tamen gratia melius

lius fore cenſeo, ſi ad inſitionem tale eligatur anni tempus, quod viciſſitudinibus aeris, frigore, aut calore nimio nocere poſſe, ne minimam nobis ſuſpicionem movet. Hinc *ultimum* veris tempus, quod omnium conſtantiſſimum ut plurimum eſt, nec calore, nec frigore nimio ægris detrimentum afferre ſolet, ad inſitionem commodiſſimum erit. Aeſtas enim ob calorem nimium, a quo ægros defendere vix non impoſſibile eſt, ad febrem bilioſam, putridamque diſponit. Autumnus & primum veris tempus viciſſitudinibus aeris obnoxii ſunt, & ſæpe morbi epidemici, quos tamen vitare quilibet inoculator cupit, his temporibus exiſtunt. Hyeme optimo variolarum remedio, ſcilicet aeris renovatione, abſtinere coacti ſumus, quum ob frigus, in noſtris regionibus & firma ſanitate gaudentibus vix ferendum, variolantes in cubiculis degere cogantur, quorum aerem luſtrare non ubique facile erit.

Alterum inoculationis commodum eſt, quod inoculatio in tali ætate fieri poſſit, in qua inoculandi variolas facillime ferunt. Etſi experientia nos doceat, inoculationem in hominibus cujuscunque ætatis fauſto cum eventu inſtitutam fuiſſe, & ipſa ratio id nobis promittat, quum, ſi commodo ætatis uti non liceat, ſaltem commoda priori capite recenſita, quæ tanti ſunt momenti, ut ab iis ſalus variolantium ferme folum dependeat, obſervari poſſint; data tamen occaſione neque hoc commodum negligi poſſe exiſtimo. Quo plura enim ſtant pro ſalute ſigna, eo ſecuriores erimus de felici morbi exitu. Ideo a quarto ad decimum tertium ætatis annum optimum inſitionis faciendæ tempus eſſe arbitror. Nam

te-

tenera nimis aetas dentitioni, diarrhææ, convulsionibus, & aliis adhuc malis subjecta est, quæ in hujus conditionis ægris per se magni sunt momenti, & tam difficulter sanatu, ut inter tres vix duo infantes quartum ætatis annum attingant. Præterea febrim tempore eruptionis præsentem convulsiones comitantur, quæ etsi plerumque variolas benignas testante *Sydenhamo* (a) & aliis protendant, quandoque tamen letales fuisse negare nequit. Sed ponamus etiam eruptionem sine periculo cedere, hoc tamen semper incommodum aderit, quod, si forte febris vehementior sit, aut alius morbus variolarum tempore accedat, ægri nullo modo persuaderi possint ad remedia necessaria assumenda, quod frequens (ut credo) necis in variolis naturalibus causa est. Interim & tenerrimos felicissime inoculatos vidimus. Tempore pubertatis variis ægritudinibus pueri, puellæ que non raro vexantur. Aetas virilis ob robur vasorum, & ob sanguinis hac ætate abundantis plasticitatem nimiam inflammatorios morbos cæteris paribus difficulter fert. Senectus denique aut ob vires vitæ defficientes, ad morbum tamen superandum summe necessarias, aut ob solidorum rigiditatem vix corrigendam hujus generis morbis haud sine discrimine afficitur.

Quod tam copia puris varioloſi applicandi, quam locus, cui hoc venenum applicari debeat, ab inoculatoribus determinari possit, non dubito;

(a) Oper. omn. Tom. I. Sect. II. cap. 2.

to'; ſed dubito, an inde aliquod emolumentum ſperare liceat. Minime hucusque evictum eſt, an a majori copia puris ſuſcepti variolæ naſcantur copioſiores; an fauces, oeſophagus, ventriculus, aſpera arteria, pulmones &c. his obſideantur. *Boerhaave* (a) quidem, & *Illuſtriſſimus van Swieteu* (b), qui plures adhuc authores recenſet, has partes variolis obſideri aſſerunt: ſed non minoris authoritatis viri, ut Hallerus (c) & alii id negant, merasque harum partium plagas gangrænoſas a prioris ſententiæ fautoribus pro variolis habitas fuiſſe autumant.

Si inoculatio tali modo fiat, ut plura infligantur vulnuſcula, copiam puſtularum a partibus nobilioribus ad minus nobiles derivari inoculatorum aliqui aſſerunt. Sed quum id (ſi tantæ eſt utilitatis) & in variolis naturalibus decumbentibus fieri poſſit, idcirco variolæ inſititiæ nullam præ naturalibus prærogativam habent. Hæc methodus præterea non ſine dolore adhiberi poteſt, perſæpe incommodum, de quo capite ſequente acturus ſum, inde naſcitur, & revulſio obtineri poteſt methodo tali, quæ & nullum dolorem excitat, & incommodum ne minimum parit. Quapropter hoc inoculationis commodum pro nullo habendum eſſe, immo potius incommodum eſſe perſuaſus ſum.

Ino-

(a) Aphoriſ. 1403.
(b) Comment. Tom. V. pag. 140.
(c) Opuſc. pathol. pag. 153.

Inoculatorum aliqui ſuſpicantur, variolas inſitas benignas reddi poſſe, ſi pus ad operationem eligatur ex ſubjecto, quod variolis laboravit admodum benignis. Facile illorum ſententiæ accederem, ſi non experientia optima in plurimis artis noſtræ magiſtra, nos docere videretur contagium variolarum ſemper idem eſſe, & tantum ratione ſubjecti, & aecidentium morbum benignum vel malignum fieri. *Egregius Huxham* (a) ait: unum idemque contagium in una eademque domo, familia, aut pago ſæpius valde differentes variolarum producit ſpecies; aliæ erunt valde benignæ, aliæ valde malignæ, & periculoſæ &c. — Ita, ut omnis in eo conveniat demonſtratio, conſtitutionem ſingulorum ægrotorum multum mutare ſubſequentem morbum. — Atque hoc in omni fieri ſolet caſu; ſic enim conſueta quædam ſcabies in alio ſuppurat, & pertinax efficit ulcus, in alio ingens dilaceratum vulnus vix ulla, vel nulla cum difficultate ſanatur &c. &. *Ill. L. B. van Swieten* (b) pluribus exemplis ac experimentis eandem ſententiam confirmat.

Si inoculatio ad conſervationem pulchritudinis, quæ formoſo ſexui adeo cordi eſſe ſolet, quid confert, eſt id unicum, quod ob rationes ſupra allatas in inoculatis variolæ raro confluentes, aut maligna eſſe ſoleant.

Ne-

(a) Opera phyſ. med. Tom. II. pag. 123.
(b) Comment. Tom. V. pag. 30. & 31.

Neque talem nunquam amplius variolas naturales acquisiturum esse, qui sine effectu inoculabatur (ut inoculatorum aliqui ctedunt) extra omnem dubii aleam esse opinor. Quum enim observationes ab ipsis insitionis fautoribus editæ sint, quæ nos docent, aliquos variolis insititiis superatis iterum naturalibus vexatos fuisse; & præterea celeberrimus *de Haen* (a) exempla afferat, quibus (impartiali testante *Ill. L. B. van Swieten* (b) fides denegari non potest, quæ veras variolas post insitionem rediisse demonstrant: neque adeo securi erunt ii ab omni contagii periculo, quibus insitione facta nullæ variolæ oriebantur.

Fors aliqui objicient: id ipsum, quod inoculationis finis obtineri nequiverit, nos docere, subjecta talia non esse ad hunc morbum disposita; hinc causam excitantem (sit dein artificialis, vel naturalis) in talibus nunquam efficacem fore.

Hanc esse hujus phœnomeni sequelam, mihi persuadere non possum. Hoc solum credo inde sequi, quod similis homo eo tempore, quo inoculatio tentabatur, non fuerit dispositus; minime autem, quod in tali dispositio alio tempore adesse non possit. Si liceat a variolis naturalibus ad insititias concluderere (ut nullus dubito) hocce assertum exemplis facile confirmari poterit.

(a) Rat. med. Tom. IX. pag. 261. & sequ.
(b) Comment. Tom. V. pag. 148.

rit. *Ill. L. B. van Swieten* (a) teſtatur: ſe novi-ſſe virginem, quæ cum fratribus, & ſororibus, dum variolis laborabant, continuo converſabatur, & per totum vitæ decurſum contagio ſe exponebat, ſexageſimoque ætatis anno ſuperato denique variolis decumbebat. Et plures adhuc alios ſe noviſſe dicit, qui tempore variolarum epidemicarum impune ſe contagio expoſuerunt; ſequente vero alia epidemica conſtitutione variolosa infecti fuerunt. *Clar. Huxham* ait (b): Quid, quod quidam, ut earum contagio afficerentur, ægrotantium hydrocauſta ſedulo, ſed fruſtra viſitavere; — aſt enim vero quidam iſtorum hominum nonnullis menſibus aut annis poſt variolis fuerunt affecti.

Interim fateor, non in omni ſubjecto, in quo inſitione facta nulla eruptio ſequuta eſt, prognoſin de futuris aut non futuris variolis adeo dubiam eſſe. Dummodo febris dicta variolosa adfuerit, tuto inoculatum a periculo adhuc futurarum variolarum abſolvere poſſumus, quod experimenta ab *Ill. L. B. de Störk* (c) inſtituta abunde demonſtrant, qui ait: ſe tribus vicibus repetiiſſe inoculationem in aliquibus horum, qui paucas habuere variolas, & in aliquibus, qui non niſi febre variolosa laboravere; ſed has operationes effectu caruiſſe. Iuſuper hos converſatos fuiſſe cum iis, quibus variolæ naturales copioſiſſimæ

(a) Ibidem pag. 147. & 148.
(b) Oper. phyſ. med. Tom. II. pag. 124.
(c) Abhandl. von der Einpfropf. N. 118.

mæ erant; immo cum his in eodem lecto decubuisse eo tempore, quo exsiccabantur pustulæ, maximeque fœtebant: sed hæc omnia inutilia fuisse; hos enim sanos & sine minima apparentia hujus morbi perstitisse.

Experientiæ contradicit id, quod inoculatorum aliqui asserunt, *febrim* nempe suppuratoriam in insitis nunquam adesse. Sed lubenter cum *Cl. Guiot* (a) fateor, hanc rarius adesse, & longe mitiorem esse, ut *Cl. Tissot* (b) testatur. Nec mirum, quum inoculationem præparatio præcesserit in plurimis.

Ultimum demum, in quantum scio, inoculationis emolumentum est evitatio sequelarum malarum, morbo varioloso superato non raro apparentium, ut sunt ulcera pessimi moris, immobilitates articulorum, tabes, phthisis, maculæ aut cicatrices corneæ transparentis, oculi plenaria destructio, fistulæ &c. Ast etiam hæc mala post variolas insititias observata fuere, etsi rarius; & bona medela administrata etiam in naturalibus ut plurimum evitari possunt.

C A-

(a) Mem. de l' acad. R. de chir. edit. en. Tom. VI. pag. 298.

(b) Anleitung für das Landvolk. N. 621.

CAPUT IV.

Incommoda ab inſitione forte oriunda.

Ne de partium ſtudio ſuſpectum me reddam, incommoda, quæ ex inoculatione forte ſequi poſſunt, recenſere juverit.

Priori jam *capite* mentionem feci, quod ex tali inoculandi methodo, qua plura infliguntur vulnuſcula, ſæpius aliquod incommodum naſcatur. Eſt ſcilicet illud, quod hæc vulnera abeant in ulcera difficillimam non raro ſanationem admittentia. Ergo hæc ſaltem inſitionis methodus habet, quo detrimentum afferre poteſt. Verum hæc methodus nunc eviluit.

Quod nocendi ſuſpicionem nobis movet eſt & id, quod forte una cum veneno varioloſo etiam alius morbus aut contagioſus, aut hæreditarius inſeri poſſet. Experientia enim, authoritate maximorum in arte medica virorum fulcita, conſtat, præter variolas plures adhuc alios dari morbos *contagioſos*; & præterea vero ſimillimum eſt, hæreditarios morbos in ſanguine latere, eoquod omnes humores ſecreti ex eo ſecernantur, hinc & ſemen, per quod morbos hujus generis a patre in filium tranſplantari, negari haud poſſe exiſtimo. Modum enim alium, quo id fieri poſſet, non perſpicio. Ideoque probabilitas ſat magna adeſt, per inſitionem hujusmodi morbos in alios transferri. Nam & pus varioloſum quidquam de contagioſa materia, aut

de

de ſeminio morbi hæreditarii continere poterit, quum & hoc ex ſangine paretur. Immo non ſolum luſus ingenii mihi perſuadent, ut hujus opinionis ſim, ſed etiam experientia *Cl. Guiot* (a) ajentis: On nous avoit dit, que par des expériences faites en Angleterre on avoit obſervé, que la matiere de petite vérole priſe d'un ſujet, qui avoit quelqu' autre maladie, ne communiquoit que la petite vérole à celui, à qui on l'inſéroit; mais j'ai une expérience ſi deciſive du contraire, que je ſuis convaincu que le choix de la matiere purulente eſt tres-important, & que j'ai reſolu d'être fort ſcrupuleux ſur cet article.

Verum neque hoc incommodum eſt tale, ut evitari nequeat, pus nimirum ex tali ſubjecto deſumendo, quod neque morbo laborat contagioſo, neque ex familia malo hæreditario effecta originem ducit. Etiamſi illud, quod ex *Cl. Guiot* adduxi me non ſatis convincat, an timor, ne una cum variolis etiam alius morbus communicetur, non ſit vanus; quum nullam obſervationem adjungat, quæ aſſertum ſuum confirmaret: talis tamen cautela non inepta erit, ut opinor, cujus ommiſſio facile famæ noſtræ detrimentum afferre poſſet, ſi caſu talis inſitio naſceretur morbus, quo ille laboravit, cujus pus ad inſitionem adhibitum fuit.

Eſt & id incommodum, quod ab inoculatione naſcitur, quod ab inoculatis etiam alii infici poſ-

(a) Mem. de l' acad. R. de chyr. Tom. VI. p. 290.

poſſent, quorum ſanitas non ita conſtituta eſt, ut ferendis variolis pares ſint, quod *capite II.* ex analogia, quam variolæ naturales cum artefactis habent, demonſtrare conatus ſum, & *hoc capite* exemplo a *Cl. Guiot* obſervato ſatis me confirmare poſſe exiſtimo, qui teſtatur: (a) contagium in infantibus, quorum mater inoculata fuit, & ad quam infantes ſub ſtadio exſiccationis admiſſi fuere, poſt aliquot dies variolas produxiſſe. Aſt hæc nos ab inoculatione inſtituenda terrere non debent; nam huic malo adhuc obviam ire poſſumus, ſi inſitio fiat in loco ſolitario; ipſis variolantibus etiam ſuperato morbo, iisque, qui hujusmodi ægris aſſiſtunt per aliquot tempus commercium cum reliquis interdicatur; aut ſaltem ultimis cum aliis converſari non liceat, quin prius veſtimenta depoſuerint, quibus induti erant, dum variolantium curam geſſerunt; ſi linteamina a talibus laventur, qui variolas jam paſſi ſunt; ſi denique veſtimenta aeri libero exponantur, quibus variolantes tempore morbi uſi ſunt. Hucuſque enim ab aere libero aliquem infectum fuiſſe non legitur.

Quæſtio adhuc moveri poſſet, & a pluribus jam mota eſt: an non ex inſitione fruſtra inſtituta ob pus, quod in humorum circulum duci poſſet, nil mali oriatur. Ut quid hic certi determinari poſſit, ad experientiam provocare non incongruum erit. Hæc autem, quid mali inde natum fuiſſe, hucuſque ſaltem nos non docet.

Ex-

(a) Ibidem pag. 301.

Exempla enim, quæ id docerent, nulla adſunt; quæ, ſi adeſſent, inoculationis infenſiſſimi hoſtes divulgare non tam diu hæſitaſſent.

CAPUT V.

An & quando præparatio neceſſaria ſit.

Methodus illa, qua corpus humanum ita diſponitur, ut variolas facile ferat, *præparatio* nominari ſolet. Hanc ante inſitionem faciendam neceſſariam eſſe omnium conſenſu quidem confirmatum eſt; an autem in quolibet ſubjecto illa fieri debeat, an non & erunt, quibus præparatio nocere poſſet, diſſentiunt plurimi.

Capite II. dictum fuit, morbos dari, qui variolis accedentibus exaſperantur; dari & contra, qui per febrim inde excitatam ſanantur.

Hæc, ſi conſiderem, quid ſentiendum mihi ſit, dubitare haud poſſum. Scilicet deduco inde, præparationem in prioris ſpeciei morbis abſolute neceſſariam eſſe; aſt in morbis ſecundæ ſpeciei illam abſolute non requiri. Ideo tamen nulli ſuaderem, ut ſine fuco præparationis præmiſſo talem, qui hujusmodi morbo variolis ſanando laborat, inſerat. Nam artis imperiti, aut hoſtes inoculationis omnem culpam inoculatori imputarent, ſi æger talis inſitione facta ex morbo forte epigenomeno graviter decumberet, aut omnino moreretur.

Ii, qui perfectiſſima fruuntur ſanitate nunquam præparandi erunt (ut ego cenſeo) non ſolum quia præparatione non indigent, ſed etiam, quia facili negotio inde damni quid inferri inoculandis poſſet. Talem enim valetudinem ex ſuppoſito, quod ſit perfectiſſima in melius mutare impoſſibile eſt, & in pejus mutare non conducit, quum, quo perfectior eſt ſanitas, eo facilius cæteris paribus vincatur morbus. Hinc anonimus author anglicus (a) monet: Es wird viel Vorſicht erfordert, daß die Geſundheit nicht durch eine unerforderliche Zubereitung in Unordnung gerathe, und durch dieſe gemachte künſtliche Veränderung in der Conſtitution ein Unheil entſtehe. Sed addendum mihi adhuc id eſt quod ſub titulo ſanitatis optimæ neutiquam plethoram intelligam, quam ſi non inter morbos, ſaltem inter cauſas morborum prædiſponentes recenſeo.

Forte objiciant aliqui, ſi liceat præparare ægros, qui non indigerent præparatione, etiam ſanus præparari poſſet, ne fama noſtra periclitetur, quum id jam in uſu ſit. His reſponderi poteſt, magnam inter priorem & hunc caſum eſſe differentiam. Sanis enim præparatio fit cum periculo, ne variolæ ob mutatata non mutanda difficulter ſuperentur; ægri autem, in quibus inſitio ſine præparatione fieri poſſet, ob id, quod prius morbus, quo vexabantur, ſanatus fuerit (in quo om-

(a) Mediciniſches = chyrurg. Handbuch für angehende Wundärzte, und andere Liebhaber ꝛc. S. 125.

omnis præparatio consistere debet) non difficilius ex variolis evadent.

CAPUT VI.

De methodis præparandi.

Medici americani (a) inoculandis mercurium dulcem cum stibio diaphoretico, pulverem cornachinum, aut sulphur auratum antimonii; *Cl. Dimsdale* (b) chelarum cancrorum calomelis aa. gr. iij. tartari emetici 1/10 gr. *Cl. Rosen a Rosenstein* (c) pilulas ex gr. xij. calomelis gr. viij. camphoræ, gr. xij. extracti aloes, & gr. xvj. gummi guajaci confectas; alii corticem; alii hæc, aut horum similia per aliquot ante insitionem septimanas propinabant.

Quum, quid de his præparandi modis censendum sit, decidere me (utpote Tyronem) non deceat, aliorum opiniones afferam. Author supra citatus (d) dicit: Man hat sehr zu zweifeln, ob die merkurialische Pulver eine andere Wirkung haben, als daß sie die Eingeweide von der Fäulung, oder von Würmern reinigen; denn die, welche

(a) Kirkpatriks Analysis S. 329.
(b) Neue Methode für die Einpfropfung S. 33.
(c) Anweisung zur Kenntniß ꝛc. S. 214.
(d) Medicinisches- chyrurgisches Handbuch S. 126.

welche nach der alten Methode der Einimpfung in der vorläufigen Zubereitung Merkurius gegeben haben, sind nicht glücklicher gewesen, als die, so keinen geben. Idem de aliis remediis in præparatione usitatis, quæ ex classe anthelminticorum sunt, sentiri posse non dubito. De iis, quæ sunt ex classe purgantium, idem author dicit: (a) Es ist zu befürchten, daß eine unvollkommene Crisis der Pocken oft die Folge der allzustarken Entkräftung ist, worinn der Patient durch das häufige Purgiren sowohl bey der Zubereitung, als zur Zeit des Ausbruchfiebers gesetzt worden. *Cl. de Meza* (b) ait: Cum omnia præparata mercurialia, sanguinem dissolvendo, eundem magis ad putredinem disponant, non immerito suspecta habentur. *Cl. Huxham* (c) de mercurialibus affirmat: quosdam sane malos effectus in subsequentibus variolis ab usu eorum obvenisse, speciatim petechias, hæmorrhagias, & profusas diarrhæas.

Idem (d) de cortice dicit: temere ageret, qui corticem, & roborantia cardiaca cuidam fibris fortibus & rigidis, ac sanguine densiori, viscido prædito ut *prophilacticum* aut *præparans* dare velit.

Qua-

(a) Ibidem. S. 131.
(b) Comp. med. pract. fasc. primo pag. 83.
(c) Opera phys. med. Tom. II. pag. 126.
(d) Ibidem.

Qualis ergo præparandi methodus conveniet? Præmittamus adhuc aliqua ex *Cl. Huxham*, & recordemur prius aliquorum, quæ *capite II.* dissertationis meæ præmisi, & dein proponamus methodum præparandi, qualem censemus optimam.

Cl. Huxham (a) ait: Procul dubio prior variolarum species sæpius a nimia sanguinis copia, humoribus acribus, aut magno impuræ materiæ pondere in primis viis hærente oritur, & haud raro ut primum contagium fuit susceptum in diæta, corporis motu, cæterisque committuntur errores, qui sæpius in hunc effectum edunt mortiferum. — — Ab his illi, quibus variolæ sunt inoculatæ præcaveri debent. Ego in dissertationis meæ *Capite II.* asserui; reconvalescentes ob vires vitæ debiles hunc morbum difficulter ferre; variolas morbo febrili aut tali, qui a febre exasperatur, junctas persæpe male cedere. His præmissis concludo: plethoricis V. S. administrandam esse; humores acres juxta variam acrimoniæ speciem variis corrigendos remediis; primas vias a materia liberandas esse, vel sursum, vel deorsum evacuando, prouti materia vel sursum, vel deorsum turget; diætam constitutioni ægroti accommodari debere, talem scilicet instituendam esse, quæ non sit nimis lauta, ne inde saburra oriatur, aut si bene digerit plethora; nec nimis stricta, ne æger ante morbum jam debilitetur, uno verbo! dirigat se medicus juxta asserta

(a) Oper. med. phys. Tom. II. pag. 127.

ta *Hippocratis*, qui monet: (a) Conjectari autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat, & nunquid prius ille defficiat, nec possit cum victu perdurare, vel morbus ante deficiat atque *hebetescat*. (b) Condonandum autem aliquid tempori, & regioni & ætati, & consuetudini.

Vires vitæ debiles cardiacis prius erigendæ sunt. Morbi febriles, aut qui his exasperantur prius sanandi sunt methodo, quæ cuique convenit. Quas si, quum sint tot, quot morbi, (hinc infinitæ sint) recensere vellem, dissertationis limites transgredi deberem.

Si neque tales inoculare nobis animus sit, quorum morbi febre ab inoculatione excitata curarentur, quid nobis cum his faciendum sit, ex dictis aliunde patet.

CAPUT VII.

De eligendo pure varioloso, & ejus asservatione.

Pus varioloſum, sit ex variolis benignis, vel malignis tantum ratione subjecti, cui applica-

(a) Sect. I. aphoris. IX.
(b) Sect. II. aphoris. XXII.

catur, benignas, vel malignas producere variolas *capite III.* abunde (ut opinor) demonſtratum fuit. Hinc nil a pure ex variolante, qui malignis decubuit, deſumto timendum foret; ſed ne peregrini in arte nos de negligentia culpare poſſint, ſi hac materia excitatæ variolæ malignæ fierent, quod, etſi raro contingat, contingere tamen poſſe nemo negare audebit; tutius ſemper agamus; ſi ad inſitionem utamur pure, quod ex puſtulis benignarum accepimus.

An adhibeatur ad operationem materia varioloſa ex naturalibus, an ex inſititiis nil refert. Experientia enim docuit, eundem prorſus effectum exinde obtigiſſe. Sic *Cl. Dimsdale* (a) aſſerit: ſe uſum fuiſſe pure utriusque ſpeciei, quin unquam minimum invenerit diſcrimen, ſit ratione hujus, quod una ſpecies præ alia certius, aut citius inficiat; ſit ratione progreſſus aut eventus. Et *Illuſt. L. B. de Störk* (b) dicit: Einmal nahm man ein Eiter von natürlichen Blattern; ein andermal von eingepfropften, und man fand gar keinen Unterſchied.

Unum æque ac idem eſt an ex maturis vel immaturis pus deſumatur, quod ſe expertum fuiſſe, *Illuſt. L. B. de Störk* (c) affirmat, qui ait: Man wählte bisweilen ein noch unzeitiges, klares, und wäſſerigtes Eiter; ein andermal eines, da

(a) Neue Methode ꝛc. pag. 25.
(b) Abhandlung von der Einpfropf. S. 9.
(c) Ibidem.

da die Blatern in vollkommener Zeitigung waren, oder da selbe schon abtrockneten, und ein zähes braunlichtes Eiter enthielten, und es wurde allezeit die nämliche Wirkung beobachtet.

Immo *Cl. Dimsdal* eteſtatur (a) Es ist ganz gleichgültig, ob man die Materie vor oder zu der Zeit der Crisis der Krankheit nehme. Wie ich glaube, hält man insgemein dafür, die Pocken seyen nicht ansteckend, bis die Materie einen gewissen Grad der Zeitigung erreicht habe. ꝛc. — — Allein! so bald man von dem inficirten Theil eines inoculirten Patienten feuchte Materie sammeln kann; noch ehe sich einige Blatern zeigen, und sogar ehe sich das Pockenfieber äussert, ist diese Feuchtigkeit tüchtig die Pocken mit der grössesten Gewißheit hervorzubringen.

Aſt, quum ut ſupra monui, pus ex variolis benignis eligere præſtet, puſtulas maturas eſſe adhibendas cenſeo. Nam a priori determinari nequit, an certiſſime morbus inſtans benignus futurus ſit.

His ſuperſedere me poſſe, meque ſatis de electione puris ad inſitionem adhibendi dixiſſe arbitror.

Jam aliquid adhuc de conſervatione materiæ contagioſæ dicamus. Magnum enim inde oritur emolumentum, quum, ſi materia variolo-

ſa

(a) Neue Methode ꝛc. S. 26.

ſa illibata per tempus ſervari poſſit etiam tali anni tempore, quod favet variolis, aſt quo fatali fato variolas naturales invenire non eſt, inoculare; in talibus morbum excitare, quorum ſanitas ita conſtituta eſt, ut huic morbo ferendo apta ſit, quæ alio tamen tempore, quo variolæ ſunt epidemicæ, læſa eſſe poſſet; & operoſo præterea labori, variolantes ad pus obtinendum quærendi, hoc modo parcere queamus.

Pus ex puſtulis bene maturis expreſſum in lagenula vitrea bene clauſa per aliquot dies ad uſum aſſervari poteſt.

Ad diuturniorem conſervationem cruſta variolosa, ſicca conteratur, & in pulverem redigatur ſubtiliſſimum; indatur dein lagenulæ, vel ſcatulæ, quæ bene clauſæ ſerventur. Talis pulvis diu capax perſiſtit ad excitandum contagium.

CAPUT VIII.

De methodis inoculandi.

De inoculatione ipſa ſermonem facturus, prius varias inoculandi methodos, ſingularumque incommoda enarrabo, ut quæ ſit exinde optima, majori cum certitudine decernere poſſim.

Inſitio igitur fieri poteſt 1mo *imitando naturam*, id eſt admittendo inoculandos ad variolantes, quo fit, ut contagium ope reſpirationis

in pulmones, ſalivæ prius intricatum ope deglutitionis in primas vias, & forte ope vaſorum abſorbentium immediate in circulum humorum deducatur.

Quum nondum certo conſtet (ut *capite II.* annotatum fuit) an non a majori copia puris varioloſi applicati copioſores naſcantur variolæ, & an non etiam viſcera, quibus hoc miaſma applicatur, his afficiantur, indeque periculoſior evadat morbus; hæc methodus, utpote de felici inſitionis eventu nos dubios reddens, non erit eligenda.

2. *Abraſa epidermide manui cruſtam varioloſam affricando.*

3. *Locum ope veſicantis epidermide orbatum inſpergendo pulvere puſtularum exſiccatarum.* Aſt hæ methodi non ſunt in uſum trahendæ; præter id enim, quod dolorem ſatis magnum excitent, ulcera inde oriuntur nimis magna (a).

4. *Infligendo unum aut plura vulnera ad apparentiam ſanguinis uſque, quibus intromittitur pulvis mox dictus, aut fila puſtulis intincta.*

Verum neque hæc methodus mihi arridet ob triplex, quod gignit, incommodum. Scilicet dolor

(a) Mem. de l'Acad. R. de chir. Tom. VI. pag. 28.

dolor ſat magnus inde fit, vulnera non raro in ulcera mutantur difficulter conſolidanda, ſanguiſque ex vulnere ſtillans facile eluit pus varioloſum.

5. *Venam tundendo eadem lanceola, qua variolanti tuſa eſt, aut tali, cujus apex puſtulam varioloſam prius perforavit.*

Sed, quum non omnes venaeſectione indigeant, nec in priori caſu certi eſſe poſſimus, an lanceolae quid de contagio adhaereat, raro aut nunquam poterit hæc methodus inſerendi variolas adhiberi.

6. *Puſtulas exſiccatas ligatura alicui parti cuticulae applicando.*

Haec methodus, ut mihi videtur, frequenter effectu ſperata caret; cruſtae enim varioloſae, quum hac methodo humoribus noſtris non alluantur, vix quid de contagio ad abſorbendum præbent.

7. *Naribus varioloſam cruſtam una cum grano moſchi intrudendo more chinenſium.* Periculoſa vero cenſetur haec methodus morbi transferendi ob cerebri viciniam, quod inde facile laedi poteſt, ut *Cl. de Meza* (a) ſuſpicatur, & id jure, (ut opinor) quum nervi olfactorii, ori-

(a) Comp. med. pract. faſc. primo. pag. 85.

origini ſuae adeo vicini, immediate afficiantur. An ideo moſchum addunt Chinenſes?

8. *Methodo hodie maxime uſitata*, quae ſequenti modo fit: Lanceola perforatur puſtula recens, varioloſa, qua, ſi bene pure tincta eſt, incidimus transverſim epidermidem in regione brachii ſuperiore, ubi muſculus deltoides ſitus eſt ad unam vel unam & dimidam lineam; hoc facto lanceolae margine elevamus epidermidem, ut pus intervallo epidermidem inter, & cutim relicto ſe inſinuare queat, parumque irritamus cutim, ut irritationis ope majori facto humorum ad vulnuſculum affluxu pus ſe cum his magis miſcat, ſicque facilius reſorbeatur. Lanceolam denique laminae ſuae impoſitam digito prius vulneri applicato retrahimus. Aut, ſi occaſio nobis deſit, pus varioloſum recens adhibendi, epidermide in loco mox determinato ad duas vel tres lineas diſſecta unum vulnuſculi labium ab altero ſeparamus, pulverem ex puſtulis exſiccatis paratum, ubi dehiſcit vulnuſculum, applicamus, ac parumper hanc plagam hoc vulnere fricamus. Facta hac methodo inſitione, minime deligatione vulneris opus eſt; eſt enim vulnus merae epidermidis. Methodi vero prius recenſitae fere omnes vulnera exigunt majora, quae ob dolorem ab affrictu emplaſtris defendenda ſunt, ne inflammatio oriunda fiat nimia, aut pus miaſmate varioloſo impregnatum per ſanguinem ex vulnere ſtillantem eluatur.

Ultimo numero recenſita methodus in inoculatione verna hujus anni, quae publice in collegio practico vindobonenſi ſub auſpiciis, & di-

re-

rectione *celeberrimi in aeternum mihi venerandi Professoris Stoll* ab experto chirurgo *Rechberger* instituta est, optimo cum successu applicabatur, & omnium mihi maxime arridet. Vix enim inde dolor sentitur, quod in infantibus irritabilioribus non est tam parvi momenti; nulla inde ulcera oriuntur; securi sumus, ne irrita fiat operatio, quum sanguis ex vulnere nullus effluat, qui & pus ad insitionem adhibitum secum abripere posset. Nec impedimur locum, in quo operatio instituta fuit, perlustrare, qnum deligatione, hac methodo facta inoculatione, (ut mox diximus) opus non sit, quod in progressu morbi magnam nobis lucem afferre poterit testante *Cl. Dimsdale* (a) qui ait: Es scheinet, daß man bisher auf den Fortgang der Ansteckung, in so fern sich solche nach dem Aussehen desjenigen Orts, an welchem die Operation ist vorgenommen worden, beurtheilen läßt, nicht sonderlich aufmerksam gewesen seye. Es wird aber aus dem Verfolg erhellen, daß es sehr nothwendig seye, über diesen Umstand sorgfältige Aufsicht zu tragen, da solcher nicht selten den künftigen Zustand der Krankheit vorher kündigt, und von dem unterschiedlichen Aussehen des Arms Anzeigen genommen werden können, welche uns in den Stand setzen, unbeliebigen Zufällen vorzubeugen.

(a) Neue Methode S. 32.

CAPUT IX.

Variolarum inoculatarum decurſus.

1. & 2. Poſt inſitionem celebratam die, neque in vulnere, quod vix amplius apparet, neque alibi uſpiam quidquam obſervatur.

3. Plerumque in peripheria vulneris facti maculam rubro - flavam ope microſcopii videre eſt.

4. vel 5. ab inoculatione die digito vulneri applicata parva aliqua durities ſentitur: æger percipit pruritum circa vulnus, quod inflammari incipit.

6. Inflammatio augetur, magisque extenditur. Dolor ſub axilla tenſivus (quod ſymptoma quandoque jam quarta poſt hanc operationem die apparet) & immobilitas brachii ob auctum dolorem per motum inoculatos cruciant, atque glandulæ ſubaxillares, & inguinales intumeſcunt. His ſæpe accedunt capitis dolores, membrorum dedolatio, pulſus febrilis &c. quandoque ſeptima demum die hæc ſymptomata cernere poſſimus.

7. Et frequentius 8. modo recenſita, & alia adhuc apparent ſymptomata, quæ eruptionem in variolis naturalibus præcedere ſolent, ut ſunt dolores vagi capitis, dorſi, lumborumque, quos horripilationes, & calor volatilis comitantur. Hoc tempore inſuper plerumque ægri conque-

runtur

runtur de ſapore oris depravato, appetitu proſtrato, nauſea; aut omnino vomunt, præcipue ii, quibus inoculatio fiebat, quin prius primæ viæ impuræ purgatæ fuerint. Halitus odorem ſpirat ſingularem, facilius ex praxi addiſcendum, quam deſcribendum. Vertigo, ophtalmia, & anxietates accedunt. Immo quandoque leve delirium, levioresque motu convulſivi obſervandi ſunt. Febris fit vehementior, cui calor, ſitis, ſomnusque inquietus jungnntur. Inflammatio plagæ vulneratæ validior eſt, & detegi poſſunt circa marginem vulneris quam plurimæ, parvæ, confluentes puſtulæ, quæ cum progreſſu morbi increſcunt. Si autem peripheria non multum inflammetur, labia vulneris non eleventur, nec pruritus in vulnere, nec tenſivus axillarum dolor ſentiatur, ſignum eſt, aut nullas ſubſecuturas eſſe variolas, aut futuras mali eſſe.

9. Die ſymptomata perſiſtunt eadem, & plus, minuſve vehementia ſunt. Si ſexta die febris primo apparuit, hac die jam erumpere incipiunt variolæ.

10. Plerumque eruptio fit cum remiſſione ſymptomatum, & febris imminutione, quæ quandoque penitus remittit. Puſtulæ in parte inciſa maturantur.

11. Inſiti vix amplius ægrotant; inflammatio vulneris remittit; pulſus ad naturalem accedit, niſi eruptio adhuc continuet.

12.

12. & 13. Puſtulæ elevantur, & in ſuppurationem tranſeunt.

14. Variolæ ad maturationem deductæ ſunt; nec febris, in variolis naturalibus ſuppuratoria dicta, niſi valde copioſæ adſint puſtulæ apparere ſolet. Appetitus redit, & vires æger ſenſim recuperat. Variolæ in peripheria vulneris ſitæ exſiccantur.

16. 17. & 18. Et reliquae varioloſae exſiccantur & decidunt.

Notandum adhuc id, quod *Cl. Guiot* refert, (a) quod nempe poſt eruptionem, & durante morbo quandoque haemorrhagia narium contingat, quae aegro non ſolum non funeſta eſt, ſed potius ſalutaris, quum nimiam vaſorum durae matris & cerebri impletionem in variolis adeo timendam avertat.

En brevem totius morbi hiſtoriam, quam ex tractatu *Ill. L. B. de Störk* me pro maxima parte excerpſiſſe lubens fateor.

CA-

(a) Mem. de l'Acad. R. de chir. Tom. VI. pag. 299.

CAPUT X.

De cura variolarum insititiarum.

Quum nullum primis post insitionem diebus symptomata appareat, quod nos doceret, inoculatum aegrotare, nullam medicinam faciendam esse existimo. Bona enim per aliquot tempus prius submini strata diaeta saburra nulla aderit, quae purgans vel emeticum expeteret: nec ex suppositio, quod plethora aut morbus quiscunque per praemissam praeparationem fuerit sublatus, V. S. aut alio remedio opus erit. His etiam diebus diaeta eadem, nisi parum strictiori, ac sub praeparatione usi sunt inoculati, continuari poterit.

Quamprimum autem consueta variolarum eruptarum signa apparent, diaeta sit magnitudini morbi accomodata; sed etiam tunc aetati, climati, temperamento, ac consuetudini quid condonandum erit.

Symptomatibus, si non urgeant, nullo prospiciendum remedio: si autem urgeant, eadem medendi methodus ad illa tollenda adhibenda erit, ac in variolis naturalibus. Sic alvus constipata ennemate, coctis fructibus horreis, vel etiam sale medio movenda; vomitus nimius aromaticis, aut leniter opiatis sedandus; haemorrhagia narium nimia V. S. aut stipticis sistenda erit, & sic porro.

Vi-

Vires vitae, ſi proſternerentur, excitandae ſunt: hoc autem raro continget, ſi illa, quae *capite VI*, dicta ſunt, bene obſerventur. Si nimiae eſſent pro diverſo exceſſus gradu diverſis remediis e. g. clysmate, pediluviis, diluentibus, emulſionibus nitroſis, aut V. S. &c. iuminuendae.

Veriolas nimia copia praeſentes lanceola, aut forfice apperire convenit. Sic enim minor copia puris varioloſi reſorbebitur (quod febrim multum mitigabit) nec pus ſtagnando acre redditum errodendo fœdas illas cicatrices puellis adeo abominatas gignit.

Omnium autem optima ſub toto morbi decurſu remedia ſunt aer liber, & motus corporis moderatus; quibus, ſi utamur, raro quidquam apparet, quod aliud remedium expeteret teſtante *Ill. L. B. de Störk* (a) qui ait: ſi aeger libero ſe exponat aeri, corporisque motum exerceat moderatum, multo melius tranſpirabit, quam in in lecto. Aer ſecum abripit omnia, quae natura exhalationibus ejicit: patiens qualibet reſpiratione inſpirat aerem frigidiuſculum purum, qui ſymptomata morbi mitigat, & numerum variolarum imminuit. Si autem aeger in cubiculo bene clauſo degat, & ſtragulis egregie obrutus ſit, ſudando vires ſuas perdit; aer infectus calorem & anxietates creat; acrimonia varioloſa aerem inficiens, qualibet reſpiratione in pulmones iterum

(a) Abhandlung von der Einpfropf. S. 120. & 121.

rum ſuſcepta, & per cutis poros reſorbta in humorum circulum reducitur; natura tanta copia acrimoniae obruta denique ſuccumbit, & mors inde ſequitur, aut, ſi adhuc vires naturae ſufficiant ad effugiendam mortem, alia ſequuntur mala per totum vitae decurſum vix amplius ſananda.

Notandum adhuc *Ill. L. B. de Störk* ideo non velle, ut omnibus aeris injuriis ſe exponant aegri, ipſem & enim dicit: (a) Doch iſt es nicht rathſam, die Eingepfroften jeder auch böſeſter, und raubeſter Witterung auszuſetzen. Wir haben getrachtet, jene Unbilden der Luft zu vermeiden, welche dem geſunden Menſchen ſchaden können; und damit waren wir glücklich.

Finito morbo purgans antiphlogiſticum ad eliminandas morbi reliquias propinandum erit.

Haec de cura ſufficere arbitror; animus enim mihi ſolum erat ſcribere de variolis inoculatis, quae raro periculoſae ſunt.

XII.

(a) Ibidem, S. 25.

IX.

ANT. MART. SEYDEL.

DISSERTATIO DE PROPHYLAXI GRAVIDARUM.

1784.

SECTIO I.

De officiis magiſtratus erga gravidas.

I.

Gravidæ reverentur habeantur.

Jam veteribus temporibus graviditas magni habita fuerat. Athenienſes latronibus apud gravi-

vidas asylum concesserunt. (a) Persarum reges numismate aureo donaverunt. (b) Romani, apud quos tanta erat Senatorum dignitas, ut quisque iis obviam factus, ad lictorum clamores cedere cogeretur, gravidas exemptas voluerant; his quippe si etiam cum maritis erant, præterire, aut prætervehi integrum manebat. (c) Gentis Israeliticæ sacerdotes gravidæ, si carnem suillam, lege licet prohibitam, avidius appeteret, admiserant. (d)

Hæc exempla secuti reges Galliæ, gravidas non maritatas adeo protexerunt, ut nec per fiscum, nec per judicem ad prodendum patrem adigi (e), nec inquisitioni criminali subjici possent. (f) Populi orientales decretum habent: si quis offendere gravidam præsumpserit, pro portento habeatur; & si quis in reverentia erga eam defuerit, adversus religionem egisse censeatur. (g) Inter Reipublicæ Belgicæ bellica statuta, pro gravidarum immunitate sequens est: qui gravidam percusserit, aut ei minatus fuerit, abs-

(a) Guev. hor. pr. lib. II. c. 16.

(b) Bartholin. de puerperio veterum pag. 20.

(c) Festus de verbor. significat. lib. XII.

(d) Maimonid de cibis vetitis c. 14. m. p. 242. 3.

(e) Decret. 28. Mart 1738, Dufail. liv. 3. chap. 401.

(f) Decret. 30. Octobr. 1536. Papon. liv. 22. tit. 4. nom. 2.

(g) Ballexerd. Abhandlung über die Frage; welches sind die vornehmsten Ursachen des Todes so vieler Kinder? S. 16. 17.

absque pecunia & litteris dimittatur, & pro arbitrio judicis puniatur. (h)

Hæc profecto aliaque plura, quæ hic prætereo, quantacunque sint, jura & privilegia gravidis concessa non sunt adhuc tanta, quæ earum status meretur. Etenim si ostensa superius graviditatis dignitas spectetur, si pericula, quibus subjacet, & plurimæ ferendæ calamitates ponderentur; eam omni æstimatione digniſſimam esse, manifestum est.

Primo itaque magistratus propria sibi auctoritate caveat, ne quis gravidam verbis aut opere lædere audeat, sed omnimoda reverentia prosequatur jubeat. In sacris pag. (i) severa statuitur pœna illi, qui gravidam quomodocunque læsit, præcipueque, si abdomen ejus percusserit. Etenim quantam vim animi affectus, imprimis ira, terror, indignatio, tristitia in concitandis hæmorrhagiis, in excutiendo fœtu habeant; quanta efficacia idem præstent externæ violentiæ corpori gravidæ factæ, cum tales causas toties subsecuti abortus probent, sponte patet, quamque ejus læsionem, eidem non posse non esse periculosam.

Proprio potius exemplo civium animos eos inducere conetur, ut periclitanti quacunque ratione gravidæ obsequia sua deferant; egenis quo-

(h) Artic. 4.
(i) Exodi c. 21.

quoque ſuam opem conferant. Sicque, quod illa pro humanitate onus fert, allevietur, præveniaturque matris, fœtusque interitus, nimium ſæpe inſontibus accidens, quod neceſſariis deſtituatur geſtans, & parturiens mater.

II.

In cœtu publico commodiſſime locentur.

Eſt enim talis plurimarum gravidarum conditio, ut primis menſibus, quibus & ſeminalis, ovum vivificiens, aura, & retentus menſtruæ evacuari ſolitus ſanguis inordinatos in corpore motus cauſare ſolent, varia illas infeſtent ſymptomata, vomituritiones, languores, animi deliquia, ſpaſmi hyſterici, ob quæ, dum conſluentium turbæ immixtæ tenentur, non parva experiuntur incommoda, non parva ſubeunt pericula. Poſterioribus vero menſibus, quibus increſcens uterus in ventris anteriora ſe proripit, oſſeumque pelvis, quo alias defenditur, receptaculum deſerit, ſicque externis objicitur violentiis, a tumultuaria corporis preſſione quanta non perferenda habet & uterus, & huic incluſus infans? non dicam tali occaſione partum præmaturum reddi poſſe; ſed ante oculos objiciam, quaſſatum ita uterum inflammari, placentam ſolvi, hæmorrhagiam fieri, quibus non ſolum naſciturus homo, ſed & ipſa mater perdatur.

Loco autem commodo locatæ incidentibus quibusvis incommodis facile cœtui ſe ſubducunt, atque ad recipienda bonorum civium officia oc-

ca-

casionem nanciscuntur; nec subjiciuntur illis violentiis, ob quas eas tantis periculis subjacere antea monitum est.

III.

Interdicantur illis publica, & privata terrifica spectacula.

Violentas animi commotiones magnam in gravidum fœtu uterum vim exercere, hic non monstrabo; monebo solum terroris vim tantam esse, ut non modò violenta partium strictura fœtum excutiat, sed & quem excutere non potest, adeo graviter afficiat, ut convulsiones, ut epilepsia tota vita affligentes inde ortæ vitæ fuerint.

Quid ergo jam non timendum gravidis, funambulis, dum petauristis, dum gladiatoribus adstant, & in illorum artes, tanta pericula minantes animosos etiam percellentes, oculos figunt, animumque intendunt suum? Profecto inopinati illorum motus, & ultra communes hominum ausus tentati saltus, & imminentes lapsus non possunt non interdum adeo ferire gravidarum sensorium, ut graves inde læsiones experiantur & ipsæ & fœtus. Quid illis non timendum, dum supplicia publica spectant, dum profundissimo penetrantur dolore, dum immani terrore percelluntur? næ harum causarum efficacia, & alios quosque animo linqui, aut convelli non infrequenter contingit.

IV.

IV.

Remota teneantur a publico terrifica obſecta, difformes, mutilati, epileptici.

Effectum immaginationis gravidæ in fœtum non univerſim hodie pro certo agnoſci, nequaquam ignoro, nec latent me cauſæ, quibus ad eum negandum non infimæ famæ viri inducantur. Cum vero alii inter philoſophos & medicos etiam principes exemplis probent, quantam immaginatio matris vim in formando, in deſtruendo formato, in infirmando fœtu exercere poſſit, priorum rationibus eo nondum induci potui, ut, gravidas terrifica quæque ſpectacula impune ferre, mihi perſuaſum haberem.

Non commemoro hiſtorias hanc in cauſam ab immortali *Boerhaavio* & *Swietenio* allatas, quod ſcriptæ legi poſſunt: adducam ſolum unam, quam in obſervando adeo ſedulus *Hœnius* diſcipulis ſuis referre ſolitus eſt, dum pathologico-practicæ cathedræ in hac celeberrima Univerſitate præfuerat. Rixantium militum uni cranium ab altero dedolatur, ſpectaculo hoc perculſa gravida parit infantem dedolato cranio, cerebro ſanguinolento. Et alteram, quam recenſet *Hebenſtreit* (k) facti teſtis ocularis, dum Lipſiæ degeret. Gravida ad ſpectandum hominem inferiores artus truncatum accedens potenter perculſa, infantem ſimiliter truncatum in lucem edidit.

(k) Anthropol. forens. Sect. 1. c. 1. p. 12.

dit. In palatio cujusdam principis ſiculi monſtroſæ ſtatuæ adeo frequentes ſunt, ut nullibi deſint, ſicque nullum fere oculum fugiant; quo evenit, ut, quæ illud frequentat vicinia, vivis monſtris abundet. (l)

Plures jam non adducam tales hiſtorias, cum meum non ſit propoſitum, effectum imaginationis matris in fœtum hic omnino demonſtrare: aliquas pro eo loquentes ſolum proferre volui, ut cauſam hanc non extra omne dubium poſitam eſſe oſtenderem, poſſemque demum inducere, gravidas adverſus ejusmodi cauſas non omnino tutas agnoſci poſſe; cumque in rebus dubiis, tutiori via procedendum eſſe, ratio ſuadeat, e re magiſtratus eſſe, ut difformes, mutilatos, & quacunque ratione horrorem incutere potentes, publico hominum conſortio ſubtrahat, curetque, ut, ſi pauperes ſunt, publicis ſumptibus in xenodochiis concluſi alantur; ſi habentes ſunt, a publico arceantur. Idem magis petunt ſyncoptici, & epileptici, qui ſubito ſuo caſu etiam terrore percellere poſſunt miſeras; unde, ſi licet imaginatio forte ineſficax eſſet, detrimentum nihilominus patientur. Cæterum vero etiam prohibeat, ne difformes, monſtroſæ imagines ſculptæ, aut pictæ in publicum proferantur, vel expoſitæ ſerventur.

V.

(l) Bridon Reiſe durch Sicilien und Maltha, 2. Theil, S. 52.

V.

Abſtineatur in gravidarum præſentia a narratione & lectione rerum horridarum.

Effectus impreſſionis ab objectis externis factæ reſpondet cæteris paribus magnitudini irritabilitatis organi, quod eam recipit. Eſt vero plus una obſervatione conteſtatum, irritabilitatem quarumdam gravidarum mirum in modum augeri, indeque fieri, ut levibus etiam de cauſis vehementes admodum motus experiantur, quibus tam actiones corporis, quam ipſius mentis non parum turbantur. An jam mirum eſt, exempla docere, ſolo auditu rerum horridarum gravidas adeo graviter affectas eſſe, ut & vitium in fœtum redundaret? unum alterumque adducam.

Gravida pacatiſſimo fruebatur ſomno, dum interim magnum erat in vicinia incendium, mater ejus mane accedens gratulatur filiæ, quod per felicem adeo ſomnum terrens hocce ſpectaculum evitaverit: at gravida protinus toto corpore contremiſcere, mente angi, dum ſimul lectus, quo decumbebat, prorumpente ex utero ſanguine inundatur; unde quidem ipſa convaluit, quadrimeſtrem tamen abortum paſſa eſt. (m)

Al-

(a) Com. Swieten §. 1306.

Altera, referente *Unzer* (n), in ſeptimum menſem gravida de miſerrimo mortis genere mariti, & natu maximi litteris inſtructa, mox ſenſibus & loquela privatur, ſpeciemque ſummi doloris induit, brevi vero poſt ſyncoptica; ex quo ſtatu rediens conſtanti mœtore oppreſſam vitam egit, donec nono graviditatis menſe exacto puellam robuſtam peperit membris integris, vultu autem ad ſummi terroris ſpeciem omnimode conformato. Triſti huic corporis ſtatui juncta eſt mutitas, rationis defectus, anæſtheſia, & impotentia tanta, ut nec cibum ſumere, nec conſuetas naturæ neceſſitates peragere ſine aliorum ope, etſi jam duodecennis, poſſet. Inſuper primis & ultimis lunæ phaſibus paroxyſmo horroris pleno corripitur, quo ſubito totum corpus tremit, caput poſtrorſum rapitur, manus, oculis ſurſum converſis, ſub anxio clamore concutiuntur, pedes contorquentur, violente ſurſum trahuntur, momento poſt extenſi deorſum rapiendi. His demum motibus per aliquot minuta durantibus membrorum relaxatio, pallor, frigidus ſudor, vera ſyncope ſuccedit, brevi poſt novis denuo motibus, profunde mœtentibus propriis, interrupta. Scenam hanc horroris plenam, altera ſimilis, ſed mitiori ſub ſpecie ſequitur, quam ſub interrupto ſingultu, ſpuma ore expreſſa, ſponteque ſecedentia excrementa finiunt, ita ut poſt perpeſſas viginti quatuor horas, graves haſce ærumnas ſomnus æque longus inſequatur, quo demum paroxyſmus terminatur.

Tan-

(n) Zückert Diät der Schwangern, §. 57.

Tanta poteſt rei terrificæ relatio in gravidas, tanta poteſt in fœtum. Caveant itaque omnes coram gravidis talia proferre, quæ earum animum adeo potenter emovere poſſunt; curetque imprimis magiſtratus, ne monſtrorum deſcriptiones, & terrificæ hiſtoriæ diariis popularibus inferantur; quod alias per omnium ora circumferantur, gravidasque non raro peſſimis ſequelis afficere valeant. Locus modo detur in diariis litteratorum.

VI.

Prohibeantur obſtetrices, pharmacopœi, chirurgi gravidis indiſcriminatim purgantia, emetica, ſtimulantia exhibere remedia, & adminiſtrarare venæ ſectionem.

Lege quidem cautum eſt, ne obſtetrices, pharmacopœi, chirurgi gravidis indiſcriminatim remedia adminiſttent, quorum efficaci actione mater, aut fœtus periclitetur; at certe non una alia lex eſt, quæ plures transgreſſores numerat. Eſt etenim ea plurimorum ejusmodi ſortis hominum indoles, ut, dum vix in artis medicæ limine conſtituuntur, ſe jus integrum habere, arbitrentur, audendi ea omnia, quæ facienda ſibi non videntur adeo, quam quæ ſomniant. Hinc ſumma cum facilitate petentibus quibusvis, parum ſolliciti de effectu ſuperventuro, remedia ordinant, aut porrigunt, quorum actione ne eos

in-

in pericula ſæpe non exigua præcipitant. Recte *Marcellus Pallingen. Stellat.* (o)

„ Vos, quibus imperium eſt, qui mundi frena tenetis,
„ Ne tantum tolerate nefas, hanc tollite peſtem;
„ Conſulite humano generi; quot nocte dieque
„ Horum carnificum culpa, mittuntur ad orcum;

Plurimum enim ex hac medendi præcocitate imminet gravidis, quæ propria purgantium, emeticorum, ſtimulantiumve remediorum actione, & præpoſtere adminiſtratæ venæſectionis effectu ſæpe non tantum fœtum perdunt, ſed & ipſæ ſimul pericula eo graviora ſubeunt, quo, id jam notante *Hippocrate* (p) majus eſt periculum ex abortu, quam ex partu. „ Abortiones, inquit, „ graviores ſunt, quam partus. Non enim ci„ tra violentiam embryo corrumpitur, ſive me„ dicamento, ſive potu, vel cibo, vel ſubdititiis, „ vel re alia quapiam. Hoc in caſu periculum „ eſt, uteros ulcerari, inflammari.

Quid itaque non timendum eſt & fœtui, & matri, dum purgantium actione inteſtina in ſpaſticos, ad vicinas partes ſe facile extendentes, imprimis in mobilioribus, motus concitantur, dum humorum circulantium impetus ad partes aliunde humoribus turgentes allicitur, dum evacuatione am-

(o) In Zodiac. vitæ libr. V.
(p) De mulier. morb. l. 1. c. 71. t. 7. p. 771.

ampliori facta, corpore aliunde forte humoribus depauperato, necessarium alimentum & matri & fœtui detrahitur? quid non timendum erit, dum violento vomitorii effectu fœtus uterus quassatur, premitur; dum corpus repetitis vomendi nixibus & humorum evacuatione debilitatur? quid non timendum, dum stimulantium remediorum virtute concitato humorum, non facile per impeditas partes circulantium, motu febris & inflammatio causantur; dum, aucta humorum in vasa actione, stomata ampliantur, nexus placentam inter, & uterum solvitur, divellitur? quid non timendum erit, dum sanguine detracto, deficiente forte humore, suo fœtus alimento privatur; dum venæsectionis derivante aut revellente virtute fœtus cum utero vel obruitur sanguine, vel eo substracto inanitur, enervatur? notum profecto est, arcem alias inexpugnabilem, & omni jam vi frustra tentatam, tunc demum certo expugnari, dum alimenta & nervi circumciduntur. An aliter enim embrione fieri solet?

Profecto adeo momentosi sunt inde redundantes in fœtum & matrem effectus, ut sancita semel sancta adeo lex summa magistratus sollicitudine, & servitate sit custodiende.

VII.

Constituantur bonæ, & publico stipendio alendæ obstetrices.

Sicut felices partuum successus sæpe soli obstetricantium dexteritate debentur, ita non minus

nus ab earum recta agendi ratione felix graviditatis ad terminum progressus dependet. A contrario obstetricantium ignorantia multi-partus infelices fiunt, multique causantur abortus. Dum etenim consuetos graviditatis effectus, & innocua alias symptomata ignaræ vident, magni faciunt, & incondita medicatione auferre tentant: non raro vires matris, & fœtus adeo labefactant, ut utero ultro contineri non potens fœtus elabatur, vel concitatis præter naturam corporis, & uteri viribus excutiatur. Quam pernicioſa porro est ea ignararum obstetricum præcocitas, qua, dolores partus veros a spuriis discernere non potentes, clauso adhucdum uteri orificio partum urgent, sicque vires matris pessumdant, lethales sæpe hæmorrhagias movent, fœtum angustiis, quas superare non potest, impingunt; ita hunc & illam perdunt.

Quam gravi vitæ periculo subjiciantur mater & infans eo casu, quo ob malum uteri aut infantis situm, vel ob alia impedimenta partus difficilis est, perita tantum obstetricis manu expediendus, hic ultro non ostendam: animadvertam solum, quod, prout ex his rationibus peritæ obstetrices constituendæ sunt, ita eas publico stipendio ali necesse sit. Etenim maxima gravidarum pars tristi adeo sorte premitur, ut, quo adjuvantium operam compensent, non habeant: unde vel sibi relictæ, vel ignaris se manibus committere coacta, ut demum & mater & fœtus dictis mox ex rationibus periclitentur.

VIII.

VIII.

Conſtituatur locus quo gravidæ pauperes, & lapſæ ſe recipiant.

Multis profecto res domeſtica adeo anguſta eſt, ut, quo, dum ipſæ laboribus impares ſunt, ſe alere, aut de iis, quæ puerperium petit, ſibi providere poſſint, non habeant. Tales ad ultimum uſque terminum graviditatis protinusque iterum a partu, duris ſe objicere coguntur laboribus, atque tali modo ſeſe, geſtatamque prolem non parvis exponunt periculis. Dum ita neceſſitate urgentur, nunquid aſperiorem longe experiuntur ſortem, quam equæ, quæ ſecundum ſtatuta Marchionatus Badenſis poſtremis ſex geſtationis hebdomadis, totidemque a partu, ab omni tributario labore eximuntur? (q)

Profecto multæ ſervarentur matres, pluresque infantes, ſi locus, quo pauperes ſe recipiant, haberetur. Sed urgentior pro eo eſt ratio, quam lapſæ ſuppeditant. Iſtæ vel egenæ vel cognatis ſuis exoſæ, derelictæ ſunt, & niſi publico aſylo ſe frui poſſe prævideant, metus eſt, ne eo demum ducantur, ut, quem commode parere non poſſunt infantem, potius ante tempus expellant, aut dum enixum interficiant, ſicque demum ſe homicidii & ſupplicii reas faciant. Nunquid præſtaret præcavere facinus futurum, quam patratum punire? recte jam *Tullius Tiro* apud *Gel-*

(q) Beſchellordnung vom 4ten Jäner 1753. N. 11.

Gellium ſenſit: „ ſumma profeſſio ſtultitiæ eſt, „ ſceleribus cogitatis non ire obviam; ſed ma„ nere, operirique; ut, cum admiſſa & perpe„ trata fuerint, tum denique, ubi, quæ facta „ ſunt, infecta fieri non poſſunt, puniantur. (r)

SECTIO II.

Officia gravidarum in ſe ipſas.

I.

Officia gravidis propria tum ſuæ, tum fœtus ſalutis tuendæ cauſa incumbere, ipſa rei natura loquitur: ſunt enim multæ abortus cauſæ, quæ in iſparum regimine fundatæ ſunt, & ab illarum arbitrio ita dependent, ut easdem evitare poſſint, vel experiri. At heu! quam ſæpe nimis neglecto, quem utero gerent, fœtu, non ſine proprio & ſanitatis & vitæ periculo iis ſe ſubjiciunt, officii ſui immemores matres! Utinam id non ex propoſito faciant, ne de illis id valeat, quod *Ovidius* jam ſuo tempore objecit gravidis:

„ Nunc uterum vitiat, quæ vult formoſa videri,
„ Raraque in hoc ævo eſt, quæ velit eſſe parens. (s)

Sci-

(r) Baumer fundamenta politiæ medicæ §. CII. p. 100.
(s) Elegia de nuce.

Sciant homicidii festinationem esse prohibere nasci, nec referre, natam quis animam eripiat, aut nascentem disturbet. (t) Perpendant porro propria, quæ sibi inde imminent, pericula, quæ illarum oculis objicere, neque Ovidius prætermittere potuit, dum in procuratum abortum ita invectus prosequitur:

„ At teneræ faciunt, sed non impune, puellæ;
„ Sæpe, suos utero quæ necat, ipsa perit. (u)

Sed absit a me, ut sexus, ad gratiam & humanitatem facti, tantam esse posse atrocitatem suspicer; ut reflexa mente expulsionem fœtus sui intentare audeat: etenim

„ Hoc neque in armeniis tigres fecere latebris
„ Perdere nec fœtus ausa leæna suos. (x)

Equidem solum, ut propositum meum exequar, gravidas officiorum illorum monebo, quæ, dum diligenter adimplent, triste adeo abortus & vitæ periculum, quoad illarum est, evitare possint. Itaque

II.

(t) Tertullian. in Apologetico cap. 9.
(u) Amor. libr. 2. Eleg. 14.
(x) Idem, ibid.

II.

Abſtineant ab immoderato corporis exercitio.

Quam neceſſarius ſit corporis motus ad ſanitatis conſervationem, in phyſiologicis clare demonſtratur; eum vero magis neceſſarium gravidis eſſe, imprimis, utero jam molem adepto; res eſt æque manifeſta, ſi perpendatur, uteri gravidi prementis mole humorum motum per viſcera perque extremitates inferiores non parum impediri; requiri ideo acceſſoriam quamdam vim, qua cordis actio adjuvetur, promoveaturque per impedita vaſa ſanguis, a cujus motu non tantum vita, ſed & humorum elaboratio dependet. Motus autem, qui modum excedit, ut omnibus periculoſus eſt, ita gravidis eſt periculoſiſſimus. Dum enim per eum humorum circulus nimium augetur, dum univerſim humorum preſſio in latera vaſorum intenditur, dum, intenſo per auctum motum calore, ſanguinis moles rarefactione adeo augetur, metus eſt, ne impetu appulſi ſanguinis tenero adhuc fœtui vis inferatur, violenter afficiatur uterus, vim patiatur utero adhærens placenta, qua demum nexus inter matrem & fœtum ſolvitur, ut ſub periculi plena hæmorrhagia abortus contingat.

Taceo inflammationem, quæ utero; affectiones, quæ fœtui a nimio humorum appulſu inſtant. Animadvertam ſolum adhuc in ea exercitii genera, quæ, dum humorum motum intendunt, ſimul corpus vehementer concutiunt, uterum agitant gravidum, quaſſant; ex quibus ra-

rationibus & fœtum, & matrem nova & certiora adhuc pericula exſpectant; cujusmodi præter dicta ſunt, uteri obliquitates, prolapſus, herniæ; qui morbi, præterquam quod tota vita incommodi eſſe ſoleant, felicem partum non parum turbant. Saltus, equitatio, effrœnis in curru vectio hujus loci ſunt; quæ exercitii genera fortuitis adhuc caſibus ſua ſecumferunt diſcrimina, novas continuo calamitates gravidis minantia: puto lapſum, alliſum, terrorem.

Abſtineant itaque gravidæ imprimis debiles, plethoricæ ſub æſtivis caloribus a vehementi deambulatione, a protractis duris laboribus, a vectione per ſtrata viarum lapidoſa, ab equitatione, a ſaltu, ne ſua culpa procurato abortu rempublicam ſpe fruſtrentur, ſe vero homicidii reas faciant, atque demum ſe ipſas perimant.

III.

Vitent nimiam quietem.

Quemadmodum immoderatus corporis motus gravidis periculoſus eſt; ita non minus nimia quies in vitio eſt. Non autem, quæ inde fluunt damna, experiuntur magis, quam nobiles, ditiores, urbanæ, quæ, dum ſe labore ſuperiores forte ſua eſſe, perſuaſum habent, ſedibus ſuis totas dies affixæ manere conſueſcunt otioſæ, aut tali ſolum labore occupatæ, quo corpori boni nihil accedit prorſus.

Eſt

Eſt etenim, ut jam advertit cel. Zückert (y), ſeſſio præternaturalis omnino corporis ſtatus, quo liber ſanguinis per abdomen, artusque inferiores circulus plurimum aggravatur, eo certe damnoſior gravidis, quod ob uteri continuo crescentem molem humorum motus aliunde languear. Eſt autem illis damnoſior adhuc ſeſſio, thorace antrorſum inclinato, quo ſitu legere, aut ſexui ſuo proprios labores peragere conſueſcunt; cui ſi plurimis uſitata thoracula, ſuperiorem abdominis regionem comprimentia addas, in plano habebis abdominis viſcera cum utero comprimi, premi ſic vaſa per illa, ſubque illis decurrentia, ſanguinis motum retardari, retardari ejus reditum ex inferioribus extremitatibus; impediri viſcerum actiones, impediri motum bilis in inteſtina, retineri ſic multipliei ratione excretionem fæcum, urinæ; ex quibus omnibus demum circulus humorum in univerſum languidus ſit, ſubactio crudi, cocti perfectio, & elaboratio deficit, fæces accumulantur, unde demum corpus craſſis, non meabilibus, nutritioni ineptis humoribus repletur; inteſtina copioſa fæce diſtenduntur, cacochymia, obſtructiones viſcerum, icterus, atrophia, hydrops, alvi ſuppreſſio multis ex rationibus gravidæ & parturienti moleſta ſuperveniunt.

Quid jam ſub tali gravidæ conditione non patietur fœtus? iſte ſibi adhuc impotens, matris humoribus vivificatur, alitur, crescit. Si humo- per matrem motus adeo languet, quæ ejus po-

re-

(y) Diät der Schwangern. §. 42. S. 83.

terit esse vis in fœtum, ad quem per multiplices adeo placentæ ambages fractus tantum pertingit? — solidorum compages non nisi infirma esse potest. Si humores matris adeo parum elaborati sunt, qualis erit fœtus nutritio, quale incrementum? — utrumque deficiens. Si distenta copiosis fæcibus intestina uterum premunt, ejus motui abstant, quæ non incommoda patietur fœtus, quæ non experietur mater? — infans ante terminum ad exitum cogetur; in termino, tum ob præternaturalem uteri situm, tum ob compressam vaginam in exitu impedietur.

Gravius autem præ aliis luunt illæ gravidæ, quæ corpus laxum habent, humores glutinosos, abundantes, & obstructionibus alvi subjacent.

IV.

Caveant a nixibus.

Non hic dicam de malis, quæ a nixibus universim evenire consuescunt; sed solum commemorabo effectum, quem in uterum gravidum exercent.

In nixu inspiratus copiosæ aër pulmone retinetur, diaphragma deorsum depressum fixatur, musculique abdominales itidem contracti tenentur; sic abdominis cavum angustatur; viscera contenta premuntur & quidem eo plus illa, quæ e directo magis diaphragmati opponuntur, vesica urinaria, intestinum rectum, uterus; quam ob rationem, dum urina, dum fæces alvinæ evacuandæ

dae ſunt, dum fœtus excludendus eſt, expellendae ſecundinae, natura inſtigante, imo cogente nixus adhibemus, quibus & ſphincteres vincantur, & viarum difficultates ſuperentur. Eandem vero efficaciam exercent nixus in uterum omni graviditatis tempore, atque ideo legere eſt in ſcriptis medicorum, plures abortuum variis graviditatis menſibus poſt fortiores nixus factorum hiſtorias, qui non ſine magno gravidarum periculo contigere; quod ob violente ſolutam placentam ante facilitatas ad exitum vias gravis uteri hæmorrhagia eum præceſſerit, aut comitata fuerit. Plethoricæ, debiles, & jam ſæpius abortum paſſae plurimum hanc cauſam evitare debent.

V.

Vitent vehementes animi commotiones.

Quanta ſit vis mentis, per incomprehenſibile vinculum corpori nexae, res eſt tot exemplis plana, ut nulla demonſtratione indigeat. Cum vero e re mea ſit, effectus vehementium animi commotionum in gravidas præcipue oſtendere, pauca ſolum proponam, quibus confirmetur, has tum ſui, tum fœtus interitu multis ætumnis per illas ſubjici.

Etſi vero varii animi affectus varia ratione corpus mutent (z), eo tamen plurimum eorum om-

(z) Vid. Ill. Haller Pri. Lin. phyſ. §. 564. & ſeqq. & Diſſert. Thaddæi Bayer de animi affectibus, Viennæ edit.

omnium conſpirat potentia, ut, excitata uteri haemorrhagia, exhauriatur mater & fœtus, aut ſpaſticorum motuum efficacia fœtus utero hoſpitans domicilio ſuo expellatur, aut mater interficiatur.

De ira exemplum habet *Ill. L. B. v. Swieten*, (a) „ Fœmina, ſunt verba ejus, triginta annorum, robuſta, & proceræ ſtaturæ, cum termino graviditatis proxima eſſet, ſubita excandeſcit ira, dum vicina mulier puerum ejus quinquemem percuteret. Mox aliquid inſoliti ſentiens in corpore prædixit, ſe inde moriturum. Poſt aliquot dies ſubito profuſa uteri haemorrhagia ſequitur; unde convulſa periit, antequam quid tentari poſſet, ut ſervaretur. In cadavere inveniebantur bini fœtus maſculi ſanguine nigro coagulato tecti.“ De terrore ſuperius unum, alterumve excitavi, Sect. I. V. His addam tertium, quod *idem Ill. L. B.* retulit (b) „ Schenkii uxor in nonum menſem gravida, ob incenſam vicinam domum territa, adeo gravi epilepſia correpta eſt, ut intra duodecim horas ſæpius repetitis inſultibus unacum fœtu exſpiraret. „

Quid jam plura exempla adferam, dum vehementes animi commotiones univerſim inter cauſas abortus numerant practici? vid. immor-

ta-

(a) Com. in aphoriſ. Boerh. §. 1306.
(b) L. c. §. 1075. n. 3.

tales viri *Boerhaave*, (c) *Hoffmannus*, (d) *Gorter*, (e) *Osterdyk Schacht.* (f) Discant inde gravidae, quantum periclitentur, dum solutis modestiae & temperantiae habenis in impetuosas iras ex consuetudine quasi ruunt; dum quibuslibet sese occasionibus facile submittunt, quibus causas vehementer animum commovere apras evitare vix possint, & sibi & fœtui perniciem illaturæ. Discant inde omnes, quantopere cavere debeant, ne imprudentia sua praegnantes irritent, aut inopinato muncio bono, vel malo, illas percellant, aut in alios animi affectus praecipites agant, tum fœtui, tum iis exitiales.

VI.

Vestitu non obsint utero gravido.

Prout uterus fœtus indies mole crescit, abdomen extendit, sursum antrorsumque elatus, diaphragmatis, viscerumque sub eo locatorum actiones continuo magis impedit, donec ad terminum graviditatis subsideat: ita vestes abdomen, pectusque cingentes continuo relaxare necesse est. Inde facile intelliges, quam damnosum sit, progrediente graviditate pectus, superioraque ventris thoraculus stringere, firmis in-

su-

(c) Aphor. de cognosc. & curand. morb. §. 1306.
(d) Med. rat. system. T. 2. p. 159.
(e) Prax. med. system. Num. 439. X.
(f) Instit. med. pract. lib. X. cap. 2. N. XX.

per fulcris tumentem ventrem reprimere, circulisque ferreis, aut de balænæ ossibus factis premere, quo virginalem formam vel mentiantur, vel conservent.

Etenim dum uterus fœtus ita pressus impeditur, non solum irritatur ipse, ut inflammationem concipiat; in spasticos motus concitatur, ut adnexam sibi placentam, una cum fœtu exeutiat; ad latera cogitur, ut obliquum situm suscipiat: sed & intus clausus fœtus vim patitur, per quam contusiones, deformitates, imo vitia organica produci posse, exempla docent. Insuper ob uteri obliquitatem, obque impeditum in motu suo fœtum partus adeo difficilis sit, ut dexterrima manu adhibita vix perfici valeat. An non cum ratione suspicatur cel. *Russel* potiorem faciliorum partuum per Syriam causam in eo esse, quod fœminæ corpus suum nunquam thoraculis constringant? (g)

VII.

Evitent errores in diæta.

Longus essem, si omnia illa mala recensere vellem, quæ gravidæ ab erroribus in diæta pati possunt. Legi de illa meretur mox cit. autor (h) cum

(g) Zückerts Diät der Schwangern, Kap. 3. §. 15. S. 39.

(h) l. c. Kap. 4. S. 40.

cum & alias de gravidis utiliſſimas res pertractet. Nata enim ex copioſo nimis cibo, ex cibo difficulter diggerendo ſaburra, non tantum appetitum adimit, vomitum, diarrhæam, termina cauſare poteſt, ſed & febres accendere, hæmorrhagiam uteti excitare, ſic multiplici ratione abortum cauſare, ipſamque gravidam in periculum conjicere. Non me latet, gravidas interdum maximos in diæta exceſſus impune non tantum ferre; ſed inde cum fœtu ſuo ita proficere, ut feliciſſimo partu graviditate defungantur: at talia exempla, ut rariora ſunt, ita ſolum probant, naturam interdum, inordinata appetentia occultis malis medelam ſollicitare, ferre.

Sed & potus in vitio eſſe poteſt. Abuſus potus theati adeo relaxare poteſt uterum, ut peregrinum onus *ultro retinere impar*, illud ante tempus dimittat. Nunquam abortus frequentiores in Hollandia fuiſſe, quam poſtquam inducente *Bontekoe* uſus potus theati in abuſum converti cœperat, diſcipulis ſuis retulit cel. *Haenius*.

Spirituoſorum potuum itidem abuſus triſtia non minus ſecum fert mala. Rarefacti illorum virtute humores, in inconſuetos motus concitata vaſa, auctus ita ultra modum humorum circulus, quam efficacem, uterinæ hæmorrhagiæ, abortus, febris ardentis, inflammationis uteri, cauſam non conſtituunt? an impune ferat fœtus ſanguinem ſpirituoſa acrimonia ſcatentem ſibi appulſum, dum lacte de ebrioſa nutrice hauſto adeo gravitar lædi contingit lactentes? ſane perquam ſa-

pi-

pienter egere Carthaginenſes (i) Romani (k), dum adverſus ebrietatis vitium leges tulere, &, ut refert *M. Cato* (l), ob vini abuſum fœminas in jus vocavere, & æque acerbe mulctavere, ac ob fornicationem, atque adulterium.

VIII.

Interdicant ſibi commercium cum viris ſtante graviditate.

Ut leges canonicæ gravidam a præſtando debito conjugali diſpenſant; ita plures gentes lege caverunt, ne, humore prolifico ſemel fœcundata, ultro viro congrediatur: quod non aliam certe ob rationem feciſſe videntur, quam ut abortus præcaverent, quibus ſpe obtinendi civis fruſtrarentur. Quam efficax autem abortus cauſa ſit coitus, & quam efficax ad præcavendum habitualem abortum remedium ſit abſtinentia ab illo, multæ docent hiſtoriæ a medicis relatæ, quarum ſequentes in utramque cauſam comprobandam ſufficere exiſtimo.

„ Novi, inquit cel. *Klinkoſch* (m), virum „ nobiliſſimum duas charas in principiis puerpe„ rii ſucceſſive amiſiſſe uxores, qui conſilio ob„ ſte-

(i) Pet. Müller tract. jurid. de jure prægnant.
(k) Plutarchus in Numam.
(l) Noct. Artic. l. X. c. XXIII. p. 212.
(m) Program. de hydrocephalo fœtus rariore.

„ ſtetricis inductus, ad partum facilitandum vi-
„ asque lubricandas, vires ſuas inſumſit ultimo
„ graviditatis tempore. " Secuit *idem* (n)
„ cadaver puerperæ hyſteritide demortuæ, cujus
„ maritus amare retulit, eam ſemper ſanam vi-
„ xiſſe, binarum prolium matrem fuiſſe, ab ulti-
„ mo vero coitu, duabus ante partum diebus
„ acto, doloribus ſummis ac tenſione ventris,
„ febri, hæmorrhagia uteri, correptam fuiſſe;
„ fœtum, quem paulo ante ſentiebat vivum,
„ excluſiſſe mortuum octavo geſtationis menſe,
„ & tertia a partu die ſignis inflammationis ute-
„ rinæ præcedentibus, ſubito periiſſe. Alii fæ-
„ minæ ſanæ, quæ quinquies jam abortum paſſa
„ eſt, & cui nullis artis præſidiis diſpoſitionem
„ ad abortum corrigere potuit, *idem*, conſuluit,
„ cum de falacitate ejus & mariti bene gnarus
„ eſſet, ut ſimul ac de conceptu facto vel tan-
„ tum ſuſpicaretur, toto reliquo graviditatis
„ tempore remota viveret a marito. Conſenti-
„ ente marito hocce conſilium ſequens, reitera-
„ tis vicibus fœcundata, nunc tertium jam ex-
„ cluſit fœtum, robuſtum, in totius familiæ ſo-
„ latium. &c.

Verum non hic finis ærumnarum eſt; mul-
ta alia præter abortum mala ex hac cauſa ex-
ſpectant miſeras. „ Uterus enim, continuat
„ *idem* (o), qui totus cum graviditatis progreſ-
„ ſu magis, magisque vaſculoſus, ſangnine ma-
„ gis

(n) *Program. de hydrocephalo fœtus rariore.*
(o) I. c.

„ gis plenus, mollior, potenter irritabilis, &
„ ſenſilis redditur, nunc tum ob plethoram ute-
„ rinam, congeſtionemque humorum, a coitu
„ auctam, & calorem majorem inductum; tum
„ ob mechanicam, a compreſſione ventris, re-
„ petitaque contra eum frictione penis, læſio-
„ nem plus adhuc repletur, turget, confricatur,
„ ſpaſtice adficitur, vis vaſculorum vitalis in eo
„ augetur, ſanguis in gravidis aliunde denſus, &
„ ſpiſſus, vere fit phlogiſticus, vaſcula obſtruun-
„ tur, rumpuntur, humores extravaſantur, ſta-
„ gnant, ut ideo hydatidibus uterinis, aquis ſpu-
„ riis, hæmorrhagia, inflammatione, ſuppuratio-
„ ne, gangræna, ſcirrho uteri, abortu, convul-
„ ſionibus, febre, gravi puerperio, aliisque ab eo
„ pendentibus malis infeſtentur matres, quinimo
„ puerperii tempore non raro pereant. “

Sed nec infans, utero incluſus, intempeſti-
vam veneris vim ſemper impune fert. *Idem vel.* vir *l. c.* poſtquam hydrocephalum, quo neonatus infans laboraverat, a celebrato octo ante partum diebus fervente veneris actu, cauſatum fuiſſe demonſtraſſet, certe recte dolet, multa alia mala ab hac cauſa miſellis induci, alios abortu perire, alios monſtroſe deformari, alios mortuos, aut mox perituros naſci, alios denique fatuos, debilesque corpore totam vitam degere.

Hæc profecto tanta ſunt, ut cordatius a conjugibus perpendi mereantur, ne tum propriæ, tum alterius vitæ arguantur unquam everſores: ego ſolum his ductus rationibus non poſſum non valde optare, atque ſuadere, ut conſuetudine brutorum tantum venerem ſectantes, modo tan-

quam

quam amici conversari animo serio agerent, ne, cui vitam dabant, eam germinanti adhuc, intempestiva venere, inter ipsas fabricantis artificis Naturæ manus, iterum adimerent. Sane multi servarentur, qui alias petulanti voluptatis usu, e domiciliis vitæ suæ extrusi, fatis (antequam hanc lucem aspexerint) cedere coguntur.

SECTIO III.

Officia medicorum in gravidas.

I.

Supereſt jam, ut, dicendo, ea, quæ medicorum sunt, propositum complcam; quæ quidem, etsi vastissimo campo mihi pateant, non nisi contracta proponere, rerum angustia cogit.

Maxima gravidarum pars sine medico graviditate defungitur; quæ enim citra morbum manifestum illis contingunt incommoda, vel negligunt ipsæ, vel obstetricibus suis committunt. Sunt tamen non plane nulli casus, ubi medico incumbit, gravidis opem suam deferre, imprimis illis, quo & sanitati invigilandum habet, & quo ob infelices graviditatis successus consulitur. Qua in causa, ut medicus suo integre fungatur officio, & fœtum semel uterum ad graviditatis a natura præfixum terminum usque tutum conservet, e re sua esse sciat; *immutare dispositiones, quæ abortum facilitare, & impedire ea omnia, quæ effectu suo eundem efficere possint*, denique *mortuo*

tuo forte in utero fœtu, matrem salvam ser-vare.

II.

Plura sunt, quæ ad abortum disponunt, corporis vitia, alias in toto hujus habitu, alias in solo tantum utero, aut circa hunc posita. Prioris loci sunt plethora, sanguinis defectus, tenuitas, & acrimonia; universalis debilitas, laxitas, nimia irritabilitas. Prior etenim, dum omnia vasa sanguinis copia distenduntur, minora æque, ac majora replentur, neque in his & illis vis propellens imminuitur, vel plane suffocatur, facit, ut placenta ultra vires suas oneretur, sanguis in ea accumuletur, proportio fluidorum ad solida vasa excedat, ita demum, ut nexus ejus cum utero facile solvatur, hæmorrhagia eveniat, sequatur abortus; quæ profecto tum eveniunt certius, quando universalis debilitas, vel laxitas concurrunt, sub quibus corporis conditionibus minus abundans sanguinis copia oneri fit, & viribus motricibus, & vi cohæsionis facile superior naturalem placentæ cum utero nexum citius divellit. Eo concurrunt etiam sanguinis defectus, tenuitas, & acrimonia, quibus vitiis dominantibus solidorum compages minus firma est, nexusque debilior.

Sub nimia autem corporis irritabilitate, quæcunque irritamenta, & animi commotiones tantos in corpore motus excitare valent, ut hospitans utero fœtus, resistendo impar, solutis cum matre nexibus domicilio suo ante terminum expellatur.

Al-

Alterius loci ſunt, uteri debilitas, laxitas, rigiditas, nimia irritabilitas, ſcirrhus, & alia localia vitia, quæ tamen non ſimul imprægnationem impediunt. Dum enim uteri compages debilior eſt, fœtum continuo pondere creſcentem ad terminum continere non potens, eum elabi ſinit; dum uterus laxitate peccat, affluentium humorum copia turgidus firmam cum placenta cohæſionem inire non poteſt; dum rigiditas in vitio eſt, diſtenſioni, quam creſcens quotidie mole fœtus requirit, renititur, eumque demum excutit; dum uterus vitioſa irritabilitate peccat, vim quamcunque tum diſtendentem, tum titillantem fœtus ferendo impatiens, in violentos concitatur motus, quibus & placenta ſolvatur, & expellatur fœtus; dum ſcirrho, aut alio vitio locali infeſtatus eſt uterus, vel renitendo diſtenſioni, vel hanc motumque fœtus ægre ferendo, ſerius citiusve moleſto ſibi pondere ſeſe liberat.

Poſtremo demum ſunt pelvis anguſtiæ, tumores in abdomine circa uterum poſiti, & alia ejusmodi impedimenta, quæ utero increſcenti, & in altius aſſurgenti obnituntur, faciuntque, ut explicari impeditus vim totam in orificium ſuum convertat, ſic levioribus etiam accedentibus cauſis fœtu ſe exoneret.

Quibus ſigna varia iſta corporis vitia cognoſcantur, diſtinguantur, quibusve remediis emendentur, hic non dicam, quod ex generalibus artis principiis facile inveniri poſſint, & ſpecialis eorum pertractatio ampliorem longe laborem expoſcat, quam quem vires meæ ſuſtinere poſſint. Quas ob rationes eadem brevitate etiam ea, quæ abor-

abortum efficere possunt, percurram, contentus monuisse, ad quæ advertere oporteat medicum, ut officio suo erga gravidas satisfaciat, quod eo citius exequar, quod plurimas abortum excitantes causas in prioribus sectionibus jam attulerim, earumque agendi rationem explanaverim.

III.

Est itaque ultro e re medici, primo, ut gravidas moneat de periculis, quibus se se, gestatamque prolem subjiciunt, dum animi passionibus frena laxant, dum impetuosis motibus corpus exercent, dum pertinaci otio indulgent, dum vitia quælibet in diæta committunt, dum abdomen arcto nimium vestitu constringunt, dum veneris exercitia sibi non interdicunt.

Secundo, ut impediat, & auferat eas causas, quæ præsente corporis dispositione abortus certiorem metum faciunt. Tales sunt sanguinis abundantia, febrilis ejusdem motus, vehemens tussis, sternutatio, violentus vomitus, diarrhæa, imprimis dysenteria, & tenesmus, motus convulsivi, & vitium saburrale, quod ut mox dicta symptomata causare aptum est, ita etiam in uterum ipsum vim suam exercere potest eo usque, ut ab eo solo hæmorrhagiam uteri oriri posse in observato sit.

Postre-

Postremo denique interest medico, ut in signa mortui in utero fœtus diligenter advertat, ne dum tristem hunc pro humanitate casum intelligit, expulsionem illius negligendo, matrem illis succumbere sinat periculis, quæ, ob putrescentem in utero molem, miseram exspectant.

XIII.

XIII.

GEORG. LEITHNER

DISSERTATIO

DE MORBILLIS.

1783.

Morbilli vi nominis spectata, parvi quidem morbi ideam præseferunt, sed si epidemicas constitutiones, aut aliorum morborum complicationes simul intueamur; videmus eos sæpe periculosissimos, atque funestissimos esse. Est autem hic morbus species febris exanthematicæ sui generis cum eruptione macularum rubrarum ad suppurationem non tendentium, incertamque figuram referentium, quæ finiente morbo furfurum adinstar desquammantur.

De origine morbillorum auctores æque variant, ac variolarum quorum alii, ut *Mercuriales* & *Lidelius* negant, hos morbos veteribus jam fuisse notos, sed primo *Avicennæ*, aliorumque arabum ævo innotuisse. Verum *Drelincur-*

tius

tius acriter defendit hos morbos non solum *Rhazi Avicenna* longe majoris ætatis, sed etiam Græcis jam fuisse notos, & tantum exanthematum nomine designatos. Alii notitiam morbillorum Græcis tribuunt eo ex capite, quod hi ab arabibus ut novi morbi non fuerint descripti, quod procul dubio factum fuisset, si illis incogniti fuissent.

Si autem altius inquiratur, videntur morbilli antiquis temporibus aut nunquam epidemice grassati, aut non omnibus nationibus, ut nunc communes fuisse. Nam ante Batavorum in Orientales & australi-Orientales insulas adventum morbilli & variolæ his incolis plane incogniti fuerunt. Quamobrem hi incolæ, quibus Hollandi nondum imperarunt, navigantibus accessum ex mari in terram denegarunt.

Quæstio, cur a veteribus hi morbi accurate non fuerint descripti, facile solvitur, si perpendimus eo primis temporibus benigniores fuisse, quos consequenter consueta methodo antiphlogistica, uti omnes alias febres acutas curarunt, quæ constabat in abstinentia ciborum, & potu multo diluente. Quod autem benigniores fuerint primis temporibus, ratio est, quod corpora fuerint robustiora, magis exercitata, injuriis aeris magis assueta, nec adeo delicata, nec luxu deperdita.

Sæculo autem septimo morbilli primo in Hispania grassari inceperunt, procul dubio Arabum commercio illuc delati, inde vero in alias magis, minusve distitas regiones paullatim proserpserunt.

Quam

Quum locus hic non ſit hiſtoriam & propagationem hujus morbi conſcribendi; hinc hæc latius noſſe, qui voluerit, alios conſulere poterit.

His præmiſſis jam proprietates morbillorum partim ſibi ſolis, partim etiam variolis communes conſiderandæ veniunt.

Primo. Morbili contagio propagantur, & homines iisdem mœnibus concluſos corripiunt; quod ex obſervationibus & hiſtoria inoculationis patet. Sed quæſtio eſt, an contagium ſolum morbilos propaget. Sunt, qui affirmant; ſunt etiam, qui negant eo, quod modo epidemice, modo ſporadice graſſentur. Hinc concludunt, præter contagium debere illos aliam originem habere. Sed ſi præter contagium aliam originem haberent, tunc deberent morbilli epidemice graſſantes omnes homines morbillos nondum paſſos adficere & corripere, quod tamen non contingit in hominibus eo, quod non omnia corpora ſint diſpoſita; inde fit, ut miaſma, ſi etiam ſuſcipiatur, in non diſpoſitis vel iners maneat, donec alia accedat cauſa, aut eadem cauſa duplicetur, vel iterum ex corpore per varia colatoria: ut vias urinæ, ſudoris &c. expellatur, quin morbus in actum deducatur. Idem obtinet in morbilis ſporadicis.

Secundo. Venenum morbilloſum vim & efficaciam citius amittit, quam varioloſum. Certum tempus, quamdiu vis & efficacia veneni morbilloſi æque ac varioloſi retineatur, aſſervarique poſſit, obſervationibus practicorum determinatum nondum eſt; ſed citius venenum morbi-

billoſum vim amittere certo conſtat; cum nulla hiſtoria poſſit aſſignari, quod poſt plures annos vis contagii veſtibus aut aliis rebus morbillantium adhucdum inhæſerit, ut inde homines hoc morbo correpti fuerint.

Verum variolæ poſt multos annos propagationis vim retinent, de quibus hic per tranſennam obſervationem notatu omnino dignam inſerere liceat circa efficaciam & vim absque diſpendio diutiſſimè perſiſtentem contagioſi miasmatis, quæ refertur *in Londin. Magazin: Sept.* 1752. „ In anglia veſpillo aperuit ſepulcrum, „ in quo ante triginta annos vir variolis defun„ ctus fuerat reconditus. Fracto ſarcophagi „ operculo fœtor illico prorupit magnus. Intra „ paucos dies quatuordecim ex iis, qui adfue„ rant, variolis laborabant, omnesque pagi in„ colæ morbum nondum paſſi ægrotabant binis „ unice exceptis. Notatu imprimis dignum eſt, „ variolas inde in omnes penetraſſe urbes, ex „ quibus homines ſepulturæ interfuerant. “

Tertio. Morbilli plerumque ſemel tantum hominem corripiunt. Dico plerumque; nam non deſunt obſervata præſtantiſſimorum medicorum, qui homines bis, immo ter morbillis correptos annotarunt; inter quos *celeberrimus de Haen rat. med. Tom.* 3. commemorat., ſe in epidemica conſtitutione Viennæ infantes morbillis correptos obſervaſſe, quos antea jam in eodem morbo curavit. Sic etiam *Clariſſ. Home* bis & ter iteratorum morbillorum exempla adfert. Quare hæc exempla cum Clariſſ. *Roſenſtein* non ſunt neganda, qui vero morbillos ſæpius redi-

dire non admittit, sed tantum spurios. Verum spurii morbilli non sunt ea ratione defendendi, ut variolæ spuriæ, cum inter veros & spurios nullum discrimen possit assignari, nisi sub spuriis maligni intelligantur, uti *Morton Pyretolog. Tom.* 3. *cap.* 3. qui etiam exemplum adfert alicujus bis morbillos passi.

Quarto. Venenum morbillosum est ea natura, ut ubicunque applicatum semper producat morbillos. Hoc enim venenum non est ex ea classe, quod tantum unica via nocet: dantur venena, quæ deglutita innoxia sunt, si vero vulneri applicentur, letalia fiunt. Venenum autem morbillosum semper inficit hominem, ubicunque & quomodocunque applicetur.

Quinto. Morbilli epidemice grassantes plerumque exitiosi sunt. Si autores ab illo tempore pervolvimus, quo morbilli accuratius observantur, invenimus epidemicos morbillos plerumque exitiosos fuisse. Sic ut plures omittamus instantias, *Morton Pyretol. Tom.* 3. *cap.* 3. commemorat anno 1670. Londini omni septimana tercentos morbillis consumtos fuisse. Anno 1732, Viennæ morbillantes febri inflammatoria corripiebantur, & in prima febris periodo morbillorum eruptio apparebat, quorum aliæ maculæ in hac parte corporis rubræ, in illa pallidæ conspiciebantur, cum faucium inflammatione. Secunda vel tertia die sphacelus in faucibus aderat, alvus laxa, & maculæ evanescebant; tertia vel ad summum quarta die fere omnes moriebantur. Anno 1742. Londini nongenti, octuaginta unus morbillis perierunt. Anno 1772.

Viennæ morbilli & *febres putridæ* late graſſati fuerunt.

Sexto. Morbilli in malignam conſtitutionem incidentes funeſtiſſimi ſunt.

Conſtitutio maligna alioquin ejusmodi progignit morbos, qui curatu difficillimi omni fere medicinæ pertinaciter reſiſtunt, viresque vitales ſubito proſternunt: morbilli autem libenter ſibi adſciſcunt morbos vel epidemicæ vel annuæ conſtitutionis, & cum his complicantur; quid mirum, ſi morbilli cum aliis morbis complicati genium *conſtitutionis regnantis* ſimul ſequentes inde typum alias conſuetum mutent, atque plurimum exacerbati funeſtiſſimi evadant. Itaque in tali conſtitutione morbillantes ſollicite a ſanis ſunt ſegregandi, ne ſani pariter hoc morbo inficiantur atque correpti conſumantur. Nam a morbillis æque ac variolis per totam vitam immunes eſſe poſſemus, dummodo virus corpori non communicaretur.

Septimo. Venenum morbilloſum alios quoque amat morbos. Obſervatum enim eſt & obſervatur adhuedum morbillos alios morbos vel annuæ *conſtitutionis*, vel epidemiæ regnantis ſibi adſciſcere, indeque exacerbari; quare hyeme & vere plerumque morbi pectoris inflammatorii cum morbillis complicantur; æſtate vero morbi hujus tempeſtatis, uti bilioſi, putridi, maligni, non raro etiam compoſiti ex bile & phlogoſi morbillis ſe aſſociant; hinc etiam ex anni tempore indicatio deſumenda eſt.

Octa-

Octavo. Morbilli frequentius in phthiſin abeunt, quam variolæ. Morbillos in phthiſin abire multis jam adhinc ſæculis conſtat. Cauſæ enim facile innoteſcunt, ſi conſideramus, acre ſtillicidium narium morbillorum ſemper comes, & pulmones præ primis petens; ſi perpendimus pulmones plerumque inflammatos, & ſæpe benignam reſolutionem reſpuentes; ſi videmus tuſſim pulmones acri lympha ſimul oneratos ſemper defatigantem; ſi cum *Tiſſot avis ou peuple* obſervamus materiam morbilloſam per alvum vel os critice non evacuari, ſed ad pulmones deponi, unde oppreſſio pectoris, tuſſis aucta, febris & tandem ſuppuratio ſuccedit, & inde phthiſis pulmonalis. Nonnunquam tamen non tantum malum phthiſeos, ſed diuturna, pertinax, & vix non convulſiva tuſſis oritur; niſi quod in morbillis epidemicis ſæpe numero contingit, infantes, ac teneri compage prædiți nono maxime die ſuffocati pereant.

„ Uſitatiſſimus hujus phthiſeos prodromus „ notante *Morton in phthyſiol. libr.* 3. *cap.* 12. „ eſt levis peripneumonicus adfectus, vel tuber„ cula ſcrophuloſa in ipſis pulmonibus nata, quæ „ primum in priorum morborum declinatione „ ſemper oriri ſolent; quo fit, ut febrilis calor „ non tantum rurſus accendatur, verum etiam „ tuſſi, diſpnœa, vigiliis, ſiti, inappetentia, imo „ etiam aliquando dolore pectorali, atque aliis „ incipientis phthiſeos ſignis ſtipata redeat "

Quod vero morbilli frequentius in phthisin abeant, quam variolæ, ratio est, quod variolæ sæpius, quam morbilli nullam inflammationem sibi junctam habeant; quod acre stillicidium narium variolas non comitetur, nec pulmones petat; quod variolantes ante morbi eruptionem catarrho non vexentur, uti morbillantes, ut bene monuit *Hoffmanns* inquiens: „ ante eruptionem morbillorum adsunt quidem pariter (uti „ in variolis) inquietudines, pavores in somno, „ cordis palpitationes facta efflorescentia cessantes, sed materia magis infesta est pulmonibus; „ ideoque id singulare habent, quod individuus „ comes sit tussis violenta, ferina, qua infantes „ sæpe per quatuordecim & longius ante dies „ excruciantur.

Nono. Morbilli aërem frigidum non admittunt. Morbilli etiam æstate graſſantes sæpe numero cum peripneumonia conjunguntur, præsertim si febris inflammatoria stationaria evadat: quid mirum (si hyeme, vel vere frigido) quo morbilli plerumque erumpunt, hanc peripneumoniam, tanquam inevitabilem sibi comitem accersant. Aërem frigidum autem invitare peripneumoniam, tussim exasperare, stillicidium acre augere, ultro patet; hinc morbillantes etiam reconvalescentes aërem frigidum caveant, ne peripneumonia corripiantur.

Decimo. Morbilli acida toto tempore non ferunt, licet febris inflammatoria ea poscat. Nam acida fauces irritant, irritando tussim, quæ semper comes morbillorum est, exasperant, atque periculum suffocationis augent; cum tussis adeo

sit

fit infesta pulmonibus, ut inde etiam causa phthiseos sæpe numero repeti possit.

Undecimo. Morbilli in regionibus calidis crudelius grassantur, quam frigidis; ratio videtur in calore esse sita, qui corpora laxa reddit, ut saburra in primis viis facilius generetur, ex qua febres putridæ dein exurgunt, quibuscum morbilli complicati homines e medio tollunt. Sic legimus priori sæculo in insula Australi-Orientali Moa tertiam partem hominum morbillis fuisse consumtam. Idem triste fatum experiuntur morbillantes in Jamaica, qui sibi ipsis plerumque relinquuntur, ubi morbilli crudelius grassantur, quam variolæ epidemicæ in Europa. Majori sævitie morbilli in Hispania grassantur, quam in Germania, aut regionibus magis borealibus.

Duodecimo. Morbilli cum variolis simul non complicantur.

Diemerbroeckius vult observasse morbillos cum variolis simul complicatos; quam complicationem cum vix non omnes in dubium vocent, cum quid tale nunquam observaverint; certe huic viro fides sancta non est adhibenda, sed hoc cum aliis tenendum, quod morbilli & variolæ eodem tempore in eodem loco simul grassentur, quin tamen quis his morbis simul corripiatur; sed uno morbo superato in alium incidat.

Antequam causæ morbillorum disquirantur discrimen, quo morbilli ab aliis exanthematibus variis interstinguntur, exponendum est.

A variolis morbilli differunt 1mo quod morbillantes adfectione catarrhali, angina, coryza, & acri lacrimarum ſtillicidio vexentur. 2do quod febris morbilloſa aerem frigidum non admittat, cum pulmonibus præprimis ſit inimica quem ramen varioloſa poſcit. 3tio quod morbilli non eleventur in veſiculas, nec in ſuppurationem abeant, ut variolæ.

A ſcarlatinis 1mo quod morbilli ſint magis elevati, magis diſcreti, minus confluentes, minusque rubri; ſcarlatinæ maculæ vero colore æquali confluunt, & in pannum quaſi ſcarlatinum æqualis coloris abeunt. 2do quod morbilli regulare plerumque tempus eruptionis atque exareſcentiæ obſervent, propriisque ſymptomatibus mox ennarratis ſtipentur; ſcarlatinæ vero omni morbi tempore erumpere obſervantur, nec iisdem ſemper ſymptomatibus ſtipari.

A petechiis, quod morbilli petechias amplitudine & elevatione tantiſper notabiliori ſuperent. *Hoffmannus*, quod petechiæ colore varient, mox ſunt roſeæ, rubræ, bruneæ, vel nigræ, mox cinereæ vel plumbeæ, incertoque tempore atque ordine erumpunt; „ quod petechiæ ſem„ per hic illic per collum pectus, brachia, vel „ crura figura exquiſitiſſime rotunda ſpargantur, „ ac ſi a morſu pulicum ortum caperent. *Mor„ ton.*

A miliaribus, quod morbilli ſint maculæ; milliaria autem puſtulæ exiguæ, milii ſeminis; aut lentis magnitudinem habentes, nec contagio propagentur, nec certum eruptionis ordinem obſer-

ſervent; nam plerumque in collo primum in conſpectum veniunt. Subinde etiam nullam febrim ſibi comitem habent, quæ nunquam in morbillis deſideratur.

A ſcorbuto, quod ſcorbuticæ maculæ latiores ſint, ac morbillorum, coloris obſcure rubicundi, ut plurimum ſine febri, vix ante ſeptimum vel nonnm diem in conſpectum veniunt, ſine pruritu.

Cauſa morbillorum ab antiquis varia ſtatuebatur. Avicenna, aliique Arabes cauſam hujus morbi a ſanguine menſtruo graviditatis tempore reſtitante reperierunt; qui tamdiu deliteſcat, donec ſpecifica cauſa accedat. Sed hanc cauſam non eſſe ex conſideratione inoculationis & analyſi chemica ſanguinis menſtrui patet. Nam quamprimum venenum morbilloſum corpori communicatum & corpus diſpoſitum eſt, homo brevi febri morbilloſa corripitur, unde apparet, venenum morbilloſum non diu poſſe in corpore latere, quin in morbum erumpat.

Neque altera ex parte ſanguinem menſtruum cauſam eſſe inde elucet, quod ſanguinis menſtruus æque purus, æque innoxius ſit, ac de vena miſſus; qui ſi acimoniæ fomitem in ſe contineret, certe non tamdiu in corpore præſertim valde tenello poſſet deliteſcere, quin poſt breve tempus reliquam humorum maſſam inficeret, morbumque progigneret. Et tamen homines ſunt, qui provecta ætate aut plane non per omnem vitam hoc morbo infeſtantur. Accedit, quod aliquæ femi-

feminæ toto graviditatis tempore hoc fluxu menstruo regulariter gaudeant; quare absente causa effectus deberet evanescere, atque infantes a talibus feminis excluſi per omnem vitam ab hoc morbo esse immunes, quod tamen observationibus haud respondet.

Vera causa videtur esse ipsum venenum morbillosum aeri, aut vestibus, aut aliis rebus inhærens, quod si corpori applicatur & sanguinis massa adficitur; effectum ponit, febrim causſat, & omnia symptomata gignit, quæ per decursum hujus morbi observantur.

Attamen præter hanc causam requiritur etiam dispositio corporis, sine qua miasma aut iners manet, donec alia accedat causa, aut per colatoria varia ex corpore rursus eliminatur, quo homo denuo ab hoc morbo immunis manet, donec alio tempore, dum corpus dispositum est, miasma de novo applicetur, morbusque procreetur.

Nota. Non quævis ætas, nec quivis homo omni tempore vel epidemica constitutione regnante aptus est ad morbos contagiosos suscipiendos; sic observantur homines, qui quadam epidemica constitutione regnante omne commercium cum morbillantibus habentes non eodem morbo adficiuntur, alio vero tempore facillime, & cum primis corripiuntur; quare dispositio sane inter causas locanda censetur.

Nunc

Nunc jam divisio, eaque varia statuenda est.

1mo. Morbilli dividuntur in *Sporadicos* qui tantum hinc inde quemdam adficiunt, & in *Epidemicos*, qui plurimos corripiunt.

2do. In febrim morbillosam *cum eruptione* exanthematum, quæ fere semper contingit, & in febrim morbillosam *sine eruptione*, quæ rarissime, tamen a *Morton* observata est, in sua *Pyretolog. Tom. 3. cap. 3.*

3tio. In morbillos *benignos*, qui levissima & pauca symptomata habent, & in *malignos*, qui cum periculosissimis, & plurimis symptomatibus conjunguntur.

4to. In *regulares*, qui omnia tria stadia mox describenda accurate observant; & in *irregulares*, qui ab his stadiis deflectunt, hinc citius vel serius erumpunt disparentque, nec faciem primo sed humeros, uti *Sydenham* observavit, occupant, nec aliorum more squammularum forma decidunt.

Stadia quæ in morbillis observanda veniunt, statuuntur tria; primum *contagii*, secundum *eruptionis*, tertium *convalescentiæ* seu *exarescentiæ*.

Primum stadium complectitur illud tempus, quod inter initium morbi, & ipsam macularum rubrarum eruptionem intercedit, quæ tertio die fini-

finiente, aut quarto incipiente in regularibus contingit.

Secundum ſtadium initium ſumit, dum morbilli ſeu maculæ rubræ erumpunt, quæ eruptio tertio, quartove die obſervatur, & ſe extendit ad ſextum vergentem vel ſeptimum diem incipientem, dum maculæ ſquammularum forma decidere conantur.

Tertium ſtadium conſideratur a die ſexto vergente vel ſeptimo initiante, dum maculæ emori, & cuticula rumpi incipiunt, & finitur die nono, quo jam nullæ maculæ amplius conſpiciendæ ſunt, ſed tota cutis farina quaſi conſperſa cernitur.

STADIUM I.

Primo die, dum homines hoc morbo corripiuntur, obſervantur horripillationes, caloresque alternantes; morositas & proclivitas in ſomnum apud infantes individuus comes eſt; adulti experiuntur vehementem cephalalgiam. His ſymptomatibus dies tranſit, donec altero die febris manifeſta erumpat.

Secundo die, morbus hic in conſumma tam febrim deſinit, & omnia ſymptomata præcedentis diei exaſperantur. Accedit ſimul ſitis, inappetentia, lingua alba non tamen ſicca, ſternutatio frequens, tuſſicula, capitis & oculorum gravedo, ſomnolentia perpetua, præcipue infantibus, affectio catarrhalis, quæ ſæpe per quatuor-

ordecim dies morbi eruptionem præcedit, dolor lumborum & morositas ingravescens. Si hæc symptomata simul humor acris ex naribus stillans, coryzæque speciem constituens, rubor & ardor oculorum, nec non fluxus lacrimarum quasi ardentium cum intumescentia palpebrarum, & scintillatione oculorum comitatur, ut morbus ex ophthalmia serosa, coryza, angina & simul catarrho compositus esse videatur, tunc hæc symptomata certam hujus morbi diagnosin constituunt. Observatur simul levis tumor faciei, quasi erysipelatosus, lassitudo spontanea, cardialgia, vomitus, aut alvi dejectiones, in denticulibus coloris subviridescentis, quæ si adsint, vomitus aut nullus, aut saltem rarior & tolerabilior est. Præterea tanta sensilitas oculorum ægros comitatur, ut etiam minimi lucis radii his intolerabiles esse videantur.

Sæpe ægri vexantur, delirio, colica, dolore tensivo artuum, oscilatione, prostratione virium, vertigine, dolore capitis atroci, adestque simul pulsus celer & debilis, respiratio cita, urina pallida, subsultus tendinum, angina &c. quæ malignitatem prænunciant, de qua postea agetur, dum anomalia morbillorum considerabitur.

Tertio die, eadem symptomata morbillantes affligunt, hoc solo discrimine observato, quod omnia symptomata præcedentis diei mirum in modum exacerbentur, & crescant, donec eruptio macularum contingat, qua facta febris statum, in quo nullum amplius incrementum sumit, adepta est. Namque hoc die febris usque crescit, tussis au-

augetur, vomituritiones fiunt continuæ, oppreſſio pectoris accedit plerumque major, reſpiratio evadit difficilior, ut impetus ſymptomatum ſæpe longe vehementior, atque periculoſior eſſe videatur, quam in variolis benignis. Inter hæc ſymptomata vergente hoc die, vel quarto incipiente finitur hujus morbi ſtadium primum cum eruptione macularum & perſiſtentia febris.

STADIUM II.

Stadium ſecundum *die quarto* inchoare memoratum eſt, quo die major intumeſcentia faciei obſervatur, & circa frontem reliquamque faciem maculæ parvæ, rubræ, pulicum morſibus perſimiles prodire incipiunt, quæ & numero & magnitudine ſenſim augentur, & racematim coaleſcentes faciem totam deturpant, ita, ut intra paucas horas tota facies maculis obſita ſit. Hæ maculæ e parvis papulis rubris haud longe a ſe invicem diſtantibus ſupra cutis ſuperficiem paululum elevantur, quarum protuberantia digito leviter admoto tactu facilius percipitur, quam oculorum præſertim paulo longius remotorum acie interſtinqui poſſit.

Maculæ primo in facie, dein ſenſim in pectore & ventre, tandem in cruribus, & tibiis in conſectum veniunt atque late ſeſe diffundunt, nullam regularem figuram obſervantes. In facie protuberantia uniuſcujusque maculæ facile videri poteſt; quæ ſæpe unitæ ita inflammant, ut tumor quaſi eryſipellatoſus factus oculos penitus claudat, quibus peculiariter proſpiciendum eſt.

augetur, vomituritiones fiunt continuæ, oppreſſio pectoris accedit plerumque major, reſpiratio evadit difficilior, ut impetus ſymptomatum ſæpe longe vehementior, atque periculoſior eſſe videatur, quam in variolis benignis. Inter hæc ſymptomata vergente hoc die, vel quarto incipiente finitur hujus morbi ſtadium primum cum eruptione macularum & perſiſtentia febris.

STADIUM II.

Stadium ſecundum *die quarto* inchoare memoratum eſt, quo die major intumeſcentia faciei obſervatur, & circa frontem reliquamque faciem maculæ parvæ, rubræ, pulicum morſibus perſimiles prodire incipiunt, quæ & numero & magnitudine ſenſim augentur, & racematim coaleſcentes faciem totam deturpant, ita, ut intra paucas horas tota facies maculis obſita ſit. Hæ maculæ e parvis papulis rubris haud longe a ſe invicem diſtantibus ſupra cutis ſuperficiem paululum elevantur, quarum protuberantia digito leviter admoto tactu facilius percipitur, quam oculorum præſertim paulo longius remotorum acie interſtinqui poſſit.

Maculæ primo in facie, dein ſenſim in pectore & ventre, tandem in cruribus, & tibiis in conſectum veniunt atque late ſeſe diffundunt, nullam regularem figuram obſervantes. In facie protuberantia uniuſcujusque maculæ facile videri poteſt; quæ ſæpe unitæ ita inflammant, ut tumor quaſi eryſipellatoſus factus oculos penitus claudat, quibus peculiariter proſpiciendum eſt.

Die quinto: morbilli non ſolum maxime extant, ſed etiam late ſeſe diffundunt. Non raro hoc die nova morbillorum eruptio ſuccedit nihil periculi præſagiens, qui etiam eodem ordine evaneſcunt, ut eruperunt, hinc uno die ſerius diſparent. Reliqua vero ſymptomata vix quidquam emendantur, ſed in eodem ſtatu, quo erant, permanent.

Die ſexto: maculæ latiſſimæ ſunt, & hinc inde jam illarum rubedo incipit minui, quod nullum periculum in ſe continet, cum jam ſtadium exareſcentiæ inſtet, ſymptomatum tamen nulla obſervatur remiſſio, ſed potius præcedentis diei contiuuatio; niſi hæmorrhagia ſponte oborta, levamen adferat, & multa ſymptomata minuat, aut penitus tollat.

STADIUM III.

Quemadmodum initium ſecundi ſtadii certo determinari nequit, ſic neque finis recte cum initiante die ſeptimo coincidit; nam ſubinde jam vergente die ſexto ſtadium exareſcentiæ inchoat; plerumque tamen, cum die ſexto ſymptomata continuent, & maculæ latiſſimæ, nullaque illarum aſpredo adhucdum ſe oſtendat, intrante primo *die ſeptima* frons, & facies incipit aſpereſcere, puſtulæ tunc ſenſim emoriuntur, cuticula rumpitur, & nova reſarcitur, quæ ſe ſub illa jam formavit. Per totum autem reliquum corpus maculæ & latiſſimæ ſunt, & maxime rubeſcunt, quin tamen ulla macula in ſuppurationem ducatur, ſed furfurum adinſtar eo ordine decidunt, quo eruperunt,

runt, primo in facie, dein in trunco, tandem in artubus.

Hoc die, si morbilli benignissimæ & optimæ indolis hominem invaserint, qui antea perfecta sanitate gavisus fuerit, si febris statim ab initio remediis convenientibus & regimine moderate calido tractata, atque ad justum moderamen reducta fuerit, nec illa symptomata periculosa aut deleteria apparuerint, si materies benignam resolutionem & criticam evacuationem, quæ vel vomitu vel diarrhæa levante perficitur, iniverit, tunc contingit, ut omnia symptomata insigniter minuantur & febris mirum in modum frangatur. Si itaque hoc contingit, tunc die nono vel ad summum undecimo æger perfectæ sanitati restitutus erit.

Sed hoc & in sporadicis morbillis rarissime observatur; nam fore semper tussis plus minus importunior per plures septimannas durans post plenariam morbillorum evanescentiam ægrotantes affligit, atque omnia etiam decantatissima remedia respuit, donec tandem ipso tempore potius, quam remediis curetur.

Cæterum his diebus maximum sæpe periculum ægrotantibus imminet; nam ex symptomatum perseverantia, intensitate; aut remissione prognosis statui potest, an æger alium periculosum vel diuturnum morbum subiturus, aut moriturus, aut brevi pristinam sanitatem recuperaturus sit; quare hoc tempore summa medici attentio requiritur, ut ægrum diæta peccare non admittat, ut perspiratio salutaris sustentetur, suppressa

sa restituatur, quod fit decocto emolliente tepido vel leniter diaphoretico; non vero calefacientibus, nisi vis vitæ nimium languescat; ut febris ad justum moderamen reducatur, nisi sponte remittat; nam sæpe hoc tempore nova venæ sectio requiritur, si febris aut uno tenore pergit, vel increscat, vel nova complicatur, cum non raro his diebus peripneumonia, aut pleuritis se morbillosæ febri associet, quod ex difficultate respirationis, & oppressione pectoris facile cognoscitur.

Die octavo, circiter maculæ in facie jam incipiunt disparere, & in reliquo corpore vix ulla palloris vestigia amplius cernuntur. Tussicula autem fracta etiam febri importunius morbillantes vexat, ut nec interdiu nec etiam noctu placida quiete frui possint, quare linctus, qui etiam per decursum morbi urgente tussi sæpius convenit, ex oleo amygdalarum dulcium recenter pressо, cum vitello ovorum subacto, addito syrupo florum rhæados vel diacodii porrigendus est cum decocto methodi indicatæ.

Nunc jam morbilli consuetum, a natura destinatum cursum absolverunt, licet vulgus autumet morbillos ex symptomatum continuatione, aut novorum apparitione, quæ morbillis recedentibus sæpe supervenium, justo citius se intro recepisse.

Die nono, verò nullæ prorsus maculæ & in facie & in extremitatibus conspiciuntur, sed toto corpore ægrotantes quasi farina conspersi observantur, cum particulæ disruptæ cuticulæ paululum

lum elevatæ vix amplius cohæreant, ſed cuticula in fruſta diſtracta poſtea a toto corpore ſquammularum forma decidit.

Si his diebus diarrhæa vel vomitus morbum levans ſponte ortus non fuerit, tuto conſenſu practicorum purgans hoc die porrigi poteſt, ut materis morbilloſa in corpore adhuc reſtitans inde eliminetur, quo fit, ut tuſſis cum reliquis perſtantibus ſymptomatibus pariter evaneſcat, vel ſimul & ſemel tollatur; niſi alia ſigna contra indicantia adſint, quæ potius venæ ſectionem poſtulant.

Abſoluto conſuetо morbillorum decurſu, jam ad methodum medendi ipſam & anomaliam eorum tranſeundum reſtat, quæ ratione febris complicatæ varia eſt: mox antiphlogiſtica, mox antibilioſa, mox antiſeptica, mox calefaciens. Varia quoque erit ratione ſymptomatum maxime urgentium atque exitus.

Si febris morbilloſa ſimplex cum nulla alia febri aut periculoſo ſymptomate conjuncta fuerit, tota curæ felicitas conſiſtit in moderamine febris, quod obtinetur.

1mo. Potu multo diluente, leniter diaphoretico, lympham acrem involvente, uti decoctis foliorum althææ, malvæ, parietariæ, verbaſci, radicum althææ, ſalep, ſimphyti, juſculis hordeaceis, avenaceis, infuſis florum verbaſci, tiliæ, ſambucci, rhæados, emulſis nitroſis tepidis.

Röſenſtein lac cum quinque partibus infuſi florum ſambucci optimo cum effectu exhibuit.

2do. Diæta tenui, excarni, plane vegetabili ex fructibus horræis, ne ventriculus gravetur aut oboneretur, quo febris augeretur, vel nova incenderetur.

3tio. Regimine moderato calido. Sub regimine moderate calido non intelligitur mos veterum, qui alexipharmacis ſudores exprimebant, atque ægrotantes ſtragulis obruebant, ut ſudoribus quaſi diffluerent; nec tempore æſtivo diebus ſerenis cubiculum ſollicite occludendum & omne auræ recreantis commercium ab ægrotantibus removendum cenſetur, quod potius ad febres putridas diſponit; ſed ut morbillantes ab injuriis aeris præprimis frigidi tempore hyemis aut veris defendantur, qui peripneumoniam aut pleuritidem invitat, ut jam ſupra notatum eſt.

Hac methodo in morbillis cæteroquin benignis tota cura abſolvitur, ut vix venæ ſectione opus ſit, niſi in robuſtis, vel plethoricis ob metum ſecuturæ inflammationis.

Nunc videndum, quandonam methodi modo allatæ adhibendæ ſint, quarum prima antiphlogiſtica eſt, quæ indicatur, ſi febris inflammatoria univerſalis, vel topica inflammatio, pulmonum, pleuræ aut encephali &c. cum morbillis ſe conjungit, quæ cognoſcitur.

1mo. Si pulſus durus, vibrans, celer plenus, & quidem magis plenus, quam in quocunque alio morbo, niſi ſuppreſſus ſit, qui in plethoricis ſæpe obſervatur; ſi calor magnus, quem & æger & medicus pulſum evplorans adverſit; ſitis magna, lingua alba, ſiccitas narium, labiorum, faucium, tuſſis absque ſputis, vel cum paucis aquoſis, reſpiratio anxia, difficilis ſæpe laboriosa, excretiones & ſecretiones pauciſſimæ, niſi diarrhæa orta fuerit; urina ruffa, parca, absque contentis, cutis imperſpirabilis, ſicca, aut ſi ſudor eſt, tantum per vices evenit, laſſitudo ſpontanea, alvus maxime obſtructa. Topica inflammatio cognoſcitur ex parte adfecta dolente; ſic pleuritis præter dicta ex dolore lateris punctorio intelligitur, peripneumonia ex oppreſſione pectoris, & ſic porro.

2do. Si cauſæ inflammationis cum morbillis coincidant, quæ ſunt corpus robuſtum exercitatum, antea perfecta ſanitate præditum; potus ſpirituoſi, ſaltus, ingeſta aromatica, ætas virilis, juvenilis, immo etiam puerilis, ſed rarius, aeris ſiccitas non qualiscunque, ſed frigidior, borealis, temperamentum ſiccum, hyems ſicca frigida &c. unde morbilli hyeme vel vere ſicco frigido plerumque cum febri inflammatoria complicantur, cum hoc tempus maxime inflammationibus faveat.

Remedia, quæ in hac ſpecie complicationis laudantur, ſunt ſumme antiphlogiſtica, ut diæta tenuiſſima ex meris juſculis carnis dilutiſſimis, aut ad ſummum fructibus, aut oleribus non nutrientibus, ſed emollientibus, ſolventibus, ſapo-

naceis. Dein phlebotomia etiam ſæpius iterata ratione intenſitatis febris & ægri habita, an perferre poſſit, non ſolum initio morbi, verum etiam in tertio ſtadio celebranda eſt, ſi febris non remittat; ſed potius intendatur. Prima tamen venæ ſectio ſemper ſit largior: *Tiſſot*; cum vis febris prima venæ ſectione largiter inſtituta tantopere infringatur, ut ulterior repetitio vix amplius ſit neceſſaria. Si autem tenellus infans ſit, convenit venæ ſectionis loco hirudines applicate, licet *Sydenham*, aliique etiam infantibus ſanguinem ex brachio derrahi non dubitarunt optimo cum effectu. Poſt venæ ſectionem omnis generis emollientia tepide ſumenda ſunt: ut decoctum althææ, malvæ, hordei, avenæ, verbaſci, parietariæ, ſalep, ſymphiti, emulſa tepida diluta amygdalarum, vel ſeminum quatuor frigidorum majorum; præterea clyſmata emollientia vel ex ſolo lacte, vel jure carnium, vel aqua tepida, aliisque; non minus balnea vel fomenta linteis quadruplicatis aqua tepida, vel decocto emolliente imbutis; dico tepida, non autem calida, ne calore orgaſmus humorum inducatur, febrisque augeatur. Si autem topica inflammatio morbillos concomitetur, tunc cataplaſmata emollientia parti affectæ applicanda ſunt.

Secunda methodus antibiliosa ſtatuebatur, quæ eſt in uſum trahenda, ſi febris biliosa cum morbillis complicata ſit. Noſcitur autem hæc complicatio.

1mo. Ex anni tempore, si æstas fervida sit, & eodem tempore plures simul simplici febri biliosa, aut dysenteria biliosa, laborent, quare morbilli æstivo tempore regnantes plerumque cum biliosa febri conjuncti effervescunt.

2do. Ex impuris primis viis, quæ produntur sapore oris amaro, vel ex dulci nauseoso, lingua alba levi flavedine obducta, aut flavescente, virideſcente; dentibus sordidis flavescentibus, labiis tremulis, præsertim saburra jam turgescente; rubore faciei majori quam in febri inflammatoria, turgore genarum & ambitu flavo circa nares; dolore capitis insigni, cum sensu exulcerationis, inquietudine nocturna, & agitatione in lecto, appetitu prostrato, ructibus amaris, acidis, austeris, rancidis, putridis, urentibus, vomituritionibus; quibusdam vomitus biliosus, æruginosus vitellinus obvenit, præcordiis elatis, sensu oppletionis ventriculi, anxietate, respiratione difficili, quæ difficultas non in pectore, sed regione epigastrica sentitur; dolore artuum, præcipue vero lumborum; alvo parca, attamen frequenti, cujus fæces sunt fœtidissimæ, ovorum putridorum ad instar; sæpe sunt virideſcentes. Mens ex hac febri citius perturbatur, quam ex aliis febribus ob consensum nervorum ventriculi, qui a saburra ventriculi acri adficiuntur, nam in morbo inflammatorio genuino primæ viæ sunt puræ.

3tio. Ex sudore nocturno nidoroso, & urina lateritia, jumentosa, præsertim tempore exacerbationis, nonnunquam tamen tantummodo crocea observatur.

4to.

4to. Ex pulſu non duro ſed potius molli & calore inſigni maxime ægro moleſta.

5to. Ex amore & levamine frigidi atque potus acidiusculi, in quem ægri ingenti deſiderio feruntur; & ex venæ ſectionibus morbum exaſperantibus. Venæ ſectiones quidem per unam alteramve horam levamen temporarium adferunt, ſed poſtea febris magis inſurgit, ægrumque excruciat.

6to. Ex levantibus vomitibus ſpontaneis, non ſolum morbi initio, verum etiam illo jam progreſſo.

Methodus, quæ hic adhiberi ſolet, triplex eſt: vel eſt evacuans ſurſum vel evacuans deorſum. vel eſt evacuans ſurſum & deorſum ſimul, quæ methodus, ut effectus optatus obtineatur, nec ſæpius iterari debeat, requirit, ut æger per unum alterumve diem præparetur, & materia in primis viis hoſpitans mobilis & ad exitum apta reddatur; quod fit, ſi ſolventia præmittantur, quæ ſunt ſerum lactis, decoctum graminis taraxaci, ſcorzoneræ, cichorei, malvæ, ceraſorum nigrorum, pomorum acido-dulcium, ſales medii, uti arcanum duplicatum, cremor tartari, ſal polychreſti, tartarus vitriolatus, liquor terræ foliatæ tartari, nitrum &c. Si ægrotans robuſtus vel valde plethoricus eſt, convenit ante vomitum venam ſeccare, ob metum ſecuturæ apoplexiæ.

Quæritur jam, quando emeticum, quando purgans, & quando emetocatharcticum conveniat.

Eme-

Emeticum convenit, si saburra sursum turgeat; signa autem saburræ sursum turgentis sunt, cephalalgia, caligo oculorum, lypothymia, tremor labii inferioris, dentes & gingivæ sordidæ, lingua impura, pondus ventriculi, anorexia, ructus amari, nidorosi, sudores nidorosi, nausea, vomituritiones, vomitus ipsi, quæ aut omnia præsentia, aut pleraque cum signis febris biliosæ emeticum exposcunt.

Purgans indicatur, si saburra deorsum turgeat, quæ turgescentia noscitur ex doloribus leviter colicis, abdomine tympanitice tenso, diarrhæa sponte orta, dolore infimi ventris flatibus deorsum erumpentibus, torminibus, borborygmis &c.

Emetocatharcticum postulatur, si saburra sursum & deorsum simul turgeat, quod perspicitur, si signa saburræ & sursum turgentis, & deorsum erumpere connitentis deprehenduntur, qui status facilius ad lectos ægrorum addiscitur, quam verbis exprimi potest.

Emeticum indicatissimum in hoc casu, ubi saburra sursum eliminanda est, sit ipecacuanha, infantibus ad grana quinque vel decem, adultis ad drachmam dimidiam vel scrupulos duos exhibenda; nam hæc dosis vomitum certo movet robustis, & debiles inde non læduntur, cum primo vomitu totus pulvis simul rejiciatur.

Catharctica, quæ in febri biliosa in usum trahuntur, indicantur lenia cocoprotica ex manna, cassia fistula, roob sambucci, salibus mediis, so-

foliis ſennæ, tamarindis, convenit etiam hydromel infantum, aqua laxativa diſpenſ. vienn. ſyrupus roſarum ſolutivus cum ſenna, &c. Abſint draſtica aloëtica, jalappa, ſtramonium, gratiola &c. quæ tumultuarie agunt, febrim bilioſam magis accendunt, & in putridam convertunt.

Emetocatharticum optimum eſt tartarus emeticus ſolus, adultis ad grana tria, infantibus ad granum unum vel duo cum vehiculo aquoſo per epicraſin ſumendus, donec vomant, vel ipecacuanha cum tartaro emetico juncta, infantibus cum oxymelle ſimplici vel ſquillitico exhibenda. Sunt & alia emetica & emetocatharctica, quæ adhiberi poſſent, cum autem periculoſa, vel incertæ virtutis ſint, præſtat enarrata certa fide & experientia comprobata eligere.

Tertia methodus, quæ commemorabatur, antiſeptica eſt, & adhibetur, ſi febris putrida non qualiscunque, ſed quæ in diſſolutione humorum, vel potius in peculiari humorum degeneratione, ſolidorum laxitate, ac metu gangrænæ imminentis conſiſtit, cum morbillis conſortium habet. Sunt enim febres putridæ, quæ emeticis, vel purgantibus curantur, ſi nempe ſaburra putrida in primis viis hæreat, de qua hic ſermo non eſt. Febris putrida autem cum de generatione humorum cognoſcitur.

1mo. Ex cauſis prægreſſis, ſi æger ante præſentem morbum jam catarrho, vel febri pituitoſa vel bilioſa laboraverit, ſi mœror diuturnus vel ira oeconomiam gaſtricam jam diu perturbaverit, ſi æſtas ſumma cum vaporibus ſtagnanti-

bus

bus putridarum aquarum consociata sit, si æger in locis paludosis, depressis, humidis, nebulosis habitaverit, si constitutio jam talis sit, ut morbi facile in febrim putridam degenerent. Si æger alimentis carnium semiputridarum & coctu difficilium, vel diæta minus nutriente & homini aliena vixerit, si febris biliosa simplex gravior, antea neglecta aut male tractata venæ sectionibus nempe & remediis antiphlogisticis, unde species pessima febris putridæ oritur.

2do. Ex febri continua cum periculo magno & sæpe obscuris symptomatibus, uti rigore, pandiculatione, vertigine, sopore, subsultu tendinum, angina cum raucedine clangosa, urina pallida, respiratione cita, pulsu celeri ad debilitatem vergente.

3tio. Ex symptomatibus manifestius febrim putridam declarantibus, quæ sunt, si oculi pulverulenti, turbidi, squallidi, profunde siti, si lingua arida lignea, contracta, vel crusta nigrescente tecta sit, cum sordibus dentium, oris, labiorum, si excretiones alvi olidissimæ, flaccicitas solidorum cum debilitate insigni, si stupor, tremor, pulsus mollis, sed debilis & celer sit cum caloribus intolerabilibus, & mordacibus, si jactitatio inquieta & deliria cum oculorum rubedine observentur.

Remedia, quæ in hac methodo indicantur sunt roborantia, adstringentia, & putredini resistentia, ut cortex peruvianus, arnica, scordium, marrubium, ruta, lignum quercinum, carduus benedictus, centaurium minus, tormentilla, rubia tincto-

tinctorum malicorium, chamæpitys, chamædrys, acida mineralia, aliaque; aluminosa, aqua frigida, glacialis &c.

Quoniam superius mentio facta est de febri putrida methodo evacuante curanda, notandum est, etiam in complicatione morbillorum illam locum habere posse, & methodo antiscepticæ nonnunquam præmitti debere, si nempe saburra in primis viis hospitetur, quam medicus probe nosse oportet, præsertim in subitanea degeneratione febrium. Sed hæc methodus raro adhibenda est; nam si ægri debiles & exhausti sint, vel venæ sectionibus vel vomitu, vel diarrhæa, non facile evacuabitur saburra ore vel ano, ægri enim debilitati exhaustique, licet saburra in primis viis hæreat, non ferunt evacuationem; si vero evacuatur, moriuntur citius ex dejectione virium evacuatione inducta; quare his debilibus auxilium præstari potest methodo roborante calefaciente, uti vino, arnica, camphora, serpentaria virginiana, aliisque aromaticis, etiam vesicantibus; hac enim ratione reficiuntur vires, & materies vel subjicitur, vel subducitur, vel spontanea ejiciter diarrhæa. Si etiam evacuatur spontanea diarrhæa, tamen restitutis aliquando viribus parcam emesin vel alvi ductionem ferunt, ut saburra educatur.

Quarta methodus est calefaciens, quæ usum habet, si febris putrida suprémi gradus vel maligna cum morbillis complicata effervescat.

Cogno-

Cognoſcitur hujus methodi applicatio, ſi vires vitæ ſummopere ſunt depreſſæ, & debilitatis ſupremus gradus; ſi putredo magna, excretiones involuntariæ ſine conſcientia ægri, ſi meteorismus putridus, ſi ſuggilationes, & gangræna a decubitu; pulſus tenuiſſimi & celerrimi, reſpiratio cita, curta, brevis, interſciſſa.

Remedia hujus methodi ſunt ſumme cardiaca, ſtimulantia, aromatica, uti ſerpentaria virginiana, imperatoria, angelica, gentiana, aurantiorum & citrorum cortices cortex winteranus, nux myriſtica, ſabina, roſmarinum, contrajerva, baccæ juniperi, theriaca diateſſaron, ſpiritus, eſſentiæ, olea ſtillatitia, vinum, camphora, cantharides, veſicantia, aliaque, quibus vires vitæ eriguntur, & ſolida exſtimulantur.

His abſolutis jam cura ſymptomatum exponenda venit, quæ fere eamdem curam, ac febris cum morbillis complicata, poſtulant; cum vix unquam ſymptoma obſervetur, quod cauſam morbi principis non agnoſcat.

Præcipua ex maxime occurrentia ſymptomata morbillantium ſunt; acre ſtillicidium oculorum, hæmorrhagia narium, angina, tuſſis, vomitus, diarrhæa, convulſiones. De ſingulis jam ſeorſim augetur.

Acre ſtillicidium oculorum morbillantibus imprimis moleſtum poſtulat, ut acrimonia enervetur, eluaturque, quod fit collyrio tepido mucilaginoſo ex decocto althææ cum lacte, vel lacte

ete ſolo, vel mucilagine ſeminum cydoniorum aqua ſambucci extracta; cum vero his tanta ſit ſenſilitas oculorum, oportet radios lucis impedire. Si autem vel ab acrimonia, vel ab impetu humorum verſus oculos, pulſorum ophthalmia ſubnaſceretur, tum præter colyria tepida mucilaginoſa, hirudines temporibus applicandæ ſunt, ne malum chronicum vix emendabile oriatur. Concretio palpebrarum tenaci ſmegmate glandularum effecta, facile tollitur frequenti irroratione aquæ tepidæ.

Hæmorrhagia narium præſertim in complicatione febris inflammatoriæ non eſt ſiſtenda, ni nimia foret, nam inde nimia ſanguinis copia ductu naturæ demitur, & cephalagia, dolor oculorum, & angina aut remittunt, aut penitus evaneſcunt, ſufficit ut æger erecto capite quietus in lecto ſedeat, quo ſponte iterum ceſſat. Si vero hæmorrhagia nimium profuſa eſſet, quod cognoſcitur ex pallore labiorum & faciei, atque imminutione caloris extremitatum, tunc æger erectus & quietus ſit, aquam frigidam cum ſucco citri, vel ſpiritu vitrioli ſaccharo edulcoratam bibat; hoc nondum ſufficiente applicetur fungus agaricus, vel intrudatur turunda aqua vitriolata, vel aluminoſa imbuta, vel apponantur lintemanta aceto frigido impregnata fronti, & muchæ; *monente Illuſt. van Swieten* etiam regioni pubis. Si in libra dimidia aceti uncia una ſaccharo ſaturni ſolvatur, lintea mentaque hac ſolutione impregnata pectori applicata toties renoventur, quoties incaleſcant, brevi egregius effectus obtinetur. *Allen.* Hæmorrhagia in febri putrida aut maligna obſervata mali ominis eſt, & non ſolum

lum methodum ſumme antiſepticam, verum etiam ſopita calefacientem internæ æque, ac externe adhibendam expoſcit.

Angina plerumque medicamentis curæ principis tollitur, hoc ſolum addito, ut etiam topice applicentur. Angina inflammatoria pacatur venæ ſectione, gargarismatibus emollientibus mucilaginoſis, vapore aquæ tepidæ, vel etiam lactis. Si vero inflammatio pertinax, diuque jam durans his non cederet medicamentis, ſignum eſt fibras tonum amiſiſſe, quo in caſu veſicans muchæ vel toti collo applicatum egregium præſtat effectum. Angina gangrænoſa, quæ cognoſcitur ex febri putrida, vel maligna conſtitutione, requirit gargarismata antiſeptica, immo calefacientia ex ruta, ſcordio, marrubio, arnica, ſerpentaria virginiana, camphora. Angina biliosa curatur, ſi præmiſſis ſolventibus primæ viæ repurgentur per emeſin vel catharſin, repurgatis primis viis materiam morboſam faucibus fixius inhærentem avocabit veſicans.

Tuſſis per totum morbi decurſum morbillantes excruciat, quæ ab acri ſtillicidio lymphatico ortum ducit. Si ante eruptionem jam vehemens eſt, tunc huic ſollicite proſpiciendum decoctis emolientibus & linctibus mucilaginoſis, etiam oleoſis, ut acrimonia involvatur, enerveturque, quare linctus ſuperius commemoratus, vel mucilago gummi arabici cum ſyrupo convenienti bono cum effectu exhibentur. Si pertinax ſit & quaſi convulſiva, conveniunt etiam diacodiata, ſed hæc tantum bis per diem ſunt porrigenda, ne cura febris perturbetur. Non raro tem-

pore exareſcentiæ continuat, & diarrhæa ſponte orta vel leni purgante eccoproticō etiam repetito evaneſcit; ſi vero tunc temporis augetur, reſpiratio difficilior evadit, & oppreſſio pectoris obſervetur, cum intenſione febris, ſignum eſt materiem morbilloſam pulmones petiiſſe, quo in caſu venæ ſectio & potus emollientes, vapor aquæ tepidæ laudantur; fracta febri applicetur veſicans, ut materies a pulmonibus avocetur.

Vomitus ſpontaneus ante eruptionem morbillorum, ſi etiam cum febri inflammatoria contingat, ſemper ſalutaris, arte excitatus ſummopere eſt damnandus; ſufficit in hoc caſu, ut aqua tepida mellita facilitetur. Si vero cum febri bilioſa vel putrida ſaburrali coincidat, tunc præmiſſis ſolventibus ſæpius eſt excitandus, ut ſaburra eliminetur, quod fit duobus vel tribus granis ipecacuanhæ. Salutaris quoque eſt, ſi tempore exareſcentiæ contingat, quo ſæpe totus morbus cum omnibus ſymptomatibus tollitur. Si vero nimius eſſet, vel poſt eruptionem continuaret, qui ſtatus malignitatem denotat, tunc ſopiri debet præparatis menthæ, opiatis interne & externe adhibitis.

Diarrhæa variam quoque agnoſcit curam. Cum febri inflammatoria, venæ ſectione, decoctis & clyſmatibus tepidis emollientibus & emulſis tollitur; ſi cum febri bilioſa ægrum corripiat, præmiſſis ſolventibus, emeticis, vel purgantibus curatur. Si vero nimis profuſa, & vires ſummopere proſterneret eſſet, præcipue in ſecundo ſtadio, tunc præter indicatam methodum opium exhibeatur parcis & partitis doſibus, ad fluxum mi-

minuendum potius, quam ſiſtendum; nam diarrhaea multum materiei morbilloſae vel ſaburralis primis viis inhaerentis ſecum abripit; in tertio ſtadio evacuatio haec critica eſt, nec ſiſtenda, niſi aegrum nimis debilitaret.

Convulſiones ratione cauſae ſunt curandae; a plethora, vel inflammatoria diatheſi ortae venae ſectionibus & clyſmatibus emollientibus ſaepius repetitis ſopiuntur. Si ſaburra primarum variarum has cauſſet, vomitus vel diarrhaea, qua ſaburra ejicitur, excitata hoc ſymptoma fugabit. Si ab irritabilitate nimia, cum virus morbilloſum, aeque ac varioloſum nervos infeſtet, oriantur, opium indicatiſſimum erit remedium, quo brevi ſopientur.

Retroceſſio, vel pallor, vel tardior eruptio morbillorum oritur plerumque a viribus vitae languentibus, quo in caſu excitantia, & materiem morbilloſam ad cutem expellentia, ne alia mala periculoſa inde oriantur, exhibenda ſunt. Emulſum camphoratum bonum praeſtat effectum. Si hoc remedium inſufficiens eſſet, proderit emulſo duo vel tria grana moſchi addere, veſicans applicare, & decocta tepida, methodo accomodata porrigere frequenter. In hoc caſu laudatur etiam laudanum liquidum *Sydenhami* veſperi exhibendum. Si materies nimis tenax eſſet, & exitum his adhibitis non quaereret, proderit ſex grana ſulphuris aurati antimonii tertiae praecipitationis cum oxymelle ſquillitico propinare, & clyſmata antiſeptica injicere. Saepe terror, metus, refrigeratio cauſa retroceſſionis eſt, ubi mox lenia diaphoretica, mox opium, mox emulſum camphoratum

phoratum morbillos expellit, quemadmodum febris complicata expoſcit. Si vermes hæc incommoda cauſſarent, oportet purgans anthelminthicum propinare, & poſtea methodum indicatam rurſus continuare, niſi alia contra indicantia adſint, quare ſi ſuſpicio vermium adeſt, ante eruptionem tale purgans propinandum eſt. Quando nimia plethora eruptionem impedit, venæ ſectio & diaphoretica antiphlogiſtica expulſionem promovebunt.

Morbilli ſæpenumero alios in morbos abeunt, quorum præcipui ſunt: phthiſis, hydrops anaſarca, tumores ſtrumoſi, ophthalmia chronica.

Phthiſis cum ratione cauſæ ſit varia, variam quoque curam expoſtulat. Inflammatio chronica, vel pleuritis latens, unde phthiſis ſæpe oritur, requirit parcas, & iteratas venæ ſectiones, diætam mere vegetabilem, & apparatum antiphlogiſticum. Diæta lactea ſcopo nutriente, acrimoniam involvente, ſanguinemque incraſſante in phthiſi adhibetur. Sæpe cortex peruvianus debilitatis vaſis pulmonalibus, & laxitati univerſali ſanitatem reconciliat. Serum lactis, aquæ ſelteranae aliaque ſolventia in diatheſi ſcrophuloſa, & infarctu glandularum conveniunt, ut ex doctrina phthiſeos conſtat.

Hydrops ex morbillis orta, cum laxitas hoc morbo inducta cauſa ſit, præmiſſis purgantibus vel diureticis, prout ægri conditio fert, ut virus morbilloſum probe eliminetur, curatur roborantibus.

Tu-

Tumores ſtrumoſi, ſolventibus & reſolventibus, interpolatis ſæpius purgantibus, tolluntur. Notandum vero, curam a leniſſimis ſolventibus eſſe inchoandam, ne fortioribus ſtatim adhibitis ob ſtimulum inflammatio cauſſetur.

Ophthalmia, quamdiu dolor & rubedo poſt morbillos remanet, requirit cataplaſmata emollientia & hirudines temporibus applicatas; ſi dolor remiſerit, veſicantia & diſcutientia interpoſitis ſaepius purgantibus rubedinem diſpellent; ſi vero neque haec juverint, ſignum eſt, rubedinem ex laxitate remanſiſſe, quo in caſu roborantia interne adhibita, & adſtringentia ex ſolutione vitrioli vel aceto lithargyrii applicata curam abſolvent.

Anomalia morbillorum ex ſequentibus petitur. 1mo. Si eruptio ſerius fiat, quam in benignis, die ſcilicet quinto, ſexto, ſeptimo; licet tardior eruptio non adeo periculoſa ſit, quam illa juxta *Sydenham*, quæ ocyus ante tertium diem contingit. 2do. Si gravia ſint tum præludii tum eruptionis ſymptomata. 3tio. Si exanthemata non primo in facie, ſed in humeris, & trunco incipiant erumpere. 4to. Si maculæ ſtatim ab initio ſint pallidæ. 5to. Si ſequelæ ſint periculoſiores. 6to. Si ſymptomata ſint gravem morbum præſagientia ante eruptionem, ut rigor, oſcillatio, pandiculatio, ſumma virium proſtratio vomitus, jactitatio inquieta, vertigo, cephalagia, lumbago, pulſus frequens ſed exilis, reſpiratio frequens, brevis, laborioſa, hypochondriorum oppreſſio, retractio, urinæ pallidæ, ſopor, ſubſultus tendinum, ſpalmi, deliria cum oculorum rubedine,

6to. Idem periculum metuendum a vomitu persistente & continuo.

tie, puncturaque cutis dolorifica, angina cum raucedine clangosa, tussis molesta, ferina cum suffocationis periculo, si maculæ nigrescant. 7mo Si papulæ in farinam non abeant.

Eventus hujus anomaliæ sane tristis cum funera funeribus cumulentur, sæpe via sternatur ad morbos periculosissimos, ut inflammationem malignam, diarrhœam colliquativam, anginam gangræniosam, anasarcam hydropem, ophthalmiam, phthisin &c.

His dictis juvat prognosin a variis clarissimis viris collectam adjungere.

1mo. Si die quarto supervenial phrenitis, malum signum, præsertim cum pulsu exiguo, quo in casu hirudines temporibus applicatæ sæpe ægrum salvant. *Sauvages.*

2do. Si febris post efflorescentiæ declinationem protendatur, vel crescat cum siti intensa; anceps eventus.

3tio. Subiranea retropressio, vel retrocessus cum delirio, letalis.

4to. Livor macularum malum signum.

5to. Pallor macularum, si talis statim ab initio sit, funestum eventum præsagit.

7mo.

7mo. Si tuſſis poſt morbillos & raucedo cum ſudore nocturno remaneat, emaciationem & phthiſim inducit.

8vo. Morbilli cito erumpentes ante tertium diem malignitatem denotant.

9no. Hæmorrhagia, præſertim veſicæ cum febri putrida mortem prænunciat.

1omo. Deperditio ſenſuum in complicatione febris putridæ vel malignæ cum morbillis, excepto auditu, inter letalia ſigna numeranda.

11mo. Si poſt regimen intenſe calidum exanthemata nigreſcant, de adultis, quibus hoc tantum contingit, conclamatum eſt, niſi phlebotomia & regimine temperatiori iis actutum ſubveniatur. *Sydenham.*

12mo. Morbi ſtadia inſolito more protenſa, peſſimum omen. *Morton.*

XIV.

JOH. BAPT. HUEBER

DISSERTATIO

DE CASIBUS IMPROVISIS.

1782.

CASUS I.

Omnium primo de apoplexia agendum mihi viderur, eo quod plures casus huc referri possint. Non est mihi propositum, morbi hujus decursum, & curam describere; tantum, quid agendum sit in præsentiarum, dum quis apoplexia corripitur, dicam. Hoc autem ut scias, distinguenda est apoplexia in calidam & frigidam; ab hac enim distinctione curæ felicitas dependet.

No-

Noices calidam esse apoplexiam ex temperamento aegri antea noti, ex praegressis causis, Aeger ante plerumque obtusum, tensivum capitis dolorem, vertiginem, aurium tinnitum quaeritur, oculi sunt rubri, scintillantes, prominentes, lingua gravis balbutiens, adest perpetua proclivitas in somnum, somnus inquietus, non reficiens, terrifica insomnia; his accedunt facies turgida, rubra, caeruleſcens, pulsus durus, fortis, plenus.

Hæc signa apoplexiam calidam denotant. At vero, si quis apoplexia tangatur, de quo ex antecedentibus constat, frigidi esse temperamenti, corpus pastaceum, cacochimicum, sanguinem nimis tenuem, aut etiam acrem esse; si accedente paroxismo facies sit pallida, collapsa, pulsus tenuis, inæqualis, intermittens, frigidam apoplexiam pronunciabis.

In primo casu remotis collari, & vestibus adstrictis, aegrum colloca in sella capite erecto; venam secа in pede, brachio, vena jugulari, arteria temporali, & quidem tamdiu sanguinem emittes, donec pulsuum duities, & arteriarum tensio cesset; juvat emissio sanguinis per cucurbitas capiti applicatas; si medicus; si chirurgus non sit præsens, juvant profundæ occipitis incisiones; 2do dabis enemata primo emollientia, dein leniter eccoprotica ex aqua tepida, oleo lini, ex jusculis, manna, melle; 3tio his præmissis conveniunt lenissima purgantia ex manna, tamarindis, sale neutro, potus antiphlogistici ex decocto hordei, avenæ cum oxymelle, nitro, succo

co citri, aurantiorum; emulſiones ex amygdalis, melonibus; conveniunt ligaturae femorum non nimis fortes, ne arteriae quoque premantur. Nocent ſummopere ſpirituoſa naribus admota, frictiones, concuſſiones, fotus, potus calefacientes, purgantia draſtica, veſicantia.

At in apoplexia frigida aliter procedendum eſt; proſunt enemata acria, cito operantia ex muria ſalis, decocto tabaci; proſunt ſpirituoſa naribus applicata, ſuccinum, ſpiritus C. C. aſa foetida, plumula accenſa; frictiones, epiſpaſtica. veſicantia ad brachia, ad ſuras, nuchae, toti capiti abraſis capillis inſtar cucuphae applicata. Venae ſectio raro, aut nunquam prodeſt. Horum remediorum continuato uſu poteris vitam ſuffla-minatam reſtituere, animam exitum jamjam e corpore molientem revocare.

Ad apoplexiam calidam refertur apoplexia a nimia quantitate aſſumtorum, apoplexia inebriatorum. Non rara ſunt exempla hominum, qui ſub largo cum amicis prandio ſubito exanimes concidunt, non ſine magno, & terrore, & admiratione praeſentium. Species hacc apoplexiae oritur, quod ventriculus nimium quantum diſtentus liberum humorum motum per abdomen impediat, diaphragma ſurſum premat, pulmones ſeſe explicare non poſſint, ſanguinemque transmittere; unde accumulatur ſanguis in corde, in cerebro.

In

In tali casu convenit larga statim venae sectio. Dein irritatio faucium, ut vomitus sequatur, aut si haec non sufficiat, cito operans emeticum, e. g. solutio tartari emetici, aut vitriolum album.

Cave tamen, ne ebrium statim pro apoplectico pronuncies, etsi verum sit, utrumque statum esse valde affinem, tamen differunt, nam in ebriis vinum olfacimus, ebrius facilius stimulo excitatur, quam apoplecticus.

Apoplexia iratorum huc quoque pertinet. Ira furor brevis est, ait Poeta, qui furor in apoplexiam facile transit, eo quod in gravi ira summa fiat humorum rarefactio, & validus ad caput impetus, unde irati tota facie candent.

Hinc juvat venae sectio, juvat positio ad totum caput frigida, ad compescendam humorum rarefactionem.

Si iterum vita & sensus redeant, prodest lenis diarrhaea arte excitata ex sero lactis tamarindinato, aut cecoprotico purgante, acescente, prodest quandoque vomitus.

Terror pariter convulsos, apoplecticos, leniamines homines facit, maxime infantes, pueros, irritabiles foemellas, ut docet quotidiana experientia.

Prodest

Prodeſt hic ſpiritus C. C., ſpiritus ſalis ammoniaci ſimplex, aniſatus aqua dilutus, propinatus, naribus admotus, vel litu inunctus; proſunt balnea tepida, clyſmata ex aqua tepida, oleo lini, clyſmata emollientia, frictiones aromaticae, ſpirituoſae.

Apoplexia fulmine tactorum. Magn. *de Haen* probabilius fulmine tactos mori, apoplecticos ait.

Patet hinc genus curae: nempe venae ſectio, præprimis venae jugularis; inflatio aeris aut ſimplicis aut medicati in pulmones, in anum enemata acria ex fumo nicotianae, ejus decocto, muria ſalis; frictio totius corporis. Quodſi hiſce remediis in vitam fuerint revocati, nervina ſunt diutius propinanda, moſchus, camphora. Summi ferulacea.

CASUS II.

Aquis ſubmerſi, aut apoplectici moriuntur aut ſuffocati; eo quod aqua in pulmones attrahatur, & ita actio pulmonum ſubflaminetur. Aqua autem in pulmonibus collecta non ſub forma aquae, ſed potius ſub forma ſpumae deprehenditur, ut ſectiones cadaverum docent. Nonnunquam nihil prorſus aquae in pulmonibus reperitur, ſed rima glottidis ſpaſtice conſtricta invenitur, ingreſſu & egreſſu aeris prorſus impedito.

Quæ-

Quaeritur, quaenam remedia in submersis sint adhibenda? recensebo remedia, quae & quo ordine sint applicanda: 1mo, postquam talis miser in terram est extractus, omnium primo vena secanda est, & quidem vena jugularis, vulnere amplo, & magna satis copia sanguinis emittatur, ut cerebrum sua mole liberetur; 2do inflare oportet aerem, vel simplicem, vel medicatum aromate, aut fumo nicotianae in os, asperam arteriam, pulmones, quod fit vel ope follis, aut fistulae, aut ore hominis sani ori infelicis applicato. Saepe per os inflare aerem in asperam arteriam, & pulmones nequimus ob rimam glottidis spastice constrictam, aut multo muco obductam, quod si hoc contingat, illico bronchiotomia est instituenda, & per vulnus inflictum aer inflandus erit; 3tio inflandus quoque aer est, vel simplex, vel fumo nicotianae medicatus in anum ope follis, aut fistularum tabacariarum. Inflatio ope fistularum tabacariarum fit sequenti modo: fistulae unius tabaco accenso plenae extremum satis alte intruditur in anum, caput alterius capiti primae fistulae imponitur exacte, & charta, aut linteo ita clauditur, ut aeri omnis exitus intercipiatur, tum per extremum secundae fistulae foramen inflat, & fumus per primam intrabit in anum. Clysmata quoque acria ex sale communi, decocto tabaci conveniunt; 4to, his praemissis frictio est adhibenda temporum, thoracis, abdominis, pectum ope aromatum, spirituoforum, succini, spiritus C. C. spiritus salis ammoniaci, assae foetidae, sed ori haec infundi non debent, nisi aeger jam ad se redierit. Notandum quod omnia haec remedia diu, per 2, 3 horas sint continuanda, ad mi-

minimum ut quae adhuc latere poteſt, vita reſtituatur; non enim, cum motus cordis, pulſus arteriarum, eſpiratio, calor, habitus naturalis faciei, & oculorum delata, & extincta eſſe videntur, illico etiam vita deſiit. Plurimae obſervationes exſtant, atque ut alias taceam, ephemerides pariſinae habent anno 1779. Pariſiis in ſequanam centum quadraginta, & aliquot homines delapſos eſſe, de quibus ultra octoginta feliciter reſtitutos legimus; 5to, veſtes madidae cum ſiccis permutandae ſunt; aeger linteis calidis, calidis cineribus, calida arena foveatur, ſitus ejus ſit capite modice elevato; 6to, poſtquam aeger his adhibitis auxiliis ad ſe redierit, haec remedia adhuc continuari debent, ne incipiens vitae fomes denuo extinguatur; ſed praererea tunc licet ori infundere infuſum lene aromaticum, ſpirituoſum, juſcula, 7mo prodeſt in homine reſuſcitato vomitus ſpontaneus, aut arte ope plumulae excitatus, ut ſi materia peregrina in primo viis haereat, ea vomitu rejiciatur; 8vo aegri diu jam reſuſcitati variis ſaepe conflictantur cum morbis; ſunt, qui in peripneumoniam incidant, alii in morbos nervorum, alii virtes debiliſſimas habent, his in caſibus methodo cuilibet morbo propria tractari debent. Mos eſt hodie adhuc, & multo magis olim erat, ſubmerſum, dum aquis extractus eſt, valide concutere toto corpore, aut ex pedibus ſuſpendere; quaeritur, quid de hac methodo ſit ſentiendum? mos hic non ſolum nullius eſt utilitatis, ſed maximopere pernicioſus; nam ratio, cur validam concuſſionem, aut aegri ex pedibus ſuſpenſionem ſuadeant, eſt, ut aqua ex ventriculo hominis inverſi ejiciatur, & ut humorum

mo-

motus silens restituatur. Sed 1mo ex fœtibus cadaverum sectionibus constat, aquam in ventriculo submersorum, aut nullam reperiri, aut tam pauca quantitate, ut nocere non possit; 2do, etiamsi aqua in ventriculo continetur, inversione tamen corporis non ejicitur; constat hoc exemplo histrionum, qui sæpe per longum satis tempus capiti insistunt, quin vomant; contra vero hac corporis inversione, hac forti concussione ab initio facta id efficitur, ut sanguis oppletis pulmonibus magis ad encephalum ruat, mortemque certius inducat.

CASUS III.

In suspensis fune constringuntur venæ jugulares, arteriæ vertebrales, & carotides, constringuntur nervi, unde sanguis in cerebro accumulatus vasa extendit, stamina medullæ comprimit, & apoplexiam inducit; vel vero ex compressa aspera arteria ingressus, & egressus liber aeris intercipitur, unde mors ex suffocatione. Cel. *Morgag.* epist. XIX. 37. 38. laqueo suffocatos ex constrictis vasis, & nervis, atque aspera arteria perire ait. Magnif. *de Haen* rat. med. plerosque obire peripneumonicos, paucos apoplecticos dicit.

Quomodo cum suspensis est procedendum? 1mo funis cito abscindendus est, sed cum cautela, ne æger in terram decidat; situs suspenso semierectus conciliandus est, vestes arctiores laxandæ; 2do, vena jugularis secanda est ad uncias plures; sanguine autem ex vena jugulari non fluen-

ente, cruenta, & larga ſcarificatio eſt facienda in nucha, retro aures ad tempora; facies aceto, aut aqua frigida conſpergi debet; 3tio, aer calidus in pulmones inflandus eſt, ut actio pulmonis reſtituatur; quodſi per os id fieri nequeat ob caput aſperæ arteriæ compreſſum, vel ſpaſtice clauſum, fieri tunc id debet inſtituta bronchiotomia; 4to, acria enemata danda, aut aer ope follis in anum inflandus, ut actio inteſtinorum reſuſcitetur; 5to, his præmiſſis moderata frictio eſt adhibenda, ut de ſubmerſis dictum, naribus ſalia volatilia adfricanda, ſi modo incipiant levia vitæ ſigna; ſi incipiant iterum deglutire, juſcula calida, pauxillum vini, infuſum lene aromaticum detur; 6to reſuſcitati curandi ſunt pro varia ſymptomatum ſupervenientium ratione.

CASUS IV.

Naſcuntur ſæpe infantes, quin unum vitæ ſignum edant; duplex hic caſus probe diſtinguendus eſt: vel enim illa debilitas eſt vera, vel ſpuria. Si facies infantis colore livido ſuffuſa ſit, caput ſanguine turgidum, maxilla utraque ſpaſtice conſtricta, aut viceverſa maxilla inferior pendula, infans mole gravis, mater ſana ſit, nullam hæmorrhagiam notabilem paſſa, ſed partum difficilem, ſpuria erit debilitas. At ſi infans ſit debilis, macer, facies collapſa, pallida, ſi mater valetudinaria fuerit tempore graviditatis, & exhauſta bonis ſuccis, ſi gravem hæmorrhagiam paſſa ſit, tunc vera eſt debilitas. In primo caſu in-

infans apoplecticus moritur, in altero ex kencangeia.

Statum hunc apoplecticum potest inducere 1mo funiculus umbilicalis collo circumductus; 2do sæpe strangulantur recens nati ore uterino sese contrahente; 3tio mors hæc contingit in iniquo situ fœtus facta versione violenta, forcipe, vecte violenter adhibitis, ut caput validius comprimatur; 4to suffocantur a muco faucium copiosius collecto; 5to suffocantur in partu etsi non præternaturali, diuturno tamen & difficili.

Quæres, quid agendum cum infante, si cognoscam ex signis supra recensitis, esse spuriam debilitatem? 1mo funiculus umbilicalis abscindi debet, & antequam ligetur, sanguis ad cochlear majus, etiam duo, tria cochlearia emitti; 2do immisso in fauces digito mucus eximatur; 3tio alterna, levis thoracis, & abdominis compressio, abdominis frictio est adhibenda; 4to aer hominis sani inflari debet in os, pulmones infantis, item in anum; 5to infans sæpe invertendus est, ut aut pronus cubet, aut semipronus, præcipue si adsint vomendi conatus & signa vitæ redeuntis, ut mucus facilius ore exeat; 6to plurimum prodest balneum calidum, subspirituosum, vinosum; 7mo præmissa venæ sectione naribus spirituosa adhiberi possunt, & si jam deglutiat, infusum leniter aromaticum potest propinari; 8vo ut vita resuscitata perstet, prodest frictio continuata subspirituosa totius spinæ dorsi, plantæ pedis, accubitus matris, calor lecti, suctio mammarum.

At si veram subesse debilitatem cognoscimus, funiculum umbilicalem non statim abscindere debes, ut adhuc aliquid sanguinis a matre infans accipiat, multo minus licet abscisso funiculo umbilicali sanguinem detrahere. Ceterum eadem omnia adhibenda sunt remedia, ut in priori casu dictum est.

Contingit nonnunquam, ut nutrice, dum infantem in proprium lectum assumit, indormiente infans delabatur, & stragulis suffocetur. Hoc in casu prodest omnium 1mo sectio venæ jugularis; 2do inflatio aeris, & omnia remedia, quæ in spuria debilitate laudata fuerunt.

CASUS V.

Non raro dantur casus suffocationis a bolo intra œsophagum hærente. Mortis genus hoc est: bolus hærens intra œsophagum urget asperam arteriam antrorsum, eaque compressa fere spiritum intercludit; vel vero œsophagus ab hærente bolo irritatus, & spastice constrictus in consensum simul trahit proximam asperam arteriam, ejus praecipue caput, & rima glottidis æque spastice clauditur, unde suffocatio. Hoc mortis genus in pueris voracibus observatur, iis præcipue, qui clanculum vorant ea, quæ sunt suffurati. Item in pueris, qui globulis ludunt, eos ore circumvolvunt, tandem deglutiunt. Idem accidit iis, qui inter manducandum loquuntur, aut rident; quibus boli medicamentosi propinantur, quos non sciunt deglutire.

Cu-

Cura fit per chirurgum, qui vel hamulo, vel forcipe, vel alio inſtrumento hærentem bolum excipit, aut in ventriculum detrudit. Verum chirurgo non præſente, ſi alii non chirurgi, non medici curam aggredi debent inſtante neceſſitate, corpus ſemper detrudendum mediante cereo tenuiori, præcipue ſi ſint corpora comeſtibilia, quæ ſemper potius ſunt detrudenda quam extrahenda. At ſi non ſit corpus comeſtibile, tunc illud quoque ab homine non chirurgo detrudi debet; a chirurgo autem extractio prius tenetur. Sed quid, ſi tale corpus non comeſtibile detruſum eſt in ventriculum? tunc æger tractandus eſt veluti is, cui venenum datum, ſi modo de venenata boli indole conſtet. Præter modo dicta conveniunt potus lubricantes, cremores, lac, butyrum. Pulſandum eſt dorſum, ut hærens corpus in motum deducatur, & vel in ventriculum deferatur, vel orto ſpontaneo vomitu excutiatur, ſi neque hac ratione in motum duci queat corpus alienum hærens, carpento æger per ſtrata viarum vehatur, ut rudi hoc concuſſu mobile reddatur. Quodſi omnibus hiſce nihil profeceris, & metus ſit ſuffocationis, proſunt ſequentia: venæſectio larga, hac facta irritatio faucium, ut vomitus ſequatur, aut ſi non ſequatur, promptum propina emeticum, ſolutionem tartari emetici, aut vitriolum album; ſi vero deglutitio non ſit poſſibilis, injiciatur enema ex fumo, aut decocto tabaci, gratiolæ, nam etiam hac ratione vomitus ſequitur. Quod ſi præſentius adhuc periculum urgeat, bronchiotomia inſtitui debet, ut ſic liberatus ſpiritui concilietur, usque dum alia methodo corpus alienum removeri poſſit.

CA-

CASUS VI.

Frequentes admodum sunt casus in nostris terris, frequentiores adhuc sub frigidiori cœlo, quod itineratores hyeme minus bene tecti a violente frigore blanda morte apoplectica pereant. Blanda, inquam morte, nam subrepit adeo grata somnolentia, cui si obediamus, sensim sine sensu in alteram ex hac vita migramus. Oritur hæc somnolentia, quod constrictis a frigore vasis externis, & condensato sanguine humores sese introrsum reducant, atque ad ea loca, quo frigus penetrare tam facile non possit, maxime ergo ad cerebrum, quod ob tegmen osseum, numerum vasorum, ob quantitatem humorum, ob libertatem circulationis frigoris effectus in cerebro tardius sese manifestant; hinc autem fit, ut aucta sanguinis quantitate encephalon comprimatur, vasa distendantur, circulatio, liquidi nervei secretio impediatur, unde blandus somnus accedit, quem torpor membrorum eo magis invitat, quo motus muscularis in frigore difficilior redditur, & si ars hominem non salvet, mors apoplectica sequitur.

Observationes docent, sæpius conglaciatos præ omnibus aliis huc usque enumeratis ad vitam revocari, etiam tunc, ubi post plures dies fuerunt reperti.

Hoc autem ut obtineas, cave imo ne in locum calidum ægrum deportes, hoc si feceris, frustra ages, quidquid agas, etenim gangræna sequitur, & mors certa, & inevitabilis. Novimus

mus pyra, & poma conglaciata reſtitui poſſe, & iterum comeſtibilia fieri, ſi aquæ frigidæ imponantur; at verò ſi conglaciata pyra, & poma deportes in locum calidum, deſtruuntur ſpecie quadam gangrænæ, videlicet putredine. 2do revocati quoque diutius abſtineant a loco calido. Hinc 3tio in cubiculum frigidum hominem deportes, ibi exutum veſtibus involvas nivibus, aut imponas in balneum frigidum glaciale, aut lenes frictiones mediante nive, aut aqua glaciali inſtituas. 4to redeunte vita methodus antiphlogiſtica adhiberi debet, ut in iis, qui ex apoplexia ſanguinea, aut vera pulmonis inflammatione periclitantur. 5to ſi pars ſolummodo corporis, ut auricolæ, naſus, pedes, pedum digiti frigoris vim patiantur, eadem methodus adhiberi debet; fricanda eſt pars aqua frigida, nive, & tandem, ſi oriatur febris, venæ ſectio inſtituenda eſt; abſtineas ab omnibus unguentis, emplaſtris utcumque laudatis.

Itinerantes tempore frigidiſſimo a potu vini, & ſpirituum ardentium ſibi caveant, caveant a quiete ob laſſitudinem forte ortam, a ſomno, qui enim indormiunt, certe pereunt.

CASUS VII.

Non eſt animus morbum epilepticum, & hujus morbi curam deſcribere; ſed quid agendum ſit, ſi in templo, in magno hominum conventu, aut in clauſo etiam cubiculo homo cadat epilepticus, quid invadente, & ſub ipſo paroxiſ-

mo agendum ſit, dicam: 1mo aer liberior & perflatus ægro eſt conciliandus; 2do cavendum ne caput aut partem aliam corporis labendo allidat; ne cadat in ignem, in aquam, ne lingua morſu lædatur; hinc prodeſt corpus mollius, e. g. ſpongiam utrique maxillæ interponere, tale tamen, quod deglutire non poſſit; 3tio ſi ex habitu corporis videas, hominem eſſe plethoricum, aut graviorem & diuturniorem eſſe inſultum, venæ ſectio convenit, ſi contra debilis, & exhauſtus, excitantia ſpirituoſa, ſpiritus C. C. acetum naribus adhiberi debent, aſperſio faciei, pudendorum, aqua frigida bona eſt. Cl. *Hirſchel*, aliique emeticum ſuadent ſub paroxiſmo, ſed notandum, eos quibus mens laborat, aut omnino non deglutire, aut difficillime, dein ſi etiam deglutiant, magna doſis requiritur, ut vomitus ſequatur; exemplum habemus a Cl. *Schmucker*, qui militi apoplectico dederat xx. gr. tart. emet. Cl. *Roſenſtein* teneros infantes epilepſia correptos linteis calidis vino rhenano madefactis involvendos curavit. 4to male convenit multorum praxis pollices vi diſtrahendi; pollicum diſtractio paroxiſmum non ſolvit, effectus potius eſt ſublatæ epilepſiæ, quam cauſa paroxyſmi ſoluti.

CASUS VIII.

Videmus ſæpe homines, qui in ſupremis tectis, turribus, laborem exercent, itidem alios vario caſu repente ex alto delabi ſine vitæ ſigno.

Quid

Quid in casu tam præcipiti agendum? generosiori methodo antiphlogistica tractari debent, venæ sectione in vena jugulari, brachio, inflatione aeris in os, in anum, clysmatibus acribus, frictionibus, & si revixerint, interne potus antiphlogistici dandi sunt, decoctum hordei cum nitro, oxymelle, emulsio ex amygdalis, ex seminibus quatuor frigidis. Si vulnus, si contusio, aut aliud malum simul adsit, sua methodo tractari debet.

CASUS IX.

Remedia universalia, si quis vaporibus venenatis enectus fuerit, aut ab iisdem mali patiatur, *quidpiam*, & *nescias*, *cujus generis* vapores sint. 1mo aeris libertas conciliari debet; 2do rejecto collari, vestibus solutis, ægro in sella collocato, abdomen, membra, dorsum, totum corpus linteis laneis fricanda sunt; 3tio bonum est balneum calidum; 4to venæ sectio; si his dictis remediis adhibitis vitæ signum advertatur; si nullum vitæ signum redeat, fiat tamen venæ sectio, priora remedia continuentur, & præterea aer ope follis, aut fumus tabaci in os inflari debet, donec respiratio cordis, & arteriarum pulsus animadvertatur, eodem tempore aer quoque, aut fumus tabaci in anum inflari debet. Si vero faucium, & maxillæ spasmus impediat, quo minus aer in os inflari queat, admoveatur naribus spiritus salis ammoniaci, acetum, spiritus vini camphoratus, ut spasmus solvarur, qui si pertinaciter perduret, bronchiotomia est instituenda, & per vulnus inflictum aer inflandus erit. 5to si his adhibitis vita re-

redierit, dentur gtt. aliquæ ſpiritus ſalis ammoniaci, aut analeptica, cochlear vini calidi, ſpiritus meliſſæ.

Cum vero vapores venenati, venena ipſa varii generis ſunt, quæ mortem, aut alia mala in corpore cauſant, facile patet, curam quoque variam eſſe debere, prout ſciverimus, hoc vel illud venenum corpori ingeſtum, aut eidem applicatum mortis aut morbi cauſam eſſe. Præcipuas ſpecies enumerabo.

1mo vapores & venena ſtupefacientia. Huc pertinent primo plantæ, quæ odorem ſtupefacientem, aut odorem ſtupefacientem, & acrem ſimul ſpargunt, ut hyoſciamus, opium, lolium, crocus, tabacum, cannabis: cicuta, hippomane, & nonnulli fungi; 2do corpora nimium odorata, ut lilia, violæ, item camphora, ambra, moſchus, & plurima alia.

Hæc corpora præſertim in nervos, in ſenſus externos, & internos agunt, vertiginem, cephalalgiam, animi deliquia, ſomnum, immobilitatem, ſenſuum abolitionem inducunt.

Si ergo ſcias, ægrum hæc corpora aſſumſiſſe, aut diu inter hæc converſatum eſſe (nam ſola converſatio in locis, ubi cannabis, tabacum aſſervantur, hæc mala producere poteſt) aut etiam ſi hoc neſcias, enarrata tamen ſymptomata in ægro ſibi adhuc præſente, aut jam extra ſe poſito deprehendas, ad vapores, & venena ſtupefacientia recte concludes.

Præ-

Præter remedia univerſalia antea allata, excepto fumo tabaci, laudantur aer recens, ablatio horum corporum, acetum, aqua frigida faciei inſperſa, frictio, venæ ſectio, & ſi ad ſe redierit, vomitus, clyſmata acria, potus acidi.

2do vapores, & venena ſuffocativa. Vapores arſenici, ſulphuris, aliorum acidorum mineralium, ſalium volatilium.

Hæc venena aſperam arteriam, bronchia, pulmones ſpaſtice contrahunt, aſthma, difficilem reſpirationem faciunt, aut eam omnino tollunt.

Vapor arſenici, aut arſenicum ore ſumptum facit præterea ingentem ſitim, vomitum cum ingenti dolore, diarrhæam fortiſſimam, ſæpe ſanguineam cum fœcibus fœtidiſſimis, circulum cæruleſcentem circa oculos.

Salus in remediis univerſalibus; & poſtquam reſpiratio, & deglutitio reſtituta eſt, conveniunt multi potus aquoſi, oleoſi ex lacte, melle, oleo qualicumque, emollientia, althea, ſalab, gummi arabicum, ore aſſumta, ano injecta; balnea, vapores calidi. Fumus tabaci autem abſit.

Vapores acidorum mineralium, acida mineralia, quæ ore aſſumta noſcuntur ſapore horrendo, acri; etiam faciunt inflammationes, gangrænam, horrendas ſurſum deorſumque dejectiones, cum dolore abdominis intolerabili.

Con-

Conveniunt priora remedia, item ſpiritus ſalis ammoniaci, naribus affrictus, ore aſſumtus dilutus, ſal tartati, cineres foci.

Eadem phœnomena exhibent vapores ſalium volatilium, aut ſales volatiles ore aſſumti, cura eadem, niſi quod loco ſpiritus ſalis ammoniaci, & aliorum alcalinorum conveniant acida externe affricta, interne data, acetum, ſuccus citri, aurantiorum, limoniorum, flores benzoe.

3tio vapores ſuffocativi, & ſtupefacientes ſimul. Carbones ardentes, corpora fermentantia, vinum, cereviſia, hydromel, corpora putreſcentia, aer diu concluſus noſocomiorum, cryptarum, cellarum, loca recenter calce incruſtata, vapores metallorum, præcipue plumbi, mercurii. Hi vapores, & reſpirationem, & motum, ſenſusque externos, & internos ſimul lædunt, momento fere vitam adimunt.

Noſcitur mors ab hiſce vaporibus orta partim ex loco, ubi tales miſeri inventi ſunt, & narratione præſentium, partim ex ſymptomatibus, ſi adhuc in vita ſint.

Juvantur remediis univerſalibus ſupra adductis: ſed notandum, venæ ſectio, & quidem venæ jugularis omnium primo inſtitui debet, fumus tabaci, acetum vini, ſpiritus ſalis ammoniaci, hic præcipue locum habent, ſpiritus ſalis ammoniaci prævalet aceto, ſi corpora ſint fermentantia.

Cum

Cum ſæpe neceſſitas aut officium cogat talia loca his vaporibus plena adire, quæritur, an non dentur remedia, quæ nos contra hæcce pericula tutos reddant? aperiantur omnes feneſtræ, portæ, poteſt luſtrari aer accenſo pulvere pyrio, accenſo ſulphure, fumo aceti ſupra laminam candentem ferream ſuperfuſi, atque tunc aerem ſufficienter luſtratum, ut tuto intrare liceat, puta, quando injectus ignis, accenſa candela non amplius extinguitur. Si vero periculum in mora ſit, & non poſſis exſpectare ſufficientem aeris purgationem, ſi ingredi debeas, linteum lanеum aceto vini intinctum, intinctum ſale communi, cremore tartari aqua ſoluti ante os, & nares teneas; ſi ſint loca corporibus fermenteſcibilibus ſcatentia, lintea ſpiritu ſalis ammoniaci intincta prævalent.

Ab exhalationibus plumbi mala hæc provenire ſcimus, ex habitatione, vitæ conditione ægri, ex abſentia aliarum cauſarum, ex ſymptomatibus: facie pallida, ſaliva dulci, laſſitudine primo, dein inſequente membrorum immobilitate, vomitu, tione, tenſiva quaſi compreſſione thoracis, abdominis, colica, alvo obſtructa, pulſu plerumque duro.

Curantur datis ab initio ſolventibus ſalinis, dein purgantibus, vomitoriis, potus ſit oleoſus, mucilaginoſus, clyſmata eadem una cum ſale data. Præfervantur victu pingui, oleoſo, ex multo lacte, butyro, pane, & butyro mane aſſumtis pro jentaculo, item ſæpius inſtituta vomitione, aut purgatione.

Can-

Cauſam malorum eſſe exhalationes mercurii noſcimus ex habitatione, vitæ genere ægri; abſentia aliarum cauſarum; ex præſentia ſymptomatum: vertigine, titubatione membrorum, præcipue manuum, pallore faciei, aſtmate, ſalivatione, dentium excidio, fœtore oris.

Præter remedia univerſalia proſunt hic purgantia lenia ſæpius repetita, potus demulcentes, ſudoriferi magna copia, & diu dati, bardana, liquiritia una cum paucis granis camphoræ, caſtorei; ſi exhalationes mercurii paralyſin cauſaverint, electricitas omnium primo, omnium certiſſimo prodeſt, teſte *de Haen.*

4to venenum animalis rabidi. Non id ago, ut hydrophobiam diſcribam, hujusque morbi curam aſſignem; hoc enim nimium me a propoſito abduceret: ſolum, ſi quis a cane rabido demorſus ſit, remedia ſtatim adhibenda adducam.

Ante omnia autem quæritur, quænam ſint ſigna canis rabidi, cum multum interſit noſſe, an morſus factus ſit a cane rabido, aut a non rabido? plerumque hæc ſigna ſunt rabiei caninæ: canis antea alacer repente contriſtatur, homines obvios & illos præcipue, qui ipſi e directo obviam facti ſunt, morſu incipit appetere, quod antea non ſolebat; oculi truces, multa inquies inſolita; cibos alios appetitos nunc reſpuit, maxime aquam referentes, & ipſam aquam; jam herum, & familiam herilem non cognoſcit, & æque illos morſu petit ac alios; vox mutata rauca; vias oberrat inſuetas absque lege, cauda & capite demiſſis, ore ſpumat, exſerta lingua eſt;

cer-

certissimum signum canis rabidi est, si metuatur, & fugiatur ab aliis canibus, licet majoribus, & robustioribus. Hæc sunt symptomata notiora canis rabie infecti.

Si quis igitur a tali cane demorsus sit, celebratiora remedia, quæ possint adhiberi, hæc sunt: Cl *Tissot* commendat absciſſionem membri demorsi. Si membri jacturam pati nolis, laudatur ferrum candens, quo locus demorsus urendus est, si locus talis sit, ut commode possit aduri; hæc methodus, si initio statim adhibeatur, inter primas locum habet, ferro enim ignito destruitur totum venenum, una cum parte affecta, priusquam id in reliquum corpus defertur. Laudant cucurbitas, scarificationes. Locus demorsus eluendus est muria salis communis, aqua salita. Cl. *Schmucker* laudat vesicantia ad ipsum locum demorsum applicata. Interne laudant sudorifera, nervina, moschum, camphoram. Multis laudibus celebratur inunctio mercurialis, & plures exstant observationes hominum ex præsenti periculo ereptorum ope inunctionis mercurii ad salivationem usque factæ. Recentissimum remedium celebratur pulvis rad. Belladonæ. S. Richters chirurgische Bibliothek, 5 Band, 2. Stück. S. 377. und 3. Stück S. 557. ubi cl. *Munch* experimenta, effectus & doses rad. Belladonæ juxta ætates accurata recenset. Item remedium a Rege Borussiæ emptum. Bekanntmachung des specifiquen Mittels wider den tollen Hundsbiß. Wien in der v. Ghelenschen Buchhandlung.

5to venena mechanica. Acus, vitrum contuſum, & plura: hæc pungunt nervos, vaſa vulnerant, hæmorrhagias excitant, & convulſiones.

In acu deglutita, quod infortunium infantibus ſæpe contingit, indicatur potus acidus, diu continuatus, ut acus deglutita rubigine brevi obducatur, præcipue ut obducta apex obtundatur. In deglutitis fruſtulis vitri cremores, pulmenta, olea copioſa proſunt.

6to fungi præcipue venenati, item ova putrida, carnes putridæ inſtar veneni agunt; ſola emeſis indicatur, & potus acidus ex poſca, aceto.

7mo venena quædam in vias potiſſimum urinarias agunt, mictum cruentum, & intolerabilem urinæ ardorem excitant; huc præprimis cantharides pertinent. Proſunt balnea tepida totius corporis, & cum agant inflammando, venæ ſectio, & emulſa tepida.

8vo frumentum venenatum. Panis ex frumento recenter collecto, nec bene ſiccato confectus inſtar veneni lenti agit. Oritur hinc morbus quidam notus nomine germanico (die Krie-belkrankheit) ſentitur ſenſus formicationis per artus, contractura, accedunt, convulſivæ contractiones primo digitorum, manuum, pedumque, dein etiam membrorum ceterorum cum immobili rigiditate per omnem ſæpe vitam perſtante, tandem nonnunquam ſupervenit convulſio epileptica, & denique mors. Meſſe finita inter ruſticos ſubin obſervatur, eosque non quoscunque, ſed pau-

pauperiores, quos dura paupertas cogit uti pane recenter confecto ex frumento recenti & vitiato, maleque ficcato.

Curarur pane meliori parato ex farina melioris frumenti; 2do emesi validiori, eaque iterata, præmissis solventibus, resolventibus, alterantibus; 3tio balneis frequentibus tepidis; 4to nervinis, camphora, gummiferulaceis; 5to demum amaris vires ventriculi excitantibus.

XV.

XV.

ANT. FROELICH

DISSERTATIO

DE MEDICAMENTIS COMPOSITIS IN PHARMACOPOEA AUSTRIACO-PROVINCIALI CONTENTIS.

1783.

ACETA COMPOSITA.

Acetum antiſepticum, ſeu cardiacum, gallis vinaigre de quatre vouleurs dictum:

Quia fures in Gallia ſe ſanos conſervaſſe a peſte tunc regnante, & ad prædas capiendas aptiores ſe reddidiſſe dicuntur.

Virtus a nomine facile intelligitur.

Uſus internus rarior, externus frequentior.

Doſis

Dosis infuso collimanti ad drach. ij. ad iij. ad unc. sem. additur; externe ad colliria, cataplasmata: dosim ratio facile dictat. Prostabant olim & alia aceta composita, hodie exoleta.

AQUÆ DISTILLATÆ COMPOSITÆ.

Aqua, seu balsam. embryonis.

Virtus ex variis stimulantibus antispasticis &c. unde antyhisterica, antispastica, stimulans, anodyna scitur.

Usum habet in- & externum, ubi tormina, inflationes ventris adsunt; item datur fœminis abortui obnoxiis, gravidis, ubi vires languent, aut ex terrore lypotimicæ factæ sunt: nam spiritus instaurat, vires reficit.

Dosis in mixturâ pro adulto ad drach. j. ad ij., vel ex cochleari aquæ, vel syrupi ad gutt. XX. ad XXX. ter, quater per diem, infantibus vero in mixtura ad gutt. XV. ad XX. per se autem aut cum aqua, aut syrupo ad gutt. iij. ad X. externe pro odoramento, inunctione varia rationi consentanea.

Aqua carminativa communis.

Virtus stimulans, carminans, incidens &c.

Usus in debilitate ventriculi, intestinorumque egregius, ubi fibræ inertes excitandæ, roborandæ aerque intestina expandens expelendus, uti e. g. in colica flatulenta.

Dosis cum conveniente syrupo, aut alio medicamento in mixtura omni bihorio.

Aqua

Aqua carminativa regia.

Non differt a communi, nisi quod actuosior a spiritu aromatico ingrediente, gratiorque a saccharo, & coccinella evadat. Hinc

Cum *virtus* major.

Dosis prioris solum mitiganda.

Aqua castorei, olim hirundinum dicta.

Virtus stimulantem antihystericam vim possidere ex ingredientibus certum est, in dispensatorio nostro provinciali videndis.

Usus in paralysi, hysteria, convulsionibus epilepticis ab animi adfectibus ortis laudatur merito, & additur unc. sem. aut j. pro adulto convenienti mixturæ, pro infantibus vero ad gutt. X. —XX.

Aqua cinnamomi vinosa.

Virtus vim possidet stimulantem, nervinam, reficientem, stomachicam.

Usus in sensuum defectu ex debilitate corporis, seu ex morbo prægresso, seu ex quacunque alia causa, solet communiter seniculis decrepitis & fœminis delicatulis exhiberi.

Dosis mixturis additur ab unc. j. ad ij., vel si velles guttatim exhibere ad gut. XXX. ad XXXX. & ultra aliquoties per diem tuto poteris.

Aqua hysteriea fœtida.

Virtus habet vim nervinam, antispasticam, sudoriferam, stimulantem, anthelminticam.

In-

Usus in. & externus: etiamsi internus rarior, cum ob fœtorem vix ab ægris feratur, si quis tamen vellet, dari poterit.

Dosis in mixtura ad unc. sem. ad j. externe fœminis hystericis, virisque hypochondriacis, talibusque consimilibus sub paroxysmo naribus aut temporibus solet applicari, vel vero ad unc. j. — ij. cum enemate coindicato injici.

Aqua meliſſæ compoſita.

Vide sub spiritibus.

Aqua theriacalis.

Virtus stomachica, stimulans, carminativa, diaphoretica, anodyna, antiseptica.

Usus olim fuerat maximi usus, hodie fere negligitur, licet egregium sit medicamentum: exhibetur in morbis malignis, pestilentialibus, gangræna, & vera virium prostratione.

Dosis in mixtura tuto additur aliis coindicatis ad drach. j. ad ij. imo si casus urgeat ad unc. sem. decoctis vero, in exemplo: librarum duarum ad unc. ij. & ultra additur, eademque dosis in enematibus convenit.

Aqua sive elixirium vitæ Matthioli.

Idem, ac spiritus aromaticus, sed saccharo edulcuratus, & coccinella tinctus.

Vide spiritum aromaticum.

Aqua vulneraria cum aceto.

Virtus roborans, vulneraria, antiseptica.

Usus

Usus est chirurgicus maximus in contusionibus, suggillationibus, ulceribus fœtidis, gangrænosis vel per se applicatur, vel aliis mixta coindicatis forma fomenti, aut cataplasmatis.

Dosis interne, si quis vellet adhibere, forma & dosis erit eadem, ac in aceto antiseptico.

Aqua vulneraria cum vino, sive *eau d'arquebusade* dicta.

Virtus aromatica, resolvens, vulneraria, adstringens.

Usus præstans externus in hæmorrhagiis nimiis, vulneribusque recentibus.

Dosis linteis, aut plumaceolis excepta vulneri aut loco sanguinem fundenti, optato cum effectu imponitur.

Bacilli liquiritiæ citrini.

Virtus lubricans, mucilaginosa, demulcens, invisçans, parum sopiens.

Usus laudantur in tussi acri, tenui, & catarrho consimili.

Dosis non determinatur, sed plerumque arbitrio ægrorum relinquitur, qui sex, septem, quin & plures per diem in ore detinent, donec liquescant.

BALSAMA COMPOSITA.

Balsamum apoplecticum.

Virtus in incompletum & completum dispescitur, utriusque est stimulans, excitans, nervina.

Usus

Usus externus magnus in apoplexia a causa frigida animique deliquiis puellarum hystericarum, & virorum hypochondriacorum a simili causa, vitio plethorico nullo præsente.

Dosis solet affricari naribus, temporibus, quin etiam linguæ, palato, dosi varia a circumstantiis determinanda.

Balsamum caryophyllorum, & saxonicum.

Ejusdem cum præcedenti virtutis & usus.

Balsamum sulphuris Rulandi, sive simplex.

Virtus mundificans, digestiva, vulneraria.

Usus infricatur cuti efflorescentis scabiosis fædæ præmissis præmittendis: imponitur quoque ulceribus scabiosis impuris bono cum effectu.

Dosis variat, pro varietate subjecti, ætatis, copia efflorescentiarum &c. communiter, a drach. sem. ad j.—ij. semel, etiam bis per diem *infricatur.*

Balsamum sulphuris anisatum.

Efficaciæ paululum majoris ac prius, cæterum ejusdem virtutis & usus.

Balsamum sulphuris terebinthinatum.

Virtus superat priora vi digestiva, detergente, vulneraria, antiseptica.

Usus laudatur præcipue ad vulnera & ulcera partium tendinosarum ac nervearum

Dosis etiam interne adhiberi possent balsama hæc, ad morbos pulmonum, renum &c. purulentos,

cautela tamen in his morbis neceſſaria, ad gr. X, ad XV.—XXX. forma varia.

Candelæ fumales.

Virtus aromatica, diſcutiens, roborans, ſiccans.

Uſus adhibentur ad aerem luſtrandum, aut humiditate nimia, aut exhalationibus aliis imprægnatum: poſſent quoque adhiberi ad tumores frigidos diſcutiendos partesque nimium relaxatas corroborandas vaporibus linteis exceptis & frictionibus applicatis.

Doſis una alterave accenditur.

ELECTUARIA COMPOSITA.

Electuarium antifebrile.

Virtus præcipua ex nomine deſumenda, cæteræ ſunt incidentes, antiſcorbuticæ partim, partim roborantes, nervinæ.

Uſus egregius in morbis, ubi peccat lentor humorum una cum debilitate aut laxitate ſolidorum: primarius vero in febribus intermittentibus, ubi febris jam requiſita corticis doſi ſubflamminata, diuturnior ejus uſus requiritur.

Doſis tunc exhibetur per diem unc. j. ad ij. ex mixtura chamomillæ aut conſimili, adjecto grato ſyrupo, aut forma ipſa electuarii &c. idque continuando per unam alteramve ſeptimanam & ultra, quod circumſtantiæ determinabunt.

Electuarium catharcticum regium.

Virtus purgans, humores fundens.

In

Usus in omni morbo, ubi indicatio viget humores crassos incidendi, & per alvum eliminandi.

Dosis scrupulosa: a scrup. j. ad ij. exigua vero nimis dosi exhibitum scammoneum sanguinem fundit in putrilaginem testante L. B. van Swieten; datur quoque enematis forma; quod de omnibus electuariis purgantibus notandum.

Electuarium sive confectio hyacinthina.

Virtus excitans, nervina, absorbens quoque.

Usus vix ullus aput modernos, qui vero parum antiquitatis redolere cupiunt, in melancholia, cordis palpitatione &c. quin imo in ultimo phthiseos aut atrophiæ stadio ad spiritus tam vitales, quam animales excitandos præscribunt.

Dosis sumenda quantum cochleari parvo capi potest quater, quinquies per diem.

Electuarium sive *confectio kermesina* vulgo *alkermes.*

Neque virtute, neque usu, ac dosi, multum abludit a priori.

Electuarium dentifricium,

Virtus ex aspredine corporum ingredientium desumenda, cui jungenda videtur pauca vis detergens, roborans.

Usus medicus vix ullus: sed rudis vulgus expetere solet ad dentes dealbandos crusta tartarea obductos, quod licet non raro pro tempore obtineat, paulo tamen post insciticæ pœnas luit, cum dentes inde flaviores facti, tandem omnem

illius conatum eludant. Alii ad gingivas nimis relaxatas adhibent, ſed neque hi ſcopum exaſſe feriunt ob admixtorum indolem, quod unicuique formulam luſtranti patebit.

Electuarium diaſcordion.

Virtus attenuans, ſtimulans, diaphoretica, amara, ſtomachica, antiſeptica, alexiterica, ſopiens.

Uſus bonus in morbis primarum viarum ex debilitate & laxitate oriundis, uti anorexia, apepſia, aut etiam in morbis ſpaſticis ex eadem cauſa, uti ſingultu, vomitu &c. præterea quoque in quibusdam diarrhææ, & dyſenteriæ ſpeciebus, etiam in morbis quibusdam malignis.

Doſis vel enim per ſe exhibetur forma boli ad drach. j. (quod circiter 1/8 gr. opii continet) ter, quater per diem, vel etiam doſi majori, ſi caſus urgeat, vel aliis coindicatis remixtum, forma varia.

Electuarium hieræ pieræ.

Virtus ſtimulans, ſtomachica, purgans.

Uſus in ſaburra primarum viarum conjuncta cum laxitate harum partium, ubi indicatio eſt ſaburram evacuare, viſceraque corroborare, ne nova generetur.

Doſis varia: ſi purgare ſcopus, dantur adulto drach. ij. iij. pro doſi, ſi per epicraſim, datur drach. ſem. ter, quater per diem. ſi ſolum inertem ventriculum excitare, debilemque corroborare ſcopus a ſcrup. ſem. ad j. bis, ter &c. per diem datur.

Ele-

Electuarium infantum seu *Requies Nicolai.*

Virtus invisçans, demulcens, absorbens, parum sopiens.

Usus an multum virium sopientium ab hoc electuario sperandum, cum opium in novo dispensatorio exolet? requies vero Nicolai juxta antiquum dispensatorium parata in scrup. ij. gr. j. opii continet.

Dosis in morbis ventriculi & intestinorum ab acido oriundis, uti in ructibus, borborygmis, diarrhæis, colicis, ab hac causa natis, bono cum effectu porrigitur, aut per se ex cochleari parvo ter, quater, quinquies per diem, infantibus, quibus ferme solis dicatur, aut mixturis unciarum trium ad drach. j. alteramve additur.

Electuarium lenitivum sive *tamarindorum.*

Virtus leniter attenuans, refrigerans, & purgans, ferme absque stimulo: hinc.

Usus laudabilis in febribus variis tam biliosis quàm inflammatoriis, tam universalibus, quam topicis, ubi indicatio est, humores copia peccantes evacuare, aut ad intestina derivare: est quoque egregium purgans in plethoricis hysterici, hypocondriacis gravidisque subjectis, cum acriora his exhibere vix consultum sit.

Dosis maxime communis ab unc. j. ad ij. eaque vel unica vice, vel pluribus absumenda, prout vel citius, vel per epicrasim purgare intentio medentis est, & si fortius purgare scopus, acriora addere licebit.

Ele-

Electuarium pectorale.

Virtus demulcens partim, partim leniter excitans, detergens, vulneraria.

Usus in affectionibus purulentis tam pulmonum, quam renum, aliorumque viscerum, febre nulla præsente, ubi detergere ulcus, & consolidare medentis intentio est.

Dosis ad magnitudinem nucis moschatæ ter, quater per diem exhibetur, superpotandumque præcipitur singulis dosibus, vasculum unum alterumve infusi aut decocti herbæ alicujus vulnerariæ vel admiscetur aliis coindicatis, prouti id symptomata concomitantia expetunt.

Electuarum purgans sive *hydragogum.*

Virtus attenuans; incidens, purgans.

Usus non spernendus ferme in omnibus hydropis speciebus, uri in ascite, anasarca &c.

Dosis drach. IV. VI. tarissime unc. j. solet pro dosi exhiberi, plerumque per epicrasim datur, vel aliis admiscetur.

Electuarium sive *theriaca andromachi.*

Virtus stimulans, excitans, diaphoretica, alexiterica, alexipharmaca, antiseptica, narcotica.

Usus multus in diversis abdominis morbis, uti dysorexia, anorexia, colica, cardialgia, diarrhæa, dysenteria, cholera, tenesmo, convenit quoque in quibusdam tussis & catarrhi speciebus, in diversis convulsivis ac spasticis affectionibus, mor-

morbisque inde pendentibus: ſæpe menſium defectus emendat, exanthemata retrocedentia ad corporis ſuperficiem determinat cum ægri levamine; non raro morbis vere malignis & peſtilentialibus opitulatur &c. verbo, in omnibus illis morbis convenit, ubi inordinatus ſpirituum motus compeſcendus, lentor humorum viſcidus emendandus, inertia ſolidorum exſtimulanda eſt, laxitasque corroboranda.

Doſis datur interne per ſe ad drach. ſem. ad j. pro doſi (cum ſcrupuli quatuor gr. j. opii contineat) vel additur mixturis, aut electuariis. Externe forma ſcuti ſtomachici applicatur, aut enemate ano injicitur pro indicationis varitate.

Electuarium ſeu *theriaca* diateſſarum.

Virtus ſtimulans, roborans.

Uſus in cahexiis atque cacochymiis variis & morbis inde pendentibus, uti menſium anomaliis, habitu corporis paſtaceo, ictero, chloroſi &c. non parvus.

Doſis eadem, quæ in aliis electuariis doſis obtinuit ad cochlearia parva ter quater per diem vel ſe, aliis coindicatis remixtum: ſic vidi in noſocomio ſanctiſſ. Trinitat. chloroſin hoc electuario anaticæ portioni limaturæ martis maritato, ad magnitudinem mucis moſchatæ quater per diem dato feliciſſime percuratam, quæ omnibus aliis in hoc morbo laudatis pertinaciſſime obſtitit.

ELIXIRIA COMPOSITA.

Elixirium aſthmaticum ſeu *pectorale, dulce.*

Virtus attenuans, incidens, excitans, antiſpaſtica.

Uſus bonus in morbis ſpaſticis, & convulſivis, aſthmate, tuſſi, aliisque thoracis affectionibus mucoſis.

Doſis vel guttatim datur ad gutt. X. - XV. - XX. ter quater per diem ex cochleari aquæ, ſyrupi, vel vini, vel fruſtulo ſachari; vel vero mixturis additur, ad drach. ſem. ab j. - ij. & ultra pro medici ſcopo vario.

Elixirium proprietatis dulce.

Virtus incidens, attenuans, reſolvens, balſamica, detergens, parum antiſpaſtica.

Uſus internus bonus, in glutinoſo ſpontaneo, vermibus, lochiis, hæmorrhoidibusque ſuppreſſis &c. externus ad ulcera laxa, ſordida, depuranda, conſolitanda laudandus.

Doſis ſi ſcopus ſolum incidere, attenuare, reſolvere, datur ad gutt. X. - XV. aliquoties per diem vel per ſe forma ſuperius de elixirio aſthmatico dicta, vel mixturis ejusdem virtutis additur ad drach. ſem. ad j. vel vero corporibus firmis vi quoque reſolvente præditis admiſcetur, ut maſſa debita exſurgat pilularis: ſi vero purgare ſcopus a guttis L. ad C. usque exhibendum erit: externe applicatur unguentis, linimentis, remixtum ulceri, vel etiam per ſe plumaceolis exceptum.

Eli-

Elixirium proprietatis cum acido.

Vix differt a priori, nisi forte majori vi antiseptica, hinc ejusdem ferme virtutis, usus, & dosis.

Elixirium salutis.

Virtus stimulans, carminativa, resolvens, majori dosi purgans.

Usus in laxitate ventriculi, & intestinorum, & morbis inde oriundis, vix non semper optatum effectum obtinemus.

Dosis ad gutt. X.-XX.-XXX. aliquoties de die: a drachmis vero aliquot, usque ad unc. j. datum purgat.

Elixirium stomachicum temperatum.

Virtus excitans, stimulans, resolvens, roborans.

Usus in appetitus & digestionis laesione, in mucosa corporis diathesi, post febres intermittentes, & acutas longas, graves superatas, in vera ventriculi debilitate &c.

Dosis varia pro varietate subjecti, ætatis &c. communiter datur unum, alterumve cochleare bis, ter, quater per diem, vel vero aliis gratis nervinis stomachicis admiscetur.

Elixirium vitrioli.

Virtus stimulans, excitans, nervina, carminativa, roborans, antiseptica.

Usus

Usus in vitiis variis ventriculi & intestinorum ab eorum debilitate, & laxitate prodeuntibus, uti anorexia, bradipepsia, apepsia, diaphdora, diarrhæa, dysenteria, cholera &c. Item præstans remedium in tussi, catarrho ex eadem causa: in febribus exanthematicis, putridis, malignis labentibus viribus vitalibus, laudem non mediocrem meretur.

Si per se exhibetur ad gutt. X. - XV. aliquoties per diem datur, vel vero infusis, decoctis, aut mixturis additur a drach. j. ad ij. - iij. pondere pro intentione medentis varia.

Elixirium vitrioli simplex.

Non multum abludit a priori: hinc eadem quoad usum & dosim observanda.

EMPLASTRA COMPOSITA.

Emplastrum album coctum.

Virtus refrigerans, repercutiens, leniter adstringens.

Usus ad ambusta, ulcera, & exulcerationes cutaneas adhibetur.

Dosis determinatur a magnitudine ulceris &c. idque de dosi omnium emplastrorum tenendum.

Emplastrum anglicanum seu glutinosum.

Virtus glutinans, balsamica.

Usus egregius est in vulneribus recentibus scindendo factis, uniendis: item laudatur ad loca ex-

excoriata tegenda, & a ſexu ſequiori plurimum æſtimatur ſcopo coſmetico.

Emplaſtrum de cicuta compoſitum.

Virtus diſcutiens, reſolvens, anodyna, antiſeptica.

Uſus maximus in reſolvendis tumoribus induratis ſcrophuloſis ſcirrhoſis, & ſpecifica quadam vi in cancroſis.

Emplaſtrum de cicuta ſimplex.

Virtus ſi vim quamdam balſamicam detergentem addideris, a priori non multum differret: hinc quoque uſus patebit.

Emplaſtrum citrinum.

Virtus ſtimulans, diſcutiens, detergens, roborans.

Uſus ad vulnera & ulcera digerenda bonus: ad loca quoque veſicante tentata applicatur bono cum effectu, ſi eorum ſuppurationem augeri ſcopus eſt.

Emplaſtrum defenſivum rubrum.

Virtus balſamica, diſcutiens, roborans, exſiccans.

Uſus bonus ad ulcera quæcunque tegenda, ut liber aeris acceſſus impediatur, præcipue vero ad ulcera humida, ſerum lymphamqua plorantia exſiccanda: ſubſtitui quoque poſſet emplaſtro ad rupturas in herniis, atque fracturis, ſi horum uſum circumſtantiæ poſtulent.

Emplaſtrum diabotanon.

Virtus ſtimulans, irritans, reſolvens, diſcutiens, ſuppurans, roborans, antiſeptica, antiſpaſtica,

Uſus in tumoribus frigidis paſtaceis reſolvendis aut ſuppurandis in ulceribus laxis, & ſordidis digerendis eximius eſt.

Emplaſtrum diachylon cum gummi ſive *compoſitum.*

Virtus emolliens, ſtimulans, reſolvens, ſuppurans.

Uſus ad tumores lentos, frigidos reſolvendos adhibetur, & ſi reſolvi nequeunt, ſuppurationem quoque promovet, ut induratio aut ſcirrhi præcaveantur.

Emplaſtrum diachylon ſimplex.

Virtus refrigerans, demulcens, relaxans.

Uſus egregius ad tumores inflammatorios, qui reſolutionem benignam reſpuunt, emolliendos, ut in ſuppurationem abeant.

Emplaſtrum diapalmæ.

Nomine non autem virtute & uſu differt a diachylo ſimplici.

Emplaſtrum diapompholigos.

Virtus demulcens, refrigerans, repercutiens, roborans, anodyna, antiſeptica.

Uſus bonus ad ulcera tegenda, ut & attritus veſtium, & aer allambens præcaveatur: ſcirrhis paniter applicatum impedit, ne tam cito in cancros abeant, multum quoque ſolatur ægros carcinomatibus plorantibus, ichoroſis, dolentibus affectos his ſupe r impoſitum.

Em-

Emplaſtrum filii Zachariæ.

A vulgo ſæpe expeditum ſub nomine Spermazettpflaſter.

Virtus emolliens, relaxans.

Uſus in tumoribus inflammatoriis, vel reſolvendis, vel ſuppurandis laudabilis; cave tamen ab ejus uſu in fervida inflammatione, ne denigretur locus: idque de omnibus oleoſis notandum.

Emplaſtrum de ſpermate ceti proprie dictum.

Virtus eadem cum priori præter vim leviter ſuppurantem.

Uſus in tumoribus inflammatoriis benigne non reſolvendis, præcipue, ſi pars glanduloſa ſit, bono cum ſucceſſu applicatur, ne induratio, aut ſcirrhus generetur.

Emplaſtrum ad fonticulos rubrum.

Virtus refrigerans, repercutiens, leniter roborans: cæterum ex nomine patet.

Uſus in ulceribus nimium plorantibus, laxis præſtans remedium.

Emplaſtrum de galbano crocatum.

Virtus parum emolliens, ſtimulans, reſolvens, etiam ſuppurans.

Uſus bonus in tumoribus frigidis, etiam induratis ſcirrhoſis, reſolvendis, & ſi reſolutio non ſuccedit, eosdem ad ſuppurationem exſtimulat: præ cæteris vero laudatur ad tumores mammarum ex lactis coagulo natos, reſolvendos.

Em-

Emplaſtrum de labdano.

Virtus ſtimulans, diſcutiens, ſuppurans, roborans.

Uſus in tumoribus œdematoſis, frigidis, & ulceribus laxis, cell. *de Haen* uncia ſem. hujus emplaſtri, balſami peruviani & opii annaticæ ſcrup. ſ. portioni remixta, forma ſcuti ſtomachici ſperato cum ſucceſſu uſus eſt in ſingultu, & vomitu: idem quoque cum laude adhiberi poſſet in tetano maxillæ a vulnere, vel alia cauſa externa orto, ad collum, nucham: & ſic porro.

Emplaſtrum malacticum.

Virtus relaxans reſolvens, leviter ſtimulans, ſuppurans.

Uſus in tumoribus inflammatoriis non reſolubilibus, maxime in anthracibus, furunculis utiliſſimum remedium vix non ſemper invenitur; ulceribus quoque ſiccis cum margine duro applicatur ſæpius.

Emplaſtrum de meliloto.

Virtus emolliens, irritans, leviter ſtimulans.

Uſus ad leves inflammationes reſolvendas bene adhibetur: ſic in exemplo ſi parotidem inflammatoriam valde non dolentem interdiu tentaveris cataplaſmate. repercutiente, noctu in ejus defectu non imprudenter ejus loco applicabis emplaſtrum de meliloto.

Emplaſtrum mercuriale.

Virtus emolliens, diſcutiens, reſolvens, antiſyphilitica. *Uſus*

Uſus magnus in ulceribus venereis perſanandis, reſolvit quoque gummata, nodos, tophos venereos. Longior ejus uſus nonnunquam ptyaliſmum excitaſſe obſervatus eſt.

Emplaſtrum de nimio.

Virtus refrigerans, repercutiens, roborans.

Uſus vulneribus & ulceribus impoſitum, aerem arcet, illorum laxitatem emendat, & cicatricem inducit.

Emplaſtrum noricum.

Virtus parum demulcens, refrigerans, repercutiens. penetrans, antiſeptica, roborans.

Uſus ad tumores œdematoſos, cyſticos, aereos, aliaque obſtructa reſolvenda adhibetur.

Emplaſtrum oxycroceum.

Virtus diſcutiens, ſtimulans, roborans, exſiccans.

Uſus laudabatur olim ad curationes luxationum, fiſſurarum, fracturarum; hodie ejus uſus rarior, cum horum morborum percuratio emplaſtris vix indigeat.

Emplaſtrum de ranis cum mercurio.

Vide emplaſtrum mercuriale.

Emplaſtrum de rupturas.

Virtus roborans, adſtringens.

Uſus

Uſus ex nomine innoteſcit: laudatur nempe ad hernias, luxationes, rupturas, ac relaxationes articulorum, nec non ad vulnera, ulceraque conſolidanda, cicatriſanda.

Emplaſtrum ſaponatum.

Virtus diſcutiens, reſolvens, roborans, ſiccans, antiſeptica.

Uſus tumoribus induratis, aliiſque obſtructionibus imponitur ſcopo reſolvente, inſervit quoque vulneribus, ulceribus tegendis.

Emplaſtrum ſtomachicum.

Vide emplaſtrum de labdano: cum quo idem quoque eſt.

Emplaſtrum de tacamahaca.

Emplaſtrum veſicatorium.

Virtus ex nomine nota acris, cauſtica, ſtimulans, attenuans, incidens, diaphoretica, diuretica, alvum inhibens.

Uſus egregius in humorum decubitu ad partem nobilem, ſcopo revellente: ſic in apoplexia, lethargo, hemierania, ophtalmia, otalgia, angina, arthritidie, rheumatiſmo, iſchiade, pleuritide, & enteritide, podagra retropulſa, optato cum eventu apponitur: ſic quoque convenit in febre varia etiam exanthematica, varioloſa, petechiali, milliari, ubi materies exanthematica retropulſa, ad ſuperficiem evocanda: convenit, ubi generali ſti-

mulo

mulo opus ob vires vitales languentes, præcipue, ſi ob vitia deglutionis varia medicamenta incidata per os ingeri nequeant: convenit quoque in omni morbi a lentore humorum pituitoſo orto viſcera infarciente: in exemplo in leucophlegmatia, lethargo, aſthmate ſenum pituitoſo &c.

Doſis communiter a medico quoad pondus determinari non ſolet, potius quoad magnitudinem: ſic in exemplo præſcribi ſolet. Rec. emplaſt. veſicat. q. ſ. extend. ſup. aluti. ad palm. magnit. & tunc unc. ſem. ſufficit (ſcrup. IV. pulveris cantharidum continens) quod pharmacopæi optime norunt, vel vero ad magnitudinem taleri, vigeſinarii, decimarii &c. In ſubjectis junioribus valde mobillibus, irritabilibus emplaſtrum veſicatorium nimis acre foret, præſertim extra morbum acutum: tunc præſtat aliis commiſcere vel unguentis, aut emplaſtris, ut cantharidum vis temperetur: ſic poterit cum emplaſtro, vel diachyl. ſimpl. vel fil. zachar. vel ſpermat. cer. vel meliloto, vel diabotanon &c. commiſceri: in exemplo Rp. emplaſt. diachyl. ſimpl. & veſicat. anna q. ſ. extend. &c. non raro vires vitæ ita languent, ut communi veſicantis doſi non excitarentur e ſopore ſuo, tunc ſolet emplaſt. veſicat. extenſo aliqua cantharidum pulveriſatorum inſpergi quantitas plerumque ſcrup. ſem. j. & ſi jam incta cum morte proxima, corporiſque calor imminui obſervatur, tunc tria, quatuor, & plura etiam ejuſmodi veſicantia applicari debent, ubi uno alterove vix aliquid ſperandum erit, quia tantum vitæ agunt, uti omnia alia medicamenta, vis vero vitæ in hoc caſu ſummopere languida eſt quin ferme effœta: hinc peſſimum in morbis quibuſ-

dam omen, ſi veſicantia non agant. Si vero quis emplaſtrum veſicatorium magiſtraliter præſcribere velet: poterit is emplaſtro unicuique ſuperius nominato ad unc. ſem. ſup. alut. extenſ. inſpergi curare, (ſi ſatis forte deficeret veſicans) pulv. canth. drach. j. ſi vero mediocre, drach. ſem. & ſi mite, gr. XV. in genere, quo ſubjectum irritabilius, eo cantharidum quantitas requiritur minor.

Loc. Varius pro vario medentis ſcopo: in genere quo vires vitales languent magis, eo locus ſeligendus erit quoque magis nervoſus: in oculorum, dentium, auricularum morbis retro aures, ad nucham, licet nonnulli in crudeliori dentium dolore arteriæ temporali, aut maxillæ angulo applicare malint; in morbis rheumaticis, arthriticis, ſi æger decumbere non cogatur, inter ſcapulas; in podagra retropulſa ad articulos prius vexatos, in ulceribus tempeſtive clauſis ad locum ipſum conſolidatum, in animalium venenatorum morſu ad vulnus inflictum applicatur. ſi vulnus ſuperficiale leve, non magnum fuerit; aſſ veſica facta ſtatim eſt aperienda; in pleuritide vero, lateri dolenti, in enteritide abdomini, in iſchiade naribus, in lumbagine lumbis, in phrenitide, apoplexia, lethargo &c. capiti verbo, partiaffectæ imponitur; in morbis vero acutis communiter locus pro veſicante optimus erunt ſuræ, interiora fæmorum, brachia. Solent quoque nonnulli ex annatica parte emplaſt. veſicat. & ung. de artenit. cum ſuff. quantitate olei cujuscunque linimentum parate; quod ſæpe accuunt gutt. X. aut XX. tinct. canthar. aut hujus loco pulvere cantharidum a ſcrup. ſem. ad j. hocque utuntur li-

nimento in quibuſdam arthritidis, rheumatiſmi & paralyſis ſpeciebus.

Emulſio laxativa.

Virtus primaria purgans ex nomine patet: cæteræ ſunt demulcentes, invitcantes, balſamicæ detergentes, antiphlogiſticæ.

Uſus præſtans in ſubjectis delicatioribus, fœminis valde mobilibus, virisque effœminatis, in gravidis præſertim plethoricis, ſtrictis, inflammationi obnoxiis; convenit ferme omni ætati, ſexui.

Doſis adultis integra in pharmacopœa auſtriaco-provinciali præſcripta exhibenda: junioribus verò ſatis robuſtis, in quibus proclivitas in acidum vix ulla, pro diverſitate ætatis temperanda.

ESSENTIÆ COMPOSITÆ.

Eſſentia abſinthii compoſita.

Virtus ſtimulans, roborans, ſtomachica, amara.

Uſus bonus in appetitu dejecto, glutinoſo ſpontaneo, ventriculi languore poſt febres intermittentes, habitu corporis paſtaceo, chloroſi &c.

Doſis vel per ſe ex cochleari vini, ſyrupi a guttis XX. XXX. ad L. LX. aliquoties per diem, vel mixturis concentratis, coindicatis additur ad drach. j, quæ guttatim exhibetur.

Eſſentia ambræ liquida.

Virtus excitans tam ſpiritus vitales, quam animales, dolorem leniens, aphrodiſiaca, antiſpaſtica,

Usus egregius in debilitate sensuum in- & externorum, in tristitia nimia, venere effœta &c.

Dosis datur guttatim a gutt. XV. XXX. ad L. aliquoties per diem in vehiculo jam sæpius indicato, vel coindicatis unita forma mixturæ ad drach. j. ij. & ultra.

Essentia anodyna, seu *laudanum liquidum Sydenhami.*

Virtus exhilerans, nervina, excitans, diaphoretica, narcotica.

Usus præstans in omnibus doloribus, crudelibus, uti arthriticis, rheumaticis, podagricis, nephriticis, colicis, calculosis, cancrosis, ulcerosis, in doloribus partus spuriis, etiam posthumis, verbo acutis, & chronicis, dum scopus medici est inducias pacisci, ut interim remediis indicatis causa horum cruciatuum e medio tolli possit: laudatur quoque in casu assumpti veneni, dum excusso veneno omnia adhuc susdeque *moventur*; præterea in cholera, vomitu, diarrhæa, dysenteria, tenesmo, hysteria, hypochondriasi, vigiliis nimiis: item laudatur in suppressis, a spastice constricto utero, mensibus lochiis, demum in omni casu, ubi fibra a causa quacunque irritata multum tremit, vibrat, convelitur, uti in tussi acri, sicca, ferina, inani, aliis morbis convulsivis: multum quoque prodest in hæmorrhagiis nimiis narium, pulmonum, ventriculi, intestinorum, renum, & in omni casu hæmorrhagiarum uteri gravidi, de quo legi meretur cell. Cranz in sua materia medica Tom. III. pag. 18. de viribus opii agens.

Dosis

Dosis per se gutt. IV. X. etiam XV. (quæ gr. j. opii continent) semel, bis, ter &c. prouti casus exigit: vel vero mixturis nervinis, antispasticis additur ad gutt. XII. XX. XXXX. & ultra pro scopo medici vario.

Essentia carminativa.

Virtus stimulans, carminans, stomachica, antispastica, roborans.

Usus insignis in borborygmis, torminibus, colicis flatulentis subjectorum frigidi temperamenti.

Dosis sunt gutt. XX. XXX. L. aliquoties per diem, aut mixturis carminantibus remixtum ad drach. j. alteramve.

Essentia castorei.

Virtus alioquin unicuique nota, hinc non multum præter vim antispasticam, stimulantem, incidentem dicendum.

Usus in convulsionibus, hysteria, paralysi, absente plethora bonus.

Dosis ad gutt. X. XV. cum aqua, syrupo, aut vino: in mixtura potius omittur, cum ægri non libentur assumant, si quis vero vellet, poterit dare ad drach. sem. ad j.

Essentia lignorum.

Virtus stimulans, stomachica, carminans, roborans.

Usus in vitiis primarum, viarum, ab earum debilitate ac laxitate ortis, morbisque inde pendenti-

tibus, ſic quoque convenit in arthritide, rheumatiſmo ab iisdem cauſis.

Doſis gutt. XX. XXX. L. ſæpius in die, vel mixturis convenientibus ad drach. ij. ad IV. admiſcetur.

Eſſentia ſive balſamum vitæ Hoffmanni.

Virtus excitans, nervina, ſtimulans, antiſpaſtica, carminans.

Uſus in omni morbo bonus, in quo motus fluidorum languet ex inertia ſolidorum, uti in lethargo, apoplexia, paralyſi, ſingultu, cardialgia, appetitu dejecto, colica flatulenta, menſium & lochiorum ſuppreſſione, fluore albo, catalepſi, epilepſia, chorea St. Viti, cæterisque morbis ſpaſticis a cauſa frigida &c.

Doſis dantur gutt. X.XX.XL. ſæpius per diem, vel cum aliis eſſentiis ac tincturis forma mixturæ concentratæ ad drach. ſ. ij. iterumque guttatim, aut aliis mixturis carminantibus, ſtimulantibus ingreditur quantitate eadem, ac de mixtura concentrata dixi.

EXTRACTA COMPOSITA.

Extractum amaricans.

Virus reſolvens, ſtimulans, anthelmintica, ſtomachica.

Uſus præſtans in anorexia, glutinoſo ſpontaneo, vermibus, ventriculi languore poſt febres intermittentes, melancholia, hyſteria, hypochondriaſi cum

muc materia, chlorosi, mensium anomalia a causa mucosa &c.

Dosis per se forma boli aut pilulari ad scrup. j. drach: sem. bis, ter per diem datur, aut conservis additur ad unc. sem. aut, in essentiis, tincturis convenientibus diluitur ad drach. sem. ad ij. aut cum aliis in massam pilularem cogitur gran. iij. de quibus ter quater de die quinque sumendæ sunt.

Extractum catholicum.

Virtus stimulans, resolvens; anthelmintica emenagoga, purgans.

Usus in saburra primarum viarum, glutinosa diathesi, vermibus, mensium suppressione, melancholia, mania cum materia &c.

Dosis pro adulto gr. XV. XXV. scopo solvente vero aliis coindicatis additur ita ut 8vam aut quartam partem totius constituat.

Solet quoque enematibus cito operantibus drach. sem. j. pondere addi, quod de omnibus extractis, & massis pilularibus notandum.

Extractum panchymagogum.

Virtus resolvens, hydragogum; anthelminticum, purgans.

Usus idem ac prioris.

Dosis a gr. XX. ad XXX.

Glo-

Globuli carminativi.

Vide ſuppoſitoria.

Globuli ad eryſipelas vulgo *Monialium St. Eliſabethæ.*

Virtus repercutiens, modice penetrans, adſtringens, ſiccans.

Uſus ſolent hi globuli quam frequentiſſime a vulgo expeti, chartis cæruleis infricari, ſicque adaptari locis eryſipelate vexatis: peſſimus hic mos eſt, & multorum malorum cauſa, nam hac ratione materies eryſipelatoſa naturæ bonitate ad ſuperficiem corporis depoſita, repellitur, & in maſſam humorum circulantium ſuſcepta, ſæpe ſæpius ad viſcera nobiliora defertur cum ſummo ægri diſcrimine: rariſſime ſi unquam his globulis in eryſipelati uti licet, & quidem tunc, ſi eryſipelas album ſuperficiarium, non multum pruriens, & abſque rubore fuerit; conſultius ſemper duco his globulis ſubſtituere ſacculos ex farinis, herbis, floribus reſolventibus, diſcutientibus paratis, addita pauca camphoræ raſæ quantitate, exhibitis interne remediis diluentibus, attenuantibus, diaphoreticis &c.

Globuli martiales.

Virtus reſolvens, attenuans, roborans, antiſeptica.

Uſus internus in glutinoſo ſpontaneo, ſolidorum debilitate, ac laxitate, morbisque inde oriundis, uti in chloroſi, menſium, lochiorum ſuppreſſione &c.

Ex-

Externus ad loca contusa, vulneraque præ-præprimis sclopetaria.

Dosis ad drach. aliquot, unciam etiam integram fomentis, & oxycratis resolventibus, roborantibus additur: interne ad scrup. j. ad drach. sem, forma vel boli, vel pilulari, per se, aut conservis mixturis, aut massis pilularibus collimantibus additur ad drach. ij. - iij.

INFUSA COMPOSITA.

Infusum sive aqua angelica.

Virtus attenuans, antiphlogistica, leniter detergens, purgans.

Usus in debilibus, delicatis, irritabilibusque subjectis, præsente etiam febre egregium purgans: si saburra in primis viis hæreat, aut si alvus tarde, & difficulter exoneretur, hæmorrhoidesque inde metuendæ sint &c.

Dosis adultis datur ad unc. VI. VIII. pro uno alterove hausto, aut per vices, aut sale quodam medio accuitur, syrupo coindicato addito, pro varietate indicationis: infantibus ad unc. ij. IV.

Infusum sive aqua laxativa.

Virtus eadem ac prioris, sed paululum intensior.

Usus idem.

Dosis minor ac prioris: adulto unc. iij. IV. pro dosi dantur, sæpissime his addi solent drach. ij.

ij. iij. IV. alicujus ſali medii, ut purgans actuoſius evadat. Tenellis unc. ſem. j. ſufficit.

Infuſum laxativum aliud, vulgo *Hydromel infantum.*

Virtus leniter detergens, involvens, attenuans, purgans.

Uſus ex nomine notus: infantibus dicatum purgans.

Doſis tenellis unc. ſem. j. datur; pueris unc. ij. iij. IV. pro doſi aut cochleatim, ſi per epicraſim purgare mavis.

Infuſum ſeu *ſanguis cichorei cum rhabarbaro.*

Virtus aperiens, reſolvens, amara, eccoprotica, leviter tonica.

Uſus bonus in obſtructionibus viſcerum abdominalium, hepatis, lienis, glandularum, meſenterii, ictero, arthritide melancholia, mania, hypochondriaſi cum materia.

Doſis unc. ij. iij. IV. adultis aliquoties per diem: infantibus drach. ij, unc. ſem. j.

Infuſum ſeu *tinctura papaveris erratici.*

Virtus demulcens, anodyna, antiſpaſtica.

Uſus in nimia nervorum mobilitate, tuſſi convulſiva, hyſteria, hypochondriaſi nervoſa, cæterisque nervorum morbis.

Do-

Dosis unc. ij. iij. vel per se, vel collimantibus unitum aliquoties per diem.

LIQUORES COMPOSITI.

Liquor mercurialis sive *aqua phagedœnica.*

Virtus detergens, irritans, siccans, antisyphilitica.

Usus in ulceribus humidis, laxis, sordidis bono cum effectu adhibetur: a nonnullis quoque contra lentigines valere prædicatur.

Dosis pro varietate ulceris varia plumaceolis exceptus liquor applicatur, aut forma lavamenti per se, aut aliis coindicatis præmixtus.

Liquor seu sal volutilis oleosus.

Virtus attenuans, incidens, stimulans, carminans, antispastica.

Usus in morbis lentis, frigidis, convulsivis, uti in asthmate pituitoso, senum, tussi convulsiva, colica, nephritide &c. ab eadem causa.

Dosis gutt. X. XX. sæpius per diem, aut addendo mixturis drach. sem. j. pondere.

Liquor saponatus sive *aqua ophthalmica cum sapone.*

Virtus repercutiens, resolvens, roborans.

Usus in ophthalmia humida, epiphora &c. laudatur.

Do-

Dosis gutt. aliquot cantho interno oculi instillantur bis, ter per diem.

Liquor visceralis.

Virtus leniter stimulans, resolvens, incidens, carminans, stomachica, amara, roborans.

Usus in glutinoso spontaneo, anorexia, languore ventriculi post febres acutas, intermittentes, cachexia, chlorosi, mensium anomalia &c.

Dosis cochleare dimidium, integrum bis, ter per diem datur, aut aliis collimantibus remixtum, dosi varia pro indentione medentis.

LOOCH COMPOSITA.

Looch de pulmone vulpis.

Idem ac electuarium pectorale.

Looch sanum & expertum.

Virtus incidens, leniter stimulans, demulcens, inviscans, expectorans.

Usus in tussi, catarrho, asthmate pituitoso, acri, phthisi pulmonali, sputis viscidis difficulter prodeuntibus &c. olim in magno usu.

Dosis non scrupulosa communiter præcipitur: lingat sæpius de die.

Mixtura sive aqua perlarum.

Vide sub pulvere specierum aquæ perlarum.

Mor-

Morſuli Imperatoris.

Virtus ſtimulans, incidens, roborans, ſtomachica.

Uſus in anorexia, diſpepſia, apepſia, lienteria, halitus fœtore &c.

Doſis unus alterve per diem abſumitur.

OLEA COMPOSITA.

Oleum colocynthidis compoſitum Habacucinum vulgo dictum.

Virtus ſtimulans, ſolvens, catartica, anthelmintica,

Uſus in vermibus expellendis, in ſaburra primarum viarum pituitoſa incidenda, eliminanda laudatur: adhibent quoque alii in menſium ſuppreſſione a cauſa frigida, lethargo, & apoplexia ſeroſa.

Doſis infantibus verminoſis drach. i. ij. pondere abdomini illinitur, revellentibus additur, ad drach. ij. unc. ſem. ſed hodie ejus uſus rarior, cum certiora ac tutiora per induſtrios in arte ſalutari viros innotuerint remedia.

Oleum hyperici.

Virtus balſamica, vulneraria.

Uſus non magnus: vulneribus, ac ulceribus plumaceolis imponitur, aut ſimpliciter inunguntur hoc oleo vulnera, ulcera, locaque athritide, rheumatiſmo, podagra vexata.

Ole-

Oleum viride.

Virtus reſolvens, ſtimulans, balſamica, vulneraria, roborans.

Uſus ad contuſiones, & tumores reſolvendos externe, interne ad pulmonum aliorumque viſcerum exulcerationes laudabatur: hodie vix uſu venit.

Paſta de althæa.

Virtus demulcens, inviſcans, nutriens.

Uſus in tuſi acri, ſicca, ferina, catarrho conſimili, raucedine, aphtis oris, faucium phthiſi &c.

Doſis arbitrio ægroti relinquenda: ſumat ſæpius portionem hujus paſtæ, ore volvat, vel detineat, donec liqueſcat, ſicque deglutiat.

PILULÆ COMPOSITÆ.

Pilulæ anethinæ.

Virtus acris, draſtica, anthelmintica, hydragoga, purgans.

Uſus in ſaburra primarum viarum viſcida, tenaci, verminoſa, hydrope, menſium defectu, melancholia, mania &c.

Doſis ſcrupuloſa, cum corpora ingredientia ſumme draſtica ſint, datur ad grana X. XV. ad ſummum ſcrup. j.

Pilulæ balſamicæ mortonianæ.

Virtus incidens, attenuans, reſolvens, balſamica, vulneraria, *Uſus.*

Usus in morbis pectoris, hepatis, renum &c. mucosis, & purulentis laudatur.

Dosis gr. X. XX, in pilulas efformata aliquoties per diem exhibentur, superpotato vehiculo conveniente.

Pilulæ balsamicæ stahlii.

Virtus resolvens, balsamica, vulneraria.

Usus & dosis eadem, ac pilularum balsamicarum mortonianarum.

Pilulæ cochiæ.

Virtus summe attenuans, purgans, drastica.

Usus convenit cum pilulis anethinis.

Dosis gr. XV. XXV.

Pilulæ de cynoglosso catarrhales.

Virtus stimulans, balsamica, narcotica.

Usus in catarrho, tussi acri, humida, convulsiva, ferina, atrophia, phthisi &c.

Dosis gran. VI. - VI. vesperi plerumque solent adhiberi aut per se, aut collimantibus remixtæ: dosis, si augenda, semper ex quantitate opii mensuranda; nam gr. VIII. circiter gr. j. opii continent.

Pilulæ mercuriales.

Virtus deobstruens, resolvens, purgans, antisyphilitica.

Usus

Uſus in morbis actu venereis, aut ex eorum proſapia oriundis gonorrhæis, leucorrhæis &c.

Doſis ſcopo purgante gr. XX. XXX. ſcopo vero antiſyphilitico, reſolvente gr, VI. X. per diem collimante decocto antivenereo.

Pilulæ Ruſi.

Virtus aperiens, menſes & hæmorrhoides reſerans, purgans.

Uſus in viſcerum obſtructione menſibus ac hæmorrhoidibus ſuppreſſis, vermibus, ſaburra primarum viarum.

Doſis denuo ſcopo purgante gr. XX. drach. ſem. ſcopo reſolvente vero, hæmorrhoides reſerante gr. iij. VI. per ſe, aut aliis coindicatis dantur.

Pilulæ de ſtyracé.

Virtute, uſu, & doſi conveniunt cum pilulis de cynogloſſo.

Pilulæ de ſuccino Cratonis.

Virtus aperiens, reſolvens, balſamica purgans.

Uſus in aſthmate mucoſo, tuſſi, catarrhoque a ſimili cauſa, lethargo, leucophlegmatia, hyſteria, hypochondriaſi cum materia, viſcerum obſtructione.

Doſis ſcopo purgante drach. ſem. ad j. & reſolvente gr. VI. X.

PULVERES COMPOSITI.

Pulvis anodynus.

Virtus abſorbens, antiſpaſtica, narcotica.

Uſus. Convenit in acido primarum viarum infantum, & convulſionibus inde natis &c.

Doſis Gr. X. XX. dantur, vel cum pulte, cochleari ſyrupi, aut aquæ, aut mixturis collimantibus additur drach. ſem. (quæ circiter gr. j, opii continet) aut drach. j.

Pulvis antiſpaſmodicus communis.

Virtus abſorbens, aperiens diaphoretica, antiſpaſtica.

Uſus in acido primarum viarum, morbis ſpaſticis, convulſivis, torminibus, doloribus colicis, perſpirabili ſuppreſſo &c. aliquoties per diem ſctup. j. drach. ſem. exhibetur.

Pulvis antiſpaſmodicus ſtahlii.

Minus abſorbens, reliquis cum priori convenit.

Pulvis ad calculum.

Virtus abſorbens, reſolvens, balſamica, vulneraria, diuretica.

Uſus ex nomine patet: laudabatur nempe olim in dolore nephritico, calculo renum, veſicæ.

Doſis Drach. ſem. ad j. bis, &c. per diem.

Pulvis cephalicus ruber vulgo *ſpecificum cephalicum.*

Virtus nervina, antiſpaſtica, aperiens, abſorbens.

Uſus olim certiſſimum in omni cephalalgia reputabatur eſſe remedium; hodie vix eſt in uſu, niſi apud rudem vulgum.

Doſis ſcrup. ſem. j. ij. per diem.

Pulvis dentifricius albus.

Virtus ex aſpredine corporum ingredientium deſumenda.

Uſus apud vulgum magnus ad tartarum dentium aufferendum, & gingivas firmandas, ſed haud laudabilis; nam aſpera hæc corpora dentibus affricta non in cruſtam ſolum tartaream, ſed in ipſam etiam adamanthinam agunt, eam diuturnioribus hiſce frictionibus imminuendo, & quidem ita, ut tandem flavus oſeus color appareat, quem citius, tardius caries excipit: ecquidem non abnuo, unam alteramve frictionem nocere vix poſſe, cum reliquias ciborum cum muco oris commixtorum, latæque dentium ſuperficei adhærentium auferat, & hac ratione dentes quaſi dealbare videatur: ad id ipſum eſt, quod allicit pulchritudini ſtudentes ad ejus uſum continuandum.

Pulvis dentifricius ruber.

Convenit cum priore, aſt virtute roborante præcedit: cæterum cautela eadem adhibenda, cum

cum medicamenta dentes, gingivasque firmantia, tutiora, & minus nocitura habeantur.

Pulvis deoppilans ſive *digeſtivus.*

Virtus attenuans, incidens, eccoprotica, antiſeptica.

Uſus in ſaburra primarum viarum lenta; tenaci, mucoſa, parietes obducente ſcopo incidente, attenuante, & ad evacuationem prædiſponente: convenit quoque in peripneumonia notha, hepatis, lienis obſtructione, verbo in omni morbo ex lentore humorum, tenaci, pituitoſo oriundo.

Drach. ſem. j. aliquoties per diem ex vehiculo coindicato.

Pulvis fumalis arthriticus.

Virtus reſolvens, penetrans, diſcutiens.

Uſus egregius ad aerem humidum, nocturisque imprægnatum exhalationibus luſtrandum: præterea laudem non infimum meretur ad tumores œdematoſos diſcutiendos fumo linteis excepto, tumorique infricto. Non raro defluxione ad nares, fauceſque facta cum ſucceſſu fumus naribus excipitur: laudatur quoque ad dolores arthriticos, rheumaticos, podagricos leniendos, ac auferendos fumo ad partem affectam admiſſo, parteque linteis perfricto.

Doſis non ſcrupuloſa: a circumſtantiis determinabitur.

Pulvis fumalis ordinarius.

Virtute & uſu cum priori æquiparandus.

Pulvis de Gutteta.

Vide pulverem marchionis.

Pulvis Haly.

Virtus demulcens, inviſcans, obvolvens, incraſſans.

Uſus in omni humorum acrimonia, ubi incraſſare, demulcere, inviſcare ſcopus: præcipue vero laudatur in catarrho, tuſſi, tabe, phthiſi, cæterisque morbis purulentis.

Doſis aut pulvis ipſe ad lingendum datur, aut vero mixturis, linctibus, electuariis, collimantibus ad drach. aliquot additur.

Pulvis infantum abſorbens.

Virtus abſorbens, involvens, parum carminans & antiſpaſtica.

Uſus egregius in omni infantum morbo, qui excitatur ab acido in primis viis hoſpitante.

Doſis convenit hæc cum doſi de pulvere anodyno ſuperius indicata.

Pulvis marchionis.

Virtus parum abſorbens, anodyna, antiſpaſtica, ſtimulans, diaphoretica, amara.

Uſus

Usus in nimia nervorum mobilitate, cephalalgia, vertigine, hypochondriasi, convulsionibus, spasmis, epilepsia, inertia ventriculi, ac intestinorum, chlorosi, vermibus &c.

Dosis scrup. j. drach. sem. bis, ter per diem.

Pulvis marchionis cum castoreo vulgo *pulvis Rindscheidleri.*

Virtus priorem vincit virtute stimulante, ac antispastica, cæterum convenit.

Usus idem.

Dosis solum mitiganda pro varietate subjecti, morbique vehementia.

Pulvis purgans.

Virtus ex nomine innotescit.

Usus in fæcum accumulatione tubi intestinalis, in revulsione a capite facienda, uti in lethargicis &c. in lue venerea ad salivationem impediendam.

Dosis drach. sem. j. pro dosi in genere pro adulto, interim major, minor ratione subjecti, temperamenti, ætatis.

Pulvis sternuatorius variegatus.

Virtus aromatica, irritans, sternutatoria.

Usus in cephalalgia, vertigine, gravedine, coriza provenientibus ex obstructione minimorum vasorum ad muci fabricam pertinentium.

Do-

Dosis alioquin unicuique nota, qui nicotiana delectantur: hoc solum attendendum, ne nimium, aut nimis fortiter pro una vice attrahatur, indeque nimis longa, ac odiosa sternutationum series subsequatur.

Pulvis sternutatorius viridis.

Nomine differt, virtute vero, usu & dosi convenit cum priori.

Pulvis specierum aquæ perlarum.

Virtus mere absorbens, virtute minor, cæteris absorbentibus; ast pretio major.

Usus in morbis ab acido oriundis convenit; olim in fine morborum ad mortem jamjam tendentium extollebatur mirum in modum scopo vires vitales excitante, invigorante: ejusdem quoque usus fuit mixtura aqua perlarum nuncupata.

Dosis communis cum reliquis absorbentibus.

Pulvis specierum aromaticarum pro morsulis imperatoris.

Virtus, usus vide morsulos imperatoris.

Dosis gr. X. scrup. j. bis, ter per diem.

Pulvis specierum pro cucupha.

Virtus aromatica, stimulans, penetrans, discutiens.

Usus in comate vigili, letargo, cæterisque morbis supporosis, in hydrocephalo &c. non raro cri-

crinibus derasis bono cum eventu, aut ut siccum, aut humidum, epithema capiti imponitur.

Dosis pro varia ætatis, subjecti &c. variat ad cucapham efformandam.

Pulvis specierum hieræ picræ.

Virtus, usus vide electuarium hicræ picræ.

Dosis drach. sem. j.

Pulvis specierum confectionis Hyacinthinæ.

Virtus, usus vide electuarium sive confectionem hyacinthinam.

Dosis gr. X. XX.

Pulvis specierum diaireos.

Virtus incidens, expectorans, demulcens, inviscans.

Usus in catarrho, tussi, raucedine, cæterisque pulmonum morbis ab acrimonia, & lentore humorum viscido provenientibus, bonus.

Dosis per se ad lingendum datur pulvis ad scrup. sem. j. aliquoties per diem, aut linctibus electuariis, mixturis additur ad drach. ij. iij. ingreditur quoque looch sanum & expertum.

Pulvis specierum diatragacantha.

Vix differt, a pulvere Haly, nisi ingredientium variata proportione; hinc ejus virtutem, usum, & dosim vide superius de pulvere Haly.

Pul-

Pulvis ſtomachicus Pirckmanni.

Virtus incidens, attenuans, ſtomachica.

Uſus in glutinoſo ſpontaneo, inertia ventriculi, atque inde nata adpetitus dejectione, digeſtionis læſione: item in catarrho pituitoſo, aſthmate humorali, chloroſi, & menſium anomalia.

Doſis ſcrup. j. drach. ſem. & ultra ſæpius in die.

Pulvis temperans.

Virtus ex nomine nota, attenuans nempe, refrigerans, & antiphlogiſtica.

Uſus in omni morbo, ubi peccat calor ex motu aucto, aut rarefactione humorum.

Doſis drach. ſem. j. aliquoties per diem ſuperpotato vaſculo uno alterove remedii convenientis.

Pulvis ad tuſſim.

Virtus demulcens, obvolvens, incidens, expectorans, balſamica, parum anodyna.

Uſus in morbis pulmonum, mucoſis, purulentis, conjunctis cum acrimonia humorum, uti tuſſi, catarrho, phthiſi &c.

Doſis eadem ac pulveris ſpecierum diaireos.

Pulvis contra vermes.

Virtus & *uſus* ex nomine patent.

Doſis communis drach. ſem. j. moderanda dein pro varietate ætatis, ſubjecti.

Pul-

Pulvis vitæ.

Virtus: vulgus frequentiſſime expetit ſub nomine Wind und Magenpulver.

Incidens, ſtimulans, carminans, ſtomachica, amara, eccoprotica.

Uſus in vitiis primarum viarum variis, & inde nata diſpepſia, anorexia, bradiſpepſia, apepſia &c.

Doſis ſcrup. j. drach. ſem. j. bis ter per diem.

SPECIES DECOCTORUM COMPOSITÆ.

Species decocti avenæ Fernelii.

Virtus diluens, attenuans, demulcens, emolliens, diuretica, antiphlogiſtica.

Uſus in omni morbo, in quo peccat phlogiſticus lentor humorum, aut acrimonia, aut ſolidorum rigiditas.

Doſis in decocto ad libræ j. remanentiam unc. ſem. j.

Species decocti althææ vulgaris.

Virtus: ſuperant priores ſpecies vi mucilaginoſa, emolliente, & demulcente.

Uſus & *doſis* prioris.

Species decocti antifebriles.

Virtus aperiens, reſolvens, amara, ſubtonica.

Uſus in tenacitate humorum mucoſa, atrabilaria, in liene magno, cæterorumque viſcerum ab-

do-

dominalium obſtructione, in melancholia, hypochondriaſi, mania cum materia, in athritide rheumatiſmo, podagra, ictero, febribus intermittentibus &c.

Doſis unc. j. - j. ad ſem. ad libræ j. remanentiam.

Species decocti aperitivi.

Virtus leniter diuretica, & alvum movens, attenuans, reſolvens

Uſus in alvi conſtipatione, in obſtructionibus pertinacibus viſcerum abdominalium, in ictero, hydtope, cæteris hujus generis morbis.

Doſis idem ac prioris.

Si ad unciam unam harum ſpecierum addideris rhabarbari drach. j. habebis decoctum apperitivnm cum rheo, quod virtute, uſu, doſi non differt a priori, niſi efficacia majori & vi quadam tonica.

Species decocti avenæ.

Virtus refrigerans, demulcens, diluens, aperiens, antiphlogiſtica.

Uſus in tuſſi acri, ſicca, raucedine, in morbis purulentis pulmonum, hepatis, renum, in atrophia, maraſmo &c. in acrimonia humorum varia, & inflammatione tam topica, quam univerſali, & ſic porro.

Doſis unc. j. ij. ad libr. aquæ, omni media hora aut omni hora vaſculum ſumendum.

Species cephalicæ reſolventes pro fomentatione.

Virtus aromatica, penetrans, ſtimulans, reſolvens, diſcutiens, roborans.

Uſus in tumoribus œdematoſis, contuſionibus, capitis vulneribus, cerebrique commotionibus forma fomenti aquoſi, aut vinoſi, aut etiam cataplaſmatis applicatur.

Species emollientes.

Virtus ex nomine innoteſcit.

Uſus inſerviunt ad cataplaſmata & fomenta emollientia paranda.

Doſis ex magnitudine partis, cui applicanda venit, deſumenda eſt.

Species decocti pro gargariſmate adſtringentes.

Virtus per ſe ex denominatione patet.

Uſus ad formanda gargariſmata, fomenta, & cataplaſmata roborantia præſcribuntur.

Species pro gargariſmate emollientes.

Virtus & *uſus* ex nomine ſufficienter nota ſunt.

Doſis unc. ſem. j. ad libram j. aquæ.

Species decocti lignorum.

Virtus leviter ſtimulans, aperiens, reſolvens, purificans, ſubtonica.

Uſus

Uſus in arthritide, rheumatiſmo, iſchiade, ſyphylitide, lepra, ſcabie, glandularum obſtructione &c.

Dos. unc. j. - j. & ſem. ad libr. j. aquæ.

Species decocti pectoralis.

Virtus emolliens, inviſcans, demulcens, balſamica, vulneraria.

Uſus in catarrho; tuſſique acri, ſicco raucedine, phthiſi pulmoni, hepatica, renali laudatur.

Doſis unc. ſem. j. pro libr. j. aquæ.

Species pro potu ordinario.

Virtus aperiens, demulcens, inviſcans, attenuans, ſubtonica.

Uſus ex nomine notus: paratur nempe in febribus variis, morbisque febrilibus ægris inde potus.

Doſis unc. ſem. pro libr. j. aquæ.

Species pro Thee germanico.

Virtus aperiens, detergens, balſamica, ſubdiuretica, vulneraria, tonica.

Uſus: hæc ſpecies vulgus expetere ſolet quam frequentiſſime, utitur his in omni catarrhi, tuſſisque ſpecie, & ſæpenumero cum propriæ ſaniratis detrimento; convenit enim tantum in illa catarrhi tuſſisque ſpecie, quæ cum pulmonum debilitate jungitur. Laudatur quoque in illis affectionibus pulmonum purulentis, quæ febre carent.

Do-

Dosis pug. j. alrerve pro unc. iij. IV. infunditur, talisque portio cum syrupo aut melle conveniente, edulcurata aliquoties per diem absumitur.

SPIRITUS COMPOSITI.

Spiritus aromaticus.

Virtus aromatica, nervina, stimulans, diaphoretica, carminans, antispastica, antiseptica.

Usus præstans in ventriculi, & intestinorum debilitate, & morbis inde natis, uti in meteorismo flatulento, singultu, torminibus, colica; item in nephritide pituitosa, fluore albo, urinæ suppressione: medetur quoque languori, morbos tam acutos quam chronicos insequenti, & inde prodeunti hydropi, chlorosi, cacochymiæ &c. gutt. XX. XXX. L. aliquoties per diem, aut collimanti mixturæ additur ad drach. j. iij.

Spiritus balsamicus vulgo *Balsamum Schauerianum.*

Virtus aromatica, stimulans, resolvens, antiseptica.

Usus in sensuum tam internorum, quam externorum languore, memoria labefactata, tristitia involuntaria &c. opitulatur multum appetitui dejecto, digestioni læsæ, torminibus, colicis, strangulationi faucium, singultui, asthmati periodico, apoplexiæ nervosæ, cæterisque morbis convulsivis; item melancholicis, maniacis, hysterieis, hypochondriacis cum materia.

Dosis

Doſis gutt. XX. VL., ſæpius per diem, mixturis vero ad drach. j. ij. ingreditur: externe temporibus, naribus, linguæ, palato infricatus excitat apoplecticos, lethargieos, animo linquentibus, ſyncopticis &c.

Spiritus diatrion ſive *mixtura ſimplex.*

Virtus ſtimulans, reſolvens carninans, anodyna, antiſpaſtica, antiſeptica.

Uſus in morbis putridis, malignis, peſtilentialibus, & conſimilibus, conjunctis, cum vera virium vitalium proſtratione; item in febre petechiali, milliari, ſcarlatina; retrocedentibus exanthematibus & convulſionibus inde natis ex eadem cauſa &c. verbo convenit in omni morbo, in quo indicatio eſt vires languentes excitare, tenacem humorum indolem emendare, putredini reſiſtere, inordinatos ſpirituum compreſcere motus.

Doſis gutt. XX. L. aliquoties ex vehiculo adpropriato; aut mixturis coindicatis additur ad drach. ij. iij. externe aut per ſe applicatur locis gangræneſcenribus, aut actu gangrænoſis ulceribusque conſimilibus, lineis aut plumaceolis exceptus, aut cum aliis collimantibus forma linimenti, fomenti &c.

Spiritus matricalis.

Virtus balſamica, roborans, ſtomachica, antiſeptica, vulneraria.

Uſus in morbis purulentis pulmonum, hepatis, renum, abſente febre; in leucorrhææ & gonorr-

norrhææ ultimo ſtadio, materia effluente alba, mucoſa, præmiſſis præmittendis: item in variis ſtomachi vitiis a debilitate & laxitate ortis, externe in vulneribus oſſa a perioſtio denutata a carie præſervat, imo & jam præſentem curat, tumores œdematoſos diſcurit.

Doſis gutt. XX. XXX. ter. quater per diem; aut mixturis additur ad drach. ij. externe aut per ſe applicatur, aut infuſis, & decoctis vulnerariis, antiſepticis ad unc. ſem. ad j. remixtus.

Huc & pertinet *tinctura maſtiches compoſita* quæ non differt a ſpiritu matricali, niſi colore; hinc etiam virtute, uſu, & doſi ab eodem non differet.

Spiritus ſalis ammoniaci aniſatus.

Virtus incidens, attenuans, calefaciens, antacida, ſumme penetrans, diaphoretica, antiſpaſtica.

Uſus eximius in omni morbi genere, ubi in fluidis peccat tarditas, in ſolidis inertia; ſic in morbis mucoſis pulmonum, hepatis, renum, cæterorumque viſcerum ad ſpaſmos ſolvendos, convulſiones ſiſtendas, diaphoreſim excitandam, acidum invertendum egregius: externe linimentis & unguentis admixtus inſignem penetrandi vim largitur.

Doſis adultis gutt. X. XV. infantibus gutt. j. ij. V. in convenienti vehiculo dantur, vel mixturis coindicatis drach. ſem. j. ij. pondere additur: externe vero in lypothimia, ſyncope, apoplexia &c. naribus admovetur, temporibus, linguæ, palato infricatur.

Spi-

Spiritus ſalis ammonici aquoſus.

Virtus antacida, antiſpaſtica, excitans, reſolvens, & minima vaſcula penetrans.

Uſus egregius in morbis ſoporoſis, frigidis obſtructionibus pituitoſis viſcerum: prout vero in apoplexia frigida interne datus, & externe excitandi ſcopo naribus admotus aut enemate injectus maxime proficuus, ita ſumme noxius eſt in apoplexia calida; indicatur porro in convulſionibus infantum ab acido, in paralyſi, tam interne ſumtus, quam externe parti reſolutæ adfrictus.

Doſis mixturæ unc. VI. adulto præſcriptæ, & omni bihorio ad cochlear. j. ſumendæ, tuto addes drach. ſem. hujus ſpiritus, pro tenellis vero ſingulis unciis gutt. j. addi poteſt.

Spiritus ſalis ammoniaci lavandulatus vulgo *aqua anodyna.*

Virtute a ſpiritu ſalis ammoniaci aniſato non multum abludit, hinc neque uſu & doſi.

Spiritus ſalis ammoniaci vinoſus.

Virtus ab aquoſo antea deſcripto reſpectu virium non multum differt; ratio forte habenda erit ſpiritus vini, ejus præparationem ingredientis, unde vis ſtimulans, & calefaciens aliquantum augetur; hinc quoque uſus uti prioris ferme idem in iisdem morbis.

Doſis pariter a doſi prius dicti ſpiritus parum aut non diverſa erit.

Spi-

Spiritus theriacalis camphoratus.

Uirtus ſtimulans, alexipharmaca, antiſpaſtica, penetrans, antiſeptica.

Uſus internus in morbis putridis, malignis, exanthematicis, cum tendinum ſubſultu, labentibus viribus vitalibus &c. externus ad ulcera cachectica, ſordida, gangrænoſa; tumores œdematoſos, paralyſes egregius.

Doſis per ſe gutt. XXX. L. in mixtura drach. ij. iij. dantur. Partibus paralyticis, & tumoribus frigidis infricatur, locis gangrænoſis, linteis, aut plumaceolis exceptus imponitur, aut fomentis, cataplaſmatibusque diſcutientibus, antiſepticis ad unc. ſem. j. additur.

Spiritus vini camphoratus.

Virtus ſtimulans, penetrans, reſolvens, diſcutiens, antiſeptica.

Uſus internus rarus, ſi lubet, exhiberi, poterit doſi eadem ac de ſpiritu theriaciali camphorato dixi, indicationibus iisdem perſiſtentibus: externus vero maxime celebratus ad artus labore defatigatas roborandas, paralyſes percurandas, tumoresque frigidos reſolvendos fomentis, aut cataplaſmatibus diſcutientibus antiſepticis unc. j-ij. bono cum eventu additur.

Spiritus Carmelitarum ſive aqua meliſſæ compoſita.

Virtus aromatica, ſtimulans, penetrans, carminans, antiſpaſtica roborans.

Usus in ſpirituum nervorum languore, & morbis inde pendentibus, memoria labili: item in morbis lethargicis, paralyticis a cauſa frigida &c.

Doſis drach. ſem. j. ex vehiculo appropriato, in mixtura a drach. ij. ad unc. ſem. in animo linquentibus bene mares, & tempora hoc ſpiritu humectantur, uti & partibus paralyticis cum ſucceſſu infricatur.

Suppoſitoria compoſita.

Virtus irritans, alvum movens.

Uſus in alvo difficili, tarda, obſtructa, ubi aut ægri ipſi recuſant purgantia, aut enemata alvum referentia, aut ob vires nimium debilitatas contraindicantur, ſuppoſitorium tale oleo aut alio corpore plagui illinitum ano intruditur.

SYRUPI COMPOSITI.

Syrupus cichorei cum rheo.

Virtus aperiens, reſolvens, eccoprotica, ſubtonica.

Uſus ſyrupus hic ferme ſolis infanticus eſt dicatus: egregie enim meconium expellit neonatorum, viſcera debilia leniter roborat, tumoremque illum abdominis infantum adeo familiarem auferat, nimium impedit, tuſſim præſentem ſanat obſtructiones referando, ſilentoremque humorum emendando.

Doſis per parva cochlearia neonatis ſolet exhiberi, donec meconium ſecedat: infantibus ve-

ro ex obſtructione marceſcentibus, abdomineque tumidulo prædictis drach. ij. unc. ſem per vices propinatur, aut vero acido præſente cum lapidibus cancrorum, rheique aliquot granis aquæ cuidam carminanti remixtum cum ſucceſſu datur.

Syrupus emeticus.

Virtus ex nomine patet: reliqua aromata adſunt tantum ad nimios ſpaſmos impediendos.

Uſus in omni caſu, in quo indicatio eſt ventriculum ſubvertere: infantibus rarius exhibetur.

Doſis adultis a drach. ij. unc. ſem. robuſtiſſimis, & ſi cito ſubvertere ventriculum ſcopus unc. j. pro infantibus in exemplo trium annorum ſi indicetur, drach. j. ſufficiet: in obſtructionibus vero chronicis, febribusque intermittentibus, ſcopo alterante, aperiente, reſolvente drach. ij. in unc. VII. aquæ dilutæ addito melle, aut ſyrupo conveniente ad cochleare unum alterumve aliquoties per diem felici cum exitu propinatur.

Syrupus kermeſinus.

Virtus reficiens, nervina, cardiaca, excitans.

Uſus in omni morbo, ubi ſpiritus nerveos invigorare, viresque vitales exſtimulare ſcopus eſt.

Doſis per ſe rarius datur; plerumque mixturis aut electuariis collimantibus permixtus ad unc. j. alteramve. Delicatulis vero ſæpenumero amœnioris coloris gratia mixturis additur.

Syrupus mannatus.

Virtus aperiens, incidens, acria obtundens, eccoprotica.

Uſus in ſaburra primarum viarum, tarda, & difficili alvi excretione, conſtipationibusque alvinis: etiam ſyrupus hic ferme ſolis infantibus eſt dicatus; huic tamen multi præferunt ſyrupum cichorei cum rheo; quia in acidum non adeo pronus, ut mannatus eſt.

Eadem eſt cum ſyr. cichor. cum rheo.

Syrupus V. radicum aperientium.

Virtus & uſus alioquin unicuique ex nomine notus.

Syrupus roſatus ſolutivus cum ſenna.

Virtus aperiens, eccoprotica, purgans.

Uſus idem cum ſyrupo mannato

Doſis infantes unc. ſem. j. purgat, adultiores unc. iij. IV.

Syrupus de ſiliquis ſive *diacodium liquidum.*

Virtus demulcens, anodyna, parum arcotica.

Uſus ad infuſa, decocta, & mixturas demulcentes, invicantes, anodynas unc. j. ij. pondere ad hibetur aut mucilaginoſis, & oleoſis permixtus in aſpredine faucium, tuſſi, catarrho &c. linctus laudabilis conſtituit. Si ſingulis unciis ſyrupo addideris croci pulverati gr. V. habebis dia-

co-

codium crocatum, qui magis nervens, & exhilerans est: cæterum ejusdem virtutis & usus; dosis solum mitiganda.

TINCTURÆ COMPOSITÆ.

Tinctura aloes.

Virtus digestiva, balsamica, stimulans, detergens, purgans, antiseptica.

Usus in mucositate nimia humorum, viscerumque obstructione lenta, in vermibus, mensium & hæmorrhoidum suppressione: externe ad ulcera sordida, sinus, fistulas, ossaque cariosa &c.

Dosis scopo purgante gutt. XL. LXX. dan. tur; scopo vero resolvente, deobstruente gutt. X. XV. vel per se, vel collimantibus unitas, externe vero, vel plumaceolis excipitur, sicque ulcetibus, ac sinubus imponitur, vel vero fomentis aut infusis, aut decoctis vulnerariis, antisepticis ad drach. ij. unc. sem. additur.

Tinctura amaricans.

Virtus resolvens, aperiens, stomachica, roborans.

Usus in languore ventriculi post febres acutas, biliosas, putridas, post diuturnas intermittentes, in viscerum abdominalium obstructione, hepatis, lienis &c. in melancholia, hypochondriali cum materia & sic porro.

Dosis gutt. XL. LXX. aliquoties per diem, aut cum aqua, vino, syrupo.

Tin-

Tinctura anodyna.

Ab essentia anodyna, sive laudano liquido Sydenhami vix differt, nisi efficacia majori: usu vero conveniunt, dosis solum parum limitanda, cum gutt. X. - XII, circiter gr. j. opii habeant.

Tinctura antimonii anisata.

Virtus stimulans, aperiens, incidens, resolvens.

Usus in glutinoso spontaneo, viscerum obstructione pertinaci, & morbis inde oriundis, hydrope chlorosi, mensium anomalia.

Dosis gutt. XX. XXX. ex vehiculo appropriato dantur, aut mixturis similibus additur drach. j. ij. pondere.

Tinctura balsamica.

Virtus stimulans, resolvens, balsamica, digestiva, detergens, vulneraria, antiseptica.

Usus internus in mucosa diathesi humorum, chlorosi, viscerum obstructione, morbis purulentis pulmonum, hepatis, renum, vesicæ. sed absque febre: item in leucorrhææ, & gonorrhææ ultimo stadio, materia ex urethra exstilante mucosa, alba pelucida: externe medetur vulneribus, ulceribus, fistulis, cariebus &c.

Dosis gutt. VI. XII. XX. in conveniente vehiculo excepta exhibentur aliquoties per diem, aut cum infusis, decoctis aut mixturis vulnerariis ad drach. sem. j. premiscetur: externe vero

ap-

applicatur, quemadmodum de tinctura aloes dictum fuit.

Tinctura sive *balsamum commendatoris.*

Virtus balsamica, detergens, vulneraria, consolidans.

Usus internus in morbis purulentis pulmonum, hepatis &c. absente febre: item in gonorrhæa, fluore albo præmissis præmittendis. Externe applicata laudatur ad vulnera, ulceraque digerenda, consolidanda.

Dosis eadem cum tinctura balsamica.

Tinctura benzoes.

Virtus balsamica, stimulans, incidens, nervina, roborans, antiseptica.

Usus internus in morbis a causa frigida oriundis bonus, uti in asthmate pituitoso senum, leucophlegmatia, chlorosi, hysteria, mensium suppressione, paralysi, nimia nervorum mobilitate; externus vero ad gingivarum laxitatem firmandam, dentium caricm præcavendam, tumores œdematosos discutiendos, ulceraque sordida, verminosa, depuranda laudatur.

Dosis gutt. XX. XXX. ex vehiculo convenienti, in mixturis ad drach. j. ij. datur. Gossipio excepta tinctura hæc, & gingivis, dentibusque applicata gingivas roborat, dentes firmat, & a carie præservat, præsentemque retardat: ulceribus plumaceolis excepta imponitur, tumoribus œdematosis medetur linteis imprægnata, aut ve-

ro

ro fomentis, cataplasmatibus, discutientibus, & antisepticis unita ab unc. sem. ad ij. familiare valde puellarum cosmeticum tinctura hæc constituit; sufficienti aquæ quantitate diluta nitorem non inamœnum cuti concilliat.

Tinctura laccæ.

Virtus est adstringens, stiptica.

Usus interne laudatur ad aliquibus in diarrhæa colliquativa, aut a laxitate orta, hæmorrhagiis variis, mictu cruento a laxitate: externe ad ulcera laxa plumaceolis excepta applicatur, scopo roborante.

Dosis interne ad gutt. aliquot ex vehiculo convenienti, aut decoctis roborantibus, aut demulcentibus, aut mixturis consimilibus, ad drach. ij iij. additur. Externe ad os scorbuticum eluendum, aut per se, aut decoctis collimantibus remixta laudatur; gingivis laxis, exulceratis medetur.

Tinctura mastiches composita.

Vide spiritum matricalem.

Tinctura martis tartarisata.

Virtus stimulans, incidens, roborans.

Usus in nimia debilitate & mobilitate nervorum, chlorosi, laxitate solidorum &c. egregius.

Dosis gutt. XX. XL. ex cochleari syrupi: in mixtura a drach. j. ad ij.

Tin-

Tinctura ſalis tartari.

Virtus ſtimulans, antacida, incidens, aperiens, diuretica.

Uſus in glutinoſo ſpontaneo, in calculo renum, veſicæ, in ſaburra acida primarum viarum &c.

Doſis gutt. XX. L. ex vehiculo apto: mixturis, infuſis, decoctis convenientibus additur ad drach. j. ij.

Tinctura tartari aurantiata.

Actuoſior priore, cæterum ejuſdem virtutis, uſus & doſis.

TROCHISCI COMPOSITI.

Trochiſci bechici albi.

Virtus incidens, expectorans, incraſſans.

In tuſſi, catarrho, phthiſi &c. bonus.

Uſus ægris relinquenda, ut unum, alterumve ſæpius in ore volvant, donec liqueſcant, ac dein deglutiant: idque de omnibus trochiſcis notandum.

Trochiſci bechici citrini.

Virtus demulcens, obvolvens.

Uſus cum prioribus convenit.

Trochiſci bechici nigri.

Virtus & uſus parum ſtimulans, expectorans, obvolvens.

Cum prioribus idem.

Tro-

Trochiſci de caſtoreo.

Virtus antiſpaſtica, antihyſterica.

Uſus bonus in morbis ſpaſticis, & convulſivis, atque in tota inde oriunda proſapia nominibus variis deſignata.

Trochiſci moſchatæ.

Virtute & uſu cum trochiſcis de caſtoreo colimantur.

Trochiſci contra vermes.

Virtus & *uſus* ex nomine intelligitur.

Doſis variat pro varietate ætatis, ſi tenera dimidius ſufficiet, alias integer, etiam bini.

UNGUENTA COMPOSITA.

Unguentum ægyptiacum.

Virtus irrirans, detergens, digeſtiva, carnem fungoſam conſumens, antiſeptica.

Uſus commendatur ad ulcera ſordida, fungoſa, putrida.

Doſis ſufficiens quantitas, aut linteis, emplaſtris, turundis, plumaceolis excepta parti affectæ applicatur, aut etiam manu illinitur: idque de omnibus ungentis valet.

Unguentum album ſimplex.

Virtus refrigerans, repercutiens, exſiccans.

Uſus

Uſus laudatur ad excoriationes cutaneas, ambuſta, decubitum, ulcera dolentia, plorantia, & ad loca veſicante vexata, exſiccanda.

Unguentum album cumphoratum.

Virtus virtute penetrante, antiſeptica differt a priori, cæteris convenit.

Uſus reliquus uſus ferme idem, ac prioris.

Unguentum althææ.

Virtus emolliens, relaxans, digeſtiva, parum ſtimulans, reſolvens, maturans.

Uſus ad tumores inflammatorios emolliendos, reſolvendos, aut maturandos, & excoriata membra laudatur.

Unguentum ſive *balſamum areæi.*

Virtus ſtimulans, balſamica detergens.

Uſus ad vulnera & ulcera digerenda adhibetur, ut ſemimortua vaſorum extrema a vivis ſecedant, ſicque vulnera, ac ulcera pura evadant.

Unguentum de arthanita, ſive contra vermes.

Virtus ſtimulans, reſolvens, anthelmintica, purgans.

Uſus infantibus mucoſis, verminoſis abdomini illinitur ſcopo ut vermes necentur, ano expellantur, ſcrup. j. drach. ſem. j. pondere: adultis majori. Etiam enematibus ad drach. ij. unc. ſem. j. additur ſcopo revellente in morbis ſoporoſis, aut etiam anthelmintico, purgante.

Un-

Unguentum basilicum.

Virtus relaxans, stimulans, suppurans, digestiva, detergens.

Usus egregius ad tumores inflammatorios, vulnera, ulcera digerenda, maturanda.

Unguentum calendulæ.

Virtus emolliens, discutiens, parum resolvens.

Usus laudatur denuo ad tumores inflammatorios, discutiendos, aut maturandos: solet quoque in hepatitide, pleuritide, nephritide, locus affectus inungi &c.

Unguentum linariæ.

Ejusdem ferme usus, & virtutis, ac prius: hinc transeundum.

Unguentum majoranæ.

Virtus emolliens, digestiva, penetrans, vulneraria.

Usus ad ulcera callosa, sicca digerenda adhibetur: solet quoque locis paralyticis infricari, vel per se, vel aliis collimantibus remixtum, forma unguenti, linimenti.

Unguentum verbasci.

Virtus emolliens, relaxans.

Usus adhibetur ad membra rigida, tumores inflammatorios emolliendos: item locus affectus in pleuritide, hepatide, enteritide, nephritide &c. hoc unguento inungi solet.

Un-

Unguentum carminativum.

Virtus resolvens, penetrans, carminans.

Usus ex nomine facile colligitur: flatus nempe pellit abdomini infrictum, obstructionesque a causa frigida natas eorundem viscerum resolvit.

Unguentum diapompholigos.

Virtus refrigerans, repercutiens, sopiens, adstringens.

Usus ad loca ad decubitu præsse, vulnera ulceraque dolentia, plorantia, hæmorrhoidesque dolentes laudatur.

Unguentum digestivum.

Virtus balsamica, digestiva, detergens, stimulans.

Usus convenit omni ferme vulneri, ulcerique digerendo, saltem ab initio, ut semimortuæ vasorum extremitates separentur a vivis, sicque superficies vulneris, ulcerisque depuretur.

Unguentum fuscum gallis *Onguent de la mere* dictum.

Virtus emolliens, mundans, leviter siccans.

Usus ad ulcera, vulneraque emollienda, & digerenda adhibetur.

Un-

Unguentum de liquiritia.

Virtus emolliens, repercutiens, leviter ſiccans.

Uſus ulceribus manantibus, hæmorrhoidibus dolentibus: locisque leviter inflammatis cum ſucceſſu applicatur.

Unguentum lithargirii ſive *nutritum.*

Virtus refrigerans, repercutiens, adſtringens.

Uſus laudatur ad ambuſta, cutaneas excoriationes, ſcabiem, aliaque cutis vitia.

Unguentum mendicorum.

Virtus reſolvens, balſamica, vulneraria.

Uſus ad tumores frigidos reſolvendos, vulnera, ulceraque digerenda laudatur: ſunt quoque qui in purulentis pulmonum affectibus interne exhibent.

Unguentum neapolitanum ſive *mercuriale.*

Virtus reſolvens, antiſyphilitica.

Uſus ad curandam luem veneream infricatur, drach. ſem. j. pondere omni altero, vel etiam oi die ſemel, bis etiam ter, prouti ſalivationem movere; vel non movere ſcopus eſt. Medetur quoque nodis, tophis, exoſtoſibus, ulceribus, ſcabiei a cauſa conſimili item vulneribus cane rabido inflictis, inunctum.

Unguentum nervinum.

Virtus reſolvens, penetrans, ſtimulans.

Uſus

Usus ad resolvendos tumores frigidos, œdematosos, partes laxas, paralyticas firmandas laudatur.

Unguentum nihili seu de tutia.

Virtus adstringens, siccans.

Usus ad ulcera laxa, nimia suppuratione macerata, firmanda laudatur: adhibebatur quoque olim ad rubedines, leves inflationes, defluxiones, oculorum.

Unguentum ophtalmicum.

Virtus irritans, adstringens, siccans.

Usus mirum præstat effectum in ophtalmia inveterata, lippitudine adultorum, senicularum, epiphora &c.

Ad magnitudinem lentis imponi solet cantho interno oculi semel, bis per diem.

Unguentum ad phthiriasim seu *contra pediculos.*

Virtus & usus ex nomine patent: hoc unicum notandum, ut tam in phthiriasi capitis, quam totius corporis parum, caute, & huic inde tantum aliquid illiniri debeat; largius enim, si illiniretur æger, salivationis incurreret periculum.

Unguentum populeum.

Virtus emolliens, refrigerans, anodyna, resolvens,

Usus

Vſus ad ambuſta, eroſa, fiſſuras labiorum, papilarum in mammis, hæmorrhoides dolentes cum ſucceſſu applicatur.

Unguentum potabile rubrum.

Virtus balſamica, vulneraria.

Ad ulcera tum ex quam interna conſolitanda commendatur: interne ad drach. j. alteramve aliquoties per diem abſumendum erit, aut per ſe, aut ſyrupo grato, pectorali dilutum.

Unguentum roſatum album.

Virtus emolliens, balſamica.

Ad excoriationes cutaneas, fiſſuraſque labiorum, & papillarum in mammis, & nitorem cuti conciliandum commendari ſolet.

Unguentum ad ſcabiem.

Virtus & *uſus* ex nomine ſufficienter innoteſcunt.

Unguentum de ſtyrace.

Virtus balſamica, detergens, ſtimulans, vulneraria, antiſeptica.

Egregius in gangræna tam ſicca, quam humida.

Unguentum ad vermes.

Vide unguentum de arthanita.

Unguentum de uvis ſeu *ad labia.*

Virtus emolliens, balſamica.

Uſus fiſſuris labiorum, papillarum mammarum, locisque excoriatis medetur.

SYNO-

SYNOPSIS.

I.

IGNATII WOLF
DISSERTATIO
DE MORBIS URETHRÆ.
1777.

Morbi connati
- infantes ſine pene nati
- penis juxta levior aut lougior
- urethra absque orificio
- apertura urethræ
- urethra cum glande deorſum incurvata.

Morbi inflammatorii
- mala a ſuppuratione urethræ
  - cicatrices orificiorum veſic. ſemin.
  - feminis ſtillicidium
  - tumores urethræ ſquammoſi & varicoſi
  - ſepta urethræ.
  - ſtranguria habitualis
    - methodus medendi

gangræna urethræ
ſcirrhus urethræ
cancer urethræ
gonorrhæa venerea
ſtadia tria
ſedes gonorrhææ
curatio gonorrhææ.

Morbi ſymptomatici
a fiſtulis ani, perinæi, ulceribus in glande & corporibus cavernoſis penis

a tophis oſſium pubis
ab utero gravido
a veſicæ urinariæ diſtorſione
a dyſſenteria, alvi teneſmo
a colica pictonum
a hæmorrhoidibus
a calculo veſicæ
a tumore leucophlegmatico penis
a paroxyſmo epileptico
a debilitate corporis.

II.

FEL. FORT. PASSERINI
DISSERTATIO
DE ABORTU.

Diſcrimen inter abortum & partum præmaturum.

Claſſes cauſarum abortus.

a) cauſſæ abortus in viro repoſitæ

b) cauſſæ in matre
uteri diſpoſitio peculiaris
ſigna hujus vitii
paſſio hyſterica
plethora vera.
vomitus
morbi convulſivi
plethora uteri topica
uteri morbi varii
hæmorrhois dolens

c) cauſſæ a fœtu, ejusque partibus
fœtus monſtroſa magnitudo
fœtus convulſi
ſecundinarum & funiculi umbilicalis vitia
aberratio placentæ a loco conſueto
hæmorrhagia ab hac cauſſa
diagnoſis hujus hæmorrhagiæ

d) cauſſæ externæ
aëris viciſſitudines
violentiæ externæ.

Prognoſis.

III.

NICOL. DE PARASCOVITZ

DISSERTATIO DE ARTHRITIDE.

1780.

Diſcrimen inter arthritidem & rheumatiſmum.

Diviſio arthritidis
Macbridii diviſio
Tiſſoti & *Schræderi* diviſio.

Diviſio ratione febris
arthritis febrilis
arthritis non febrilis.

Idea arthritidis inflammatoriæ.

Idea arthritidis chronicæ.

Cauſæ prædiſponentes
ætas
ſexus
diſpoſitio hæreditaria.

Cauſæ excitantes
potus vinoſus, ſpirituoſus
compotationes nocturnæ
abuſus acidorum
evacuationes ſuppreſſæ
vita otioſa

con-

contagium
peculiaris temporum viciſſitudo.

Cauſa proxima.

Sedes arthritidis.

Prognoſis.

Prophylaxis.

Methodus medendi arthritidi febrili.

Methodus medendi arthritidi non febrili.

Diæta in arthritide.

IV.

MATH. ANT. REYSS

DISSERTATIO

DE VESICANTIBUS.

1781.

Antiquitas cantharidum.

Emplaſtrum veſicans Pharmacop. Auſtr.

Locus applicationis.

Vis ſtimulans cantharidum.

Noxæ cantharidum
in capitis vulneribus
in lue venerea
in febribus ardentibus

in exacerbatione febrili
in delirio febrili
uſus internus noxius
in temperamento bilioſo.

Uſus cantharidum ſalubris
in humoribus ad corporis peripheriam pellendis
viribus vitæ depreſſis
ſcopo revellente
in pleuritide
in tuſſi
in febribus pituitoſis.

V.

JOS. FERD. MÜLLER

DISSERTATIO

DE BALNEORUM PARTICULARIUM USU.

1781.

Balneorum antiquitas.

Effectus generales balneorum.

Balneorum particularium varia genera
calida & frigida
immerſio
embrocatio
vaporarium
illutamentum
balnea oleoſa

bal-

balneum ſiccum
balneum terræ
capitiluvia
balneum oculare
pediluvia
modus parandi pediluvia
uſus pediluviorum in genere
ſubjectum pediluviorum
effectus pediluviorum generales
morbi, quibus pediluvia medentur
cephalalgia
vertigo
catalepſis
apoplexia
oculorum morbi varii
catarrhus & coryza
hæmorrhagia narium
affectus aurium
angina
dentitio difficilis
infarctus pulmonum
ſingultus
menſtrua per vias inſolitas
febris intermittens
pedum vitia
dolores pedum rheumatici
pedum paralyſis
pedes congelati
pedum varices
tumores œdematoſi
anchyloſis
clavi.

VI.

CASTULUS FRANCKE

DISSERTATIO

VIRTUS

PERSPIRABILE SANCTORIANUM

SUPPRESSUM RURICOLIS

PRÆ CÆTERIS INFESTUM.

1784.

Autumnus ruricolis infestus.

Frequentissima tum dysenteria.

Morbi hyemales ruricolarum
morbi inflammatorii
morbi chronici.

Morbi vernales.

Morbi æstivi
febres biliosæ & putridæ.

Morbi autumnales
epidemia in Austria anno 1781.

VII.

FR. XAV. SELTMANN

DISSERTATIO

DE FEBRE NOSOCOMIALI.

1783.

Aeris corruptela in nosocomiis.

Febrir nosocomialis, febris carcerum dicta.

An contagiosa?

Symptomata febris nosocomialis.

VIII.

THOM. LARISCH

DISSERTATIO

DE PHITHSI PULMONALI.

1784.

An phthisis pulmonalis contagiosa?

Differentiæ phthiseos.

Phthisis primaria & secundaria.

Origo phthiseos duplex.

Causæ phthiseos,

Signa

Signa incipientis & consumatæ phthiseos.
Notæ puris boni.
Prognosis.
Methodus medendi.
An sectio thoracis in empyemate?
Cauteriorum in phthisi usus.
Diæta phthisicorum.

IX.

STEPH. KRAGL

DISSERTATIO

DE METHODO EMETICA.

1784.

Indicatio generalis emeticorum.

Signa saburræ turgentis generatim
saburræ biliosæ
saburræ pituitosæ.

Contraindicationes emeticorum

Emetica remedia
radix ipecacuanhæ
tartarus emeticus
vinum *Huxhami*
syrupus emeticus
oxymel squilliticum.

Eme-

Emetica quando & quibus una vice, aut per epicraſin danda?

Emeticorum refracta doſis.

Cautelæ poſt aſſumptum emeticum.

X.

J. A. WENDRINSKY

DISSERTATIO

DE HÆMORRHAGIIS UTERI.

1784.

Diſcrimen hæmorrhagiæ uterinæ.

Cauſæ hæmorrhagiæ uterinæ
- affectus animi vehementes
- motus corporis nimii
- hyſterica & emenagoga male applicata
- percuſſio inferioris partis abdominis
- placenta prævia
- placentæ præmatura ſeparatio
- ruptura uteri
- atonia uteri
- partus totius ovi humani
- grumi ſanguinis in utero
- inverſio uteri
- methodus medendi

quics

quies animi corporisque
phlebotomia
adſtringentia
opium
injectio adſtringentium.

Cautelæ practicæ.

XI.

SIGISM. BARISANI
DISSERTATIO
DE INSITIONE VARIOLARUM.
1780.

Variolarum naturalium ſtrages, & fata inoculationis.

Certa inoculationis commoda.

Commoda inſitionis incerta.

Incommoda ab inſitione forte oriunda.

An & quando præparatio neceſſaria ſit.

De methodis præparandi.

De eligendo pure varioloſo, & ejus aſſervatione.

De methodo inoculandi.

Variolarum inoculatorum deorſus.

De cura variolarum inſititiarum.

XII.

ANT. MART. SEYDEL

DISSERTATIO DE PROPHILAXI GRAVIDARUM.

1784.

De officiis magiſtratus erga gravidas

gravidæ reverenter habeantur

in cœtu publico commodiſſime locentur

interdicantur illis publica & privata terrifica ſpectacula

remota teneantur a publico terriffica obſecta, difformes, mutilati, epileptici

abſtineatur in gravidarum præſentia a narratione & lectione rerum horridarum.

prohibeantur medici & chirurgi gravidis indiſcriminatim remedia emetica, purgantia, & ſtimulantia exhibere

conſtituendæ obſtetrices

conſtituatur locus, quo gravidæ pauperes & lapſæ ſe recipiant.

Officia gravidarum in ſe ipſas.

Officia medicorum in gravidas.

XIII.

GEORG. LEITHNER

DISSERTATIO

DE MORBILLIS.

1783.

Antiquitas morbillorum.

Proprietates miaſmatis morbilloſi.

Diviſio morbillorum
- benigni, maligni
- regulares, irregulares.

Stadia morbillorum
- ſtadium contagii
- ſtadium eruptionis
- ſtadium convaleſcentiæ.

Methodus medendi
- methodus antiphlogiſtica
- methodus antibilioſa
- methodus antiſeptica
- methodus calefaciens
- methodus ſymptomatica

oculorum ſtillicidium
hæmorrhagia narium
angina
tuſſis
vomitus
diarrhæa
convulſiones
retroceſſio morbillorum.

Morbi poſthumi morbillorum
phthiſis
hydrops anaſarca
tumores ſtrumoſi
ophthalmia chronica.

Morbillorum anomalia.

Prognoſis morbillorum.

XIV.

JOH. BAPT. HUEBER

DISSERTATIO
DE CASIBUS IMPROVISIS.

1782.

Apoplexia.

Apuis ſubmerſi.

Suſpenſi.

Suffocati.

Epilepſia.

Caſus ex alto.

Vapores venenali.

venena ſtupefacientia

venena ſuffocativa

vapores ſuffocativi & ſtupefacientes ſimul

venenum animalis rabidi

venena mechanica

venena in vias urinarias agentia

frumentum venenatum.

XV.

ANT. FROELICH
DISSERTATIO
IN MEDICAMENTIS COMPOSITIS IN PHARMACOPOEA
AUSTRIACO - PROVINCIALI CONTENTIS.

1783.

Aceta composita.
Aquæ distillatæ compositæ.
Bacilli.
Balsama composita.
Candelæ fumales.
Electuaria composita.
Elixiria composita.
Emplastra composita.
Emulsio laxativa.
Essentiæ compositæ.
Extracta composita.
Globuli.
Infusa composita.
Liquores compositi.
Looch composita.
Morsuli.

Olea composita.
Pasta de althæa.
Pilulæ compositæ.
Pulveres compositi.
Species decoctorum compositæ.
Spiritus compositi.
Suppositoria composita.
Syrupi compositi.
Tincturæ compositæ.
Trochisci compositi.
Unguenta composita.

Finis vuluminis quarti & ultimi.

